





Nonum
Librum
Rasis
1
7
308









XV

in RAS: IACCH

LEONARDI IACCHINI EMPORIENSIS,

PISIS IN CELEBERRIMA ACADEMIA MEDICINAE OLIM SVMMA CVM LAVDE ORDINARII PROFESSORIS,

IN NONVM LIBRVM RASIS ARAbis Medici ad Almansorem Regem, de partium morbis eruditissima COMMENTARIA.

Opera ac diligentia HIERONYMI DONZELLINI *Philosophi ac Medici Veronensis, emendata ac perpolita.*





162.c

Cum gratia & priuilegijs S. Cæsareæ Maiest. ad annos x. & Christianiss. Regis Galliæ ad IX.

8°

BASILEAE,
PER PETRVM PERNAM,
M. D. LXIIII.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

CAVTVM est priuilegijs Imperatoris & Regis Galliæ, altero ad decennium, altero ad nouennium, ne quis hosce Leonardi Iacchini Emporiẽsis Medici Commentarios in Rasim excudat, aut excudẽdos curet, ne'ue excusos alibi, quàm à nobis, vendere audeat, sub graui mulcta. Qui secos faxit, Deos sentiet iratos. Hoc te scire volui, Lector, vt quandoquidem inter viros bonos benè agier oportet, ab alieno manus cohibeas, & res tuas agas. Vale.

AD CLARISSIMVM ATQVE EXCELLENTISSIMVM VIRVM STEPHANVM LAVREVM Amorfortium, Inuictissimi Cæsaris FERDINANDI dignissimum Medicum & Consiliarium HIERONYMI DONZELLINI, in Leonardi Iacchini Commentaria,

PRAEFATIO.



UANTA sit artis Medicæ dignitas atque præstantia, Vir Nobilissime, nō tantùm è certitudine earum, quibus vtitur, rationum, & subiectæ rei in qua versatur, nobilitate (quæ duo Aristrteles proposuit) sed etiam ex eius fine maximè est iudicandum. Cùm enim multæ eius partes numerentur, Physiologiæ, Pathologiæ, Therapeuticæ ac reliquarum demonstrationes, non minorem habere constantiam ac firmitudinē, quàm ipsa habeat naturæ contemplatio, omnes norunt. Sola signorum pars (quæ tamen præcipua est) coniectura contenta, certam illam atque exactam notitiam non assequitur: artificiosa tamen cùm sit, plurium syndrome vsa, si non certò, saltem quoad humanis viribus de abditis rebus iudicare concessum est, veritatem attingit: vt à scopo aut parū, aut rarò aberrare videatur. Materia porrò in qua laborat, Homo est, æternum animal atque immortale: cuius causa, rerum hanc vniuersitatem à Deo factam, non Theologi tantùm, sed meliores etiam philosophi sentiunt. Magnum miraculum est homo, dicebat olim Mer-

Lib. de anima I.

curius ille Trismegistus: in cuius scilicet natura, quidquid amplissimo hoc mundo latius explicatur, quodã ueluti compendio continetur. Totum enim hoc, quod Græci πᾶν, nos vniuersum appellamus, in duas principes partes philosophi secant: quarum altera, res omnes materiæ ac corporeæ molis expertes, atque ideo æternas ac immortales complectitur: altera uerò concretas, mortales, ac materiæ contagio infectas, suo ambitu coërcet. Homo pariter duplici natura constat, animo scilicet ac corpore eius ueluti sede ac domicilio: nec quidquam esse in maiore illo, quod non in minore hoc ueluti mundo reperiatur, facilè apparet. Materiam enim illam rerum omnium inferiorum parentem, & quæ ex ea proximè oriuntur elementa, in nobis esse, ipse fatalis dies atque interitus declarat. Flatus autem in homine geniti, ventos: vapores, nubes: destillationes, pluuias: rugitus, tonitrua: exustiones, incendia repræsentãt: vt nihil in sublimi generetur, quod non itidem in homine inueniatur. Ossa et cartilagines, metalla: uis animæ nutriens ac generãs, plantas: sensus ac motus, qui est de loco ad locum, perfectiora animalia nobis referunt. Spiritus porrò, quibus & substantiæ summa tenuitas, splendor & calor almus, clemẽs, suauis & blandus inest, elemento stellarum proportione respondere, Aristoteles affirmauit. Nec uerò homini deest illa perfectio, qua præditæ sunt cœlestes illæ mentes: quæ perenni ac sempiterno motu immensos illos globos agitant ac circumuoluunt. Est enim in animo humano uis ac facultas nobilior atque præstantior, qua res simplici apprehensione, sine motu aut tempore, intelligit ac intuetur: qua sola ratione, diuinis illis mentibus similis euadit. Li

Lib. de gener. anim. 2 cap. 3.

cet

*cet autem non omnes homines eam uim explicent ac decla-
rent, ad hoc tamen & nati sunt, atque ea pollent: sed prauæ
educationis uitio, affectuum impotentia, ac nimio uolupta-
tum commercio, à nobilißima illa actione impediũtur. Plu-
res tamen & olim fuisse, et nunc etiam esse, qui ad illum per
fectionis gradum sese extulerunt, illi saltem persuadere nobis
debent, qui immortali beneficio, rerum abditarum cognitio-
nem, præclaris literarum monumentis nobis reliquerũt. Cæ
terùm Pythagoras, grauißimus olim philosophus, è diuina
mente decerptos ac delibatos animos nos habere, constan-
ter asseuerabat. Atque ideo Homerus Deum parentem no-
strum audet appellare, dicens,*

Cicero Tuscul. 5.

Πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sed Aratus quoque inquit:

Αὐτοῦ γὰρ γένος ἐσμέν.

*Est enim in animis humanis rationis apex, quem mentis ca
put seu florem antiqui Theologi uocarũt. Hanc animi uim
supra ipsam mentem collocatã esse, ipsiq; tanti muneris, tan-
tiq; operis artifici, unde maria, terræ, & res omnes pendent,
quadam similitudinis ratione coniungi, ac diuinitus copula
ri, Plato affirmauit. Quemadmodum enim Apelles celeber
rimus olim pictor, cùm pulcherrimã illam ac admirandam
Veneris imaginem describeret, clauum fixit, quem qui au-
ferret, totã ipsam dissolueret: in eius uerò claui summa par-
te, imaginem suam pinxit: ita Deus ille optimus maximus,
cùm elegantißimum hoc mundi opificium fabricasset, tan-
quam coronidem aut colophonem adiecit Hominem, in quo
suam imaginẽ collocauit, ex cuius inspectione artifex agno-*

sceretur: ut si uerū dicere phas est, Humanus animus, Deus quidam paruo corpusculo conclusus uideatur.

Cum itaque res plurimum inter se pugnantes atque contrarias homo complectatur, recte olim sensisse illi uidentur, qui uinculum esse, quo æterna caducis coiunguntur, illum asseuerant: atque adeò nodum certum firmumq́, tam mundi qui sub sensum cadit, quàm qui in intelligentiam uenit. Quamobrem cùm utriusque naturæ particeps sit homo, sua ui ac rationis beneficio sese potest attollere, spretisq́ caduci corporis illecebris, dijs quàm simillimum reddere, diuinarum rerum cōtemplatione. Rursus idem neglecto rationis imperio, uoluptatibus corporis oppressus & subiectus, à sua perfectione quammaximè recedit, atq; in ferā seipsum quasi transmutat, & Pythagoræ μετεμψύχωσιν seu παλιγγενεσίαν certam esse indicat: nec fabulas esse ostēdit, quæ de socijs Vlyßis Poetæ narrant, qui in sues ac feras immanes mutatos fuisse, sæpius cecinerunt. Cùm ergo à natura comparatum sit, atque adeò rerum ordo postulet, ut superioribus semper pareāt inferiora, tum maximè necesse est, ut dißidium exoriatur, si fortè præter naturæ consiliū acciderit, ut ordo iam constitutus inuertatur, ac meliora peioribus seruiāt, ratioq́ subiecta è regno depellatur, ac princeps animi facultas uim patiatur, naturamq́ demutet. Rursus cùm animi ratio dominatur, principemq́ locum tenet, ac ut Plato ait, corporis currus equo albo trahitur (quem ipsa temperat, & habenis flectit, moderatur, ac pro naturæ suæ modo regit & gubernat) tum facillimus aditus patefit ad diuinitatem, totúsque homo in Deum mutatur, ut alter terrestris deus haberi & appellari

[Margin: Homerus Odyssea libro 10.]

[Margin: In Phædone.]

pellari

pellari possit. Hanc mutandæ formæ rationem, Protei figmento, qui in varias figuras mutari dictus est, prisci vates exposuerũt: nempe qui hominis mutationes omnes, quasi numine quodam afflati, animæ acceptas referri sentiãt: quam à Deo ipso, Plato etiam credidit proximè efformari, fingiq; quamsimillimam, & instar eius imaginis ac exemplaris esse constitutam. Atque ideo mirum videri nõ debet, si instinctu quodam naturæ in Deum feratur, & tanquam parentem et authorem expetat et amplectatur. Quemadmodum enim ignis, qui in terræ gremio confouetur derepentè supernas partes suopte ingenio petit, nisi extrinsecus adhibita vi inhibeatur: sic animi humani natura sua ad suum opificem reuocantur. Nam simul atque (vt Platonici memorãt) hoc carcere, quod corpus dicitur, sese liberarunt, quasi post liminio reuocati, ad patriam redire ac reuolare nitũtur. Antea enim quasi diuinarum rerum obliti, et in caducos ac mortales degenerantes, in naturam corpoream mutati erant, totáq; ac tantis tenebris et erroribus caligantes circunducebantur, vt mentis acie hebetata, veritatis imaginẽ & umbram tantùm consectarentur. Quocirca ubi primùm seipsos cognouerunt, & è tenebris emerserũt, continuò diuini luminis splendore illustrati, in diuinam mentem cõspiciunt, & tanquam in speculum intuentur, atque adeò supra se constituti, summum bonum, diuinumq; intelligũt. Unde binis alis suffulti, voluntatis inquam & intelligentiæ, ad suum parẽtem reuolant, illumq; cõtemplantur, suspiciunt, admirantur, & in eo conquiescunt. Selectissimis hîc Deorum alimentis, Nectare & Ambrosia reficiuntur: duplici scilicet lumine collu-

Virgilius Georg. 4.

In Timæo.

strantur ac perficiuntur: altero, quod propriũ illis est, ac familiare, quoque ad ipsum Deum propius accedunt: alterum uerò à Deo optimo maximo concipiũt: unde ueluti quodam liquore perfusi ac imbuti, summa tandem fœlicitate perfruuntur, Dijsq; simillimi efficiuntur.

Constat itaque hoc animal sagax & prudens (quod homo dicitur) omni ex parte perfectum esse, et ex duabus partibus coalescere, quas sapientißimi quique semper admirati sunt: & alteram quidem Dei idolum & figuram quandam immortalem, mentibusq; cœlestibus similem esse dixerũt (de qua hactenus à nobis disputatum est:) alteram uerò σῶμα, quasi τῆς ψυχῆς σῆμα appellarũt, quod in toto corporearum rerum ambitu principem locum tenet, & summi opificis sapientiam maximam ostendit. Hoc sanè cùm animi atque adeò Dei ipsius sedes ac ueluti templum futurũ esset, ita est conformatum, ut cœlum, atque in cœlo solem, in sole uerò & astris authorem suum facilè aspiceret atque agnosceret: et lumine ceu re cognata ac familiari, summopere delectaretur. Quàm operosa uerò sit hæc corporis huius compages, quàm apta cùm ad usum, tum ad uenustatẽ hæc lineamentorum conformatio, quàm admirabilis hæc coagmentatio & structura, quæ diuinam mentis naturam cum corpore sic commisit, vt inde absoluta quædam totius orbis imago cõsurgat: satis nemo unquam intelligat. Galenus certè, parum alioqui religiose de Deo sentiens, in explicanda humani corporis fabrica usque adeò nihil temerè aut fortuitò, sed singula prudẽter atque artificiose formata atque compacta animaduertens, subinde subsistit atq; hæret, diuinamq; prouidentiã ac sapien-

Lib. de usu partium.

sapientiam suspicit, admiratur, ac prædicat. Ex hoc itaque nobilissimo Dei opificio, artis medicæ præstantiam deriuari, atq; illi adscribi, rectè initiò diximus. Quare meritò Hippocrates olim dixit:

ἰατρὸς φιλόσοφος ἰσόθεος. Lib. de Medico.

Ne quis autem imprudenter hîc iudicet, ac temerè me facere existimet, dum non à corpore solo, sed ab animo quoque, atque adeò homine uniuerso, Medicinam nobilitare contendo: error hic tollendus erit. Siquidem animus noster & corpus arctißima inter se necessitate ac vinculo inexplicabili ita copulata sunt, vt non tantùm diuinis oraculis, ac vera religione, æternùm coniungenda esse nos sentiamus: sed Platonici quoque animos esse φιλοσωμάτους *dicant, ac tribus corporeis vehiculis ita annexos, vt licet primùm à terreno hoc & crasso, mox etiam ab elementari ac tenuiori aliquando separentur, ab æthereo tamen nunquam diuelli posse constanter asseuerent. Quorum sententiam elegantißimo carmine ita complexus est Maro:* Plato in Timæo. Lib. Aeneidos 6.

Quin & supremo cùm lumine vita reliquit.
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitusq; necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris. Et mox:
Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Aethereum sensum, atque aurai simplicis ignem.

Tanta est sanè inter utrunque sympathia, vt & animi illuuies redundet in corpus: & vicißim huius morbi vim animi impediant & labefactent. Mutuum hunc vtriusque con-

Lib. de physiognom. Lib. de animi morum et corp. tẽperam. mutua cõsecutione.

sensum cùm Aristoteles, tum Galenus, libris huic argumento peculiariter dicatis, apertè demonstrarunt. Sunt enim in animo humano διάνοιαι, *sunt &* ἤθη, *quibus potißimũ hominum vita gubernatur. Illis dirigendis Theoreticæ disciplinæ: his verò practicæ sunt aßignatæ. Verùm cùm & intelligentiæ & mores à corporeis temperamentis atque affectionibus plurimum immutentur ac pendeant, Medicos affirmo, non tantùm corporum, sed etiam animorum saluti esse præpositos: qui cùm diuerso alimentorum genere, exercitationibus, somno, vigilia, inanitione, repletione, aeris ac cœli varia mutatione, & reliqua uiuendi ratione, ac medicamẽtis, cũm optimum corporis temperamentum conseruẽt, tum malum immutent, ad animi etiam actiones probas aut improbas, bonas aut malas, plurimum afferre momenti, rationi est consentaneum. Galenus certè animam humanã aut temperamentum esse, aut illi seruire, clarè profitetur. Quare de hominum moribus ita etiam statuit. Iam uerò qui optimo corporis habitu præditi sunt infantes, his animi quoque mores citra vitium esse par est. Qui enim sunt ad iram magis procliues, aut animo planè demisso, aut intelligentes magis, aut stupidi, aut cibum appetentes vltra modum: hos parum idoneo temperamento esse in iis partibus, quibus prædictorum singula administrantur, necesse est. Infantis autem, quem absolutum inculpatumq́; proponimus, mores non quidem corrigere, sed ne quo vitientur, conseruare oportet. Seruatur verò quidque eisdem planè generibus, quibus corrumpitur. Corrumpuntur animi mores praua consuetudine cuiusque horum, cibi, potionis, exercitationis, videndi, audien-*

Lib. suprà citato.

Lib. de tuẽda ual. 1.

di, totius denique Musices. Quare peritum esse horum omnium eum Medicum oportet, qui sanitatis tuendæ curam suscipiet. Neque enim arbitrandum est, morum institutionem ac disciplinam ad solum philosophum pertinere. Idem paulo pòst sic inquit: Et nos ob animi mores quotannis ægrotantes non paucos persanauimus, solis animi motibus ad debitum modum reuocatis. Quare statuit, optimo corporis habitu ab ipso naturæ ortu cōstitutum hominem, fortunatissimum fore, si statim in lucem editus, arti sanitatis tuendæ educandus tradatur. Ita enim animum quoque non mediocrem vtilitatem inde cōsecuturum: ipsa nimirum recta uictus ratione, mores quoque probos reddente. Hæc Galenus. In alio quinetiam eiusdem planè argumenti libro eandem nobis sententiam hisce verbis proponit: Animi facultates, corporum temperamenta sequi, nō semel aut iterum, sed sæpe ac sæpius non in mei pso solùm et experimento, & multiplici peruestigatione deprehendi: verùm ab ineunte ætate vnà cum meis præceptoribus, ac postea cum optimis philosophis, perpetuò veram hanc sententiā inueni, & vtilem quoque ac salutarem ijs omnibus, qui animos suos cupiunt exornare. Nam si cibis, potionibus, ac reliquis, quæ quotidie à nobis peraguntur, bonam corpori temperaturam comparauerimus, ex ea ad animi virtutem plurimū feremus: quemadmodum & Pythagoras, & Plato, & philosophorum alij nōnulli fecisse perhibentur. Quòd ergo Medicus nō tantùm corporis curam gerat, sed magister quoq; sit animi morum, satis puto demonstratum esse. Porrò διανοιαν atque intelligentiam eidem subiectam esse, ostendamus. Id quod facilè ap

parebit, si quemadmodũ mores, ita etiam intelligentias è corporis temperamẽto & cõstitutione pendere probatũ fuerit. Quod quidem Aristotelis potius, quàm meis verbis explicare malo. Is igitur initio eius libri, quem de Physiognomonia scripsit, quid sentiat, hunc in modum docet. Animi cogitationes atque intelligentias sequi corpora: neque esse ipsas per se solas corporis mutationum expertes aut immunes, & in ebrietatibus, & in morbis ualde fit manifestum. Magna enim cogitationum immutatio à corporis affectionibus fieri videtur. E contrario quoque animi perturbationibus corpus plurimum commoueri, illiq; cõsentire, amor, timor, mœror, & voluptas declarant. Sed corpus atque animum coniunctissima esse, arctissimamq; inter se habere cognationem, vt causæ sibi inuicem sint multarum affectionũ, ex ipsis naturæ operibus exactius quis intelliget. Nullum enim unquã animantiũ genitum est, quod forma quidem animal vnum repræsentaret, alterius verò διανοία seu intelligentia vteretur: sed eiusdem semper generis et corpus et animam habuit. Quare tale corpus, talem διάθεσιν, id est, affectionem seu formam, ita aut ita affectam, sequi est necessarium. Hæc Aristoteles. Porrò autem, quis furorem, deliria, insaniam, melancholiam, phrenitidem, animi stuporem, veternum, memoriæ tandem, ingenij ac mentis vitia emendabit præter Medicum? quis maior vitiorum hostis, quàm Medicus? quis in sobrietate & castimonia commendanda studiosior? quis in crapula vitanda, ira moderanda, quibusuis denique affectibus refrænandis acrior? Quid obsecro sibi volunt vetera illa adagia: Indiget elleboro: Nauiget Anticyras? nónne Medi-

cum

cum esse animi curatorẽ? Odium, ira, inuidia, mœstitia, ac reliquæ huiusmodi perturbationes, nõnne animi vitia sunt, quæ ex prauo humore, mentis organa obsidente, proficiscuntur? quibus frustra se aut Philosophus aut Theologus opponat, nisi Medicus humorum colluuiẽ aut recta viuendi ratione, aut medicamẽtis prius repurgarit. Quòd itaque totius hominis veluti Deum quendam Medicum superius constituerim, nemo, vt arbitror, meritò me potest accusare.

Ex fine quoque Medicam facultatem summam consequi nobilitatem, principiò dicebamus. is sanitas est, qua nihil homini vtilius aut iucũdius esse potest: sine qua nulla est cæterarum rerum voluptas: ac vt in suo hymno Orphæus cecinit, cuncta sunt hominibus inutilia. Qui olim Epigramma in Apollinis Delphici propylæo inscripsit: illud authore Aristotele inseruit, λῷστον τὸ ὑγιαίνειν. *Quinetiam Plato inter bona humana primum locum tribuit sanitati: & ex antiquo poëta conuiualem hanc cantilenam discumbentibus celebrari solitam citat:* Lib. Reth. 2. Lib. de Repub. 6. & 1. de Legib.

ὑγιαίνειν μὲν ἄριστόν ἐστιν: In Gorgia & lib. 2. de legibus.
τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν γενέσθαι:
τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως.

Inter Menandri sententias refertur & ille senarius:

οὐκ ἐστὶν ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ. *Et ille alter:*
ὑγεία καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο.

Panætius quoque ac Poßidonius philosophi à Cicerone adeò celebrati, in ea fuere sententia, virtutem minimè sufficere ad bene beateq; viuendum, sed bona etiam valetudine opus esse. Sapienter etiam ille: Laertius in Zenone Citieo.

Iuuen. satyra 10.

Orandum est vt sit mens sana in corpore sano.

In libro de ualet. tuenda.

Lucianus in serm. lapsu in salutatione.

Plutarchus sanè bonam valetudinem maximè diuinum bonum, longeq́ blandißimum esse totius uitæ cõdimentum, dixit. Et Martialis inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, salubre corpus reponit. Sed Pythagoras quoque cùm per literas amicos salutaret, non alia vsus est voce, quàm vt iuberet eos ὑγιαίνειν. *Salus à Romanis Dea, vt Græcis Hygeia, vnà cum sorore Panacea ac patre Aesculapio culta olim fuit: cuius etiam vt Deæ meminit Hippocrates in Iusiurando. In Sicyonia Hygeiæ simulachrum summa veneratione olim cultum Pausanias scribit: & ex alijs antiquis monumentis adnotauimus. Maximus etiam Tyrius, nobilißimus inter Platonicos philosophus, vetustum carmen citat, quod in supplicationibus olim canebatur:*

Oratione 41.

Ὑγεία πρεσβίστη μακάρων,
μετὰ σεῦ ναίοιμι
τὸ λειπόμενον τῆς βιοτᾶς.

Satis igitur superq́ patet, Medicinam ex suo fine quoq́ magnam consequi nobilitatem ac perfectionẽ, vt eius commendatio ex alijs fontibus, vnde artes honestari solent, mihi minimè sit petenda. Nam si res cõmendat antiquitas, hanc artem primam omnium neceßitas repperit. Si scientiam authores illustrant, huius inuentio semper Dijs est attributa. Si magnifiũt quæ summis viris probantur: hæc summos reges, hæc primates nõ solùm delectauit, verùm etiam illustrauit. Si ex Platonis sententia δύσκολα τὰ καλά: *nihil operosius Medicina, quæ tot disciplinis, tantarum rerum peruestigatione vsuq́ constat. Si dignitate rem æstimamus, quid excellentius*

lentius quàm ad Dei benignitatem proximè accedere? Si facultate, quid potentius aut efficacius, quàm totum hominem certo exitio periturum, posse restituere? Si necessitate, quid æquè necessarium, atque id sine quo nec viuere, nec nasci licet? Si virtute, quid honestius, quàm seruare genus humanum? Si utilitate, nullius rei vsus neque maior est, neque latius patet. Hanc denique diuina oracula nobis commendant: hanc profani scriptores laudibus in cœlum vehunt: Poetæ, Historici, Oratores, Philosophi: vt meritò Anticyras relegandi sint, si qui reperiantur, qui secus audeant sentire aut loqui.

Medicinæ scientiam experimentis initio à se inuentam, Apollo primùm, deinde eius filius Aesculapius, mox Podalyrius & Machaon filij tractarunt: qui ferè fuerunt Empirici. Progressu deinde temporis Hippocrates illam ad sua principia reduxit, ac in artem redegit: quem secutus Galenus, eam perfecit, ac omnibus numeris suis absoluit. A Græcis ad Arabas delata, naufragium fecit: ac Latini ab Arabibus illam recipientes, diu admodum infœliciter in illa versati sunt. Deus tandem nostram sortem miseratus, cùm vnà cum linguarum peritia, scientias in lucem reuocaret: hanc etiam diuinam artem illustrauit, excitatis aliquot viris, qui è limpidis Græcorum fontibus illam docerent. Siquidem ex quo Othomanicus furor Græciam armis cœpit diuexare, eius barbariem non ferentes Græcorum doctissimi, in Italiam venerunt, librorum thesauros secum adferentes: qui à Medicea familia potissimum honorificè accepti, disciplinis omnibus magna ex parte corruptis, lumen attulerunt.

Ex eo tempore Medicina florere cœpit. Nam & in Italia, & in Gallia, & in Germania, maximi aliquot viri extiterunt, qui cùm in publicis gymnasiis viua voce, tum editis luculentissimis scriptis, eam illustrarūt. Horum à me vnus hîc est nominandus, Leonardus Iacchinus Emporiensis: cuius eruditissima aliquot scripta à doctis hominib. maximè probata, cùm in philosophia tum in Medicina, publicè leguntur: quibus certè fidem facit, si ad iustum vitæ spacium peruenire cōcessum illi à Deo optimo maximo fuisset: (nam florenti admodum ætate nobis abreptus est) ex maximis hisce viris, quos fœlicissimum hoc seculum nostrum plurimos tulit, nemini concessurum fuisse. Hic honorifico stipendio ab Illustrissimo Florentiæ Duce ornatus, Pisis in Academia celeberrima, magna auditorum frequentia, summa cum laude Medicinam est professus. Eam autem partem docebat, quæ rectè curandi rationē monstrat. Quam cùm valde corruptam esse intelligeret, ex ea, qua erga genus humanū ducebatur, pietate, nō tantùm lingua, sed etiam calamo, interpretari illam voluit. Vna igitur eademq; opera ac diligentia tum auditoribus tum posteritati consulebat: cùm domi ea exarare ac methodo perscribere consueuisset, quæ mox è suggesto auditorib. explicaturus erat. Hac itaque ratione & Auicennæ partem de Febribus, & Razæ Arabis Medici, de Partium morbis, ex recepto in Italiæ gymnasiis more, enarrauit. Porrò autem, cùm in scribendo eam artem adhibuerit ac stilū ita temperarit, vt de edendis hisce scriptis cogitaret, integras illas tractationes absoluit, ac singulas biennio perfecit. Cæterùm cùm iam se fatali necessitate adstri-

ctum animaduerteret, ac morti vicinum, duo illa volumina summis à se laboribus ac vigiliis descriptas, duobus sibi amicißimis commendauit: illos obtestatus, vt si publica luce dignos iudicarent, typis illa curarent excudenda. Latuerunt ea annos aliquot apud eruditißimos illos uiros, quibus ab authore fuerant commendata: non vlla quidem (vt de optimis amicis credere par est) aut inuidia, aut priuato emolumento: sed quia fortasse tale eorum iudicium fuit, vt cùm postremam authoris manũ non essent experta, minimè publicanda existimarẽt. De Iacchini enim ingenio tam præclarè sentiebant, vt ab eius eruditione scripta longè grauiora expectarent: ac illis editis, eius nomini ac existimationi parum consultum arbitrarentur. Verùm cùm optimo cuidam amico, & mihi & illis familiari, eius voluminis (quod partiũ morbos tractat) copia priuatim facta esset, ad meas tandem manus peruenit. Quod cùm ego legerem, ac rectam Galeni methodum continere intelligerem, summopere probaui: curaui quoque, vt doctißimi aliquot Medici, cùm in Italia, tum in Germania illud viderent. A quibus omnibus ita fuit & doctrinæ & ordinis nomine commendatum, vt omnes dignum iudicarint, quod publicam lucem experiretur: ac nemo planè ex illis fuit, qui non ad eius editionẽ me vehemẽter sit adhortatus: quòd si aliter videretur, vt saltem describere liceret, singuli obsecrabant. Quare non meum tantùm, sed multorum & doctrina & prudentia insignium virorum iudicium secutus, edere illud statui: hac ratione Authoris ipsius voluntati, & gloriæ, amicorum votis, ac publicæ hominum saluti satisfacturus. Et quidem in summam spem eri-

gor, quòd hactenus priuatim, paucis aliquot præstantibus Medicis probatum fuit, illud idem omnibus nunc fore gratissimum. Quod cùm clarissimus Florentiæ Medicus Franciscus Garbus (apud quem pars de Febribus latet) intellexerit, & quanto applausu Iacchini scripta à Doctis excipiantur animaduerterit, quæ eius est cùm in amici manes, tum in omnes homines φιλανθρωπία, curabit poculdubio, vt reliqua Iacchini monumenta, quæ apud illum seruantur, in publicum exeant, vt & fidem suam, quam defuncto dedit, liberet, & de communibus studijs præclarè mereatur. Scio equidem ad illum Authoris voluntate spectare libri huius editionem: verùm ipso cessante, ab hoc officio non potui me diutiùs continere, importunis præsertim amicorum efflagitationibus adactus atque impulsus. Nec temerè aut fortuitò, sed Dei optimi maximi prouidẽtia factum iudico, vt hic liber ad me peruenerit: mihiq; omnino persuadeo, in huius editione diuinæ satisfactum esse voluntati. Testem hîc te locupletissimum ac fide dignissimum appello, Stephane nobilissime, sub cuius fausto ac felici nomine volumen hoc sub hominum conspectum prodire volui. Tu enim vnus ac præcipuus es ex eorum numero, qui & illud probarunt, & ad edendum impulerũt. Et profectò si solus hac in re fuisses hortator atq; impulsor, ea est tua apud me authoritas, vt illam minimè debuerim subterfugere. Iure autem te potissimum delegi, cui præ cæteris nuncupandum censeam. Cùm enim editionis præcipuus author extiteris, meritò tibi deberi videbatur. Deinde verò cùm ob immortalia tua in me merita, amoris ac beneuolentiæ tuæ erga me, méæque vicis-

sim

sim gratitudinis monumentum aliquod extare cuperem: nihil gratius, nihil acceptius hoc libro me tibi offerre posse, facile intelligebam. Non quòd eo tu indigeas, qui & omnes Medicinæ partes exactissimè tenes, & eius vsu ita es exercitatus, vt ad optimi & perfectissimi Medici appellationem nihil omnino tibi uideatur deesse: sed quòd eo, quo omnes boni, desiderio flagras, vt ea quæ ad Reipub. literariæ vtilitatẽ conferunt, quantum eius fieri potest, orbi vniuerso communicentur. Tuam certè eruditionem, cum pari coniunctam felicitate, non modò Ferdinandus Cæsar potentissimus agnoscit, qui suæ salutis curam multos iam annos tibi commendauit: sed etiam Aula illius, Illustrissimorum principum, ac nobilissimorum virorum frequentia refertissima: tota denique Germania, quæ manum tuam salutarem longo iam tempore experta est, suspicit & admiratur. Accedit his omnibus illustrissimi Comitis Nicolai Archij elegantissimũ carmen, Mantuæ olim vnà cum reliquis eius poematis editum: quo præclaras tuas virtutes ita commendat et extollit, vt hîc omnino adscribendum esse duxerim:

Dum febres varias, grauesq; morbos,
Et suspiria luctuosa soluis,
Et queîs venter aqua tumet intentus,
Dum dira ulcera Syphyli coherces,
Prima semina pestium rescindens,
Virus serpere nec sinis malignum,
Præsentemq; tueris, & salutem
Tutò restituis diu cubanti:
Nónne inter Medicos probè eruditos

Et debes Stephane, & potes referri?
Nónne hoc nomine dignus & corona es?

Ne quis igitur existimaret, quod Græco adagio dici solet, me γλαῦκας εἰς ἀθήνας mittere, dum hæc tibi viro doctißimo et in arte versatißimo dedico: causa instituti mei declarāda fuit. Par enim est, vt præclarorum operum fructus, gloria videlicet, & nominis fama, in authores suos redundet. Cùm igitur tu huius voluminis in lucem edendi auctor & impulsor fueris, æquum quoq; videtur esse, vt pro hac tua pietate primitias quodammodo laudis huiusce feras. Postremò cùm è tenebris, in quibus diutius quàm dignus fuit, in apertā lucem hic liber esset proferēdus, magni alicuius Viri patrocinio ac tutela fuit muniendus: cuius nomine bonis ac probis hominibus commendaretur; authoritate verò ab improbis defenderetur. Te autem eiusmodi esse, Inuictißimi Cæsaris Ferdinādi, Domini tui, gratia, qua iam diu, maximo etiam amicorum tuorum commodo frueris, declarat. Is enim cùm ingentes eruditionis ac prudentiæ tuæ fructus multos iam annos perceperit, dum fidelis ac diligētis Medici operā illi præstas, quod paucis, iisq; senioribus ac benemeritis tantùm cōcedere solitus est, tibi in florenti ætate cōceßit: scilicet vt virtutis tuæ merito, illorum numero adscribereris, qui de maximis rebus cum eo cōsultare ac deliberare consueuerunt. Hoc itaq; qualecunq; animi mei in te beneuolētißimi testimoniū, æquo animo suscipe, boniq; cōsule, & tanquā rem tuam tuere: meq; nominis tui obseruantißimum solita beneuolentia prosequi perge. Vale. Veronæ. pridie Kalendas Augusti.

M. D. LXIII.

INDEX OMNIUM CAPITUM, quæ in hoc opere de Particularibus morbis tractantur.

INDEX CAPITVM SECVN-
dæ partis.

INDEX CAPITVM IN METHODO præcognoſcendi contentorum.

)(4

INDEX.

ſimilia tranſitus fit, & ſimilia aut eadem remedia aptamus: vel pro aliquo præſidiorum genere aliud ſimile ſufficimus, vt ſi pro cinamomo quis caſsiam ſufficiat (ſenſu autem ſimilia eſſe deprehendunt) vel ex morbi alicuius curatione, ad ſimiles morborum ſpecies deuenimus. Hæc eſt ſecta illa, quæ ab ignotis temporum ſpacijs exorta, ac ſemper aucta in Aſclepiadarum familia floruit, quæ multos ſanè præſtantes viros ſectatores habuit.

Hippo. inuentor Rationalis viæ.

Cæterùm Hippocrates, vt erat ingenio ſolerti, ac propè diuino, non temerè experientiæ aliorum fidendum eſſe ratus, vt qui fortaſſe (quod nobis ſæpe euenit) multos ſe expertos mentiri aſsiduè cerneret, multosq; & letales errores circa ægros cōmitti; Rationalem quandam viam excogitare cœpit, qua duce, tum remedia plurima nobis comparare poſſumus, tum his, quæ alij inuenerant, felicisſimè vti. Hęc ſanè ſecta multa ſola experientia inueniri poſſe fatetur, in quibus etiam experientiæ non inuita ſubſcribit, multa ratione. Noſcuntur experientia ea, quæ à tota ſubſtantia habere dicuntur, vt proſint, vel lædant: qualia ſunt, quæ venenis aduerſantur, qualia purgantia medicamenta. Nam in cæteris inuentionem rationi acceptam ferre vult, quanuis ex abundanti experientiam quoq; adhibeat, vt firmiorem, altero teſte accito, notitiam teneat. Quam planè experientiam non diutina illa obſeruatione conficiunt, tantoq; labore, ac periculo; ſed ſat fuerit ſemel, atque iterum expertum eſſe, quod ratio dictabat. Prima ergo (quòd nouerimus) huius ſectæ, quam Rationalem dicunt, fundamenta iecit Hippocrates, admirabilis profectò hoc vno, tantum ſcilicet profeciſſe in ea hunc virum, vt ab omnib. nō ętatis ſuæ modò; ſed & poſterioribus ętatibus, ſummus haberetur. Hæc igitur ab ipſa rei natura ad inuenienda remedia procedit. Vnde neceſſe eſt, huius ſectæ medicum, corporū temperaturas, atq; elementa callere. Mox & partis cuiusq; fabricam, atque vſum, & facultates, quibus reguntur. Adde quòd morborum differentias omnes, & ſymptomatum noſſe, atq; eorum cauſas indagaſſe oportuit. Demum & in affectis partibus deprehendendis diligentiſs. exercitari. Huic diſciplinæ poſt multos celebres viros Galenus ſummam manum impoſuit: atque ita effecit, vt poſteris omnem gloriæ anſam adimeret. priores verò luce ſua obſcuriores reddidit, vt de eo facile dici poſſet, quod de Epicuro Lucretius:

Omnes reſtinxit ſtellas, exortus uti æthereus ſol.

Cum igitur hæ præcipuè medicinæ ſectæ extiterint, ſi tamen inter ſe eas comparaueris, longè præſtare Rationalem comperies. Primùm quòd ſi quando (quod ſæpe caſu euenit) auxilijs notis deſtituuntur Empirici, ſeu præſtò non ſint, ſeu nouo alicui morbo obuient,

uient, hic verò hærere videas, atq; deficere. Nam tametsi à simili, huic morbo auxilia petere debeant, at non est tamen cuiusuis eas similitudines probè deprehendere. Nam vt Hippo. aliquando ait, Similitudines, non vulgares modò medicos; sed & peritos quoque atq; exercitatos solent decipere. Idipsum ijs quoque contingit in morbis, qui rarò eueniunt. Etenim experientia, memoria, & obseruatione fit, quæ non facilè rarò euenientibus confici potest. Contra verò qui methodo, quæ via rationalis est, procedit, nunquàm remediorum copia destituetur, seu in agro versetur, vel iter faciat, vel etiam in medio mari, dum vnà simplicium medicamentorum vires exploratas habeat. Quid igitur factum, dicet aliquis, vt non multo post Galenum negligi cœperit, atque instar malæ radicatæ plantæ tam breui inaruerit, adeò vt nostra ætate vix tenuis quædam ipsius vmbra extaret? Siccine in media luce cęcutiebant? An eadam illa causa fuit, quæ & Galeni tempore, de qua etiam aliquando conqueritur? Cum enim semel medicinæ professores ad luxum, & gloriam animum intenderunt, nihil sibi his disciplinis opus erat, quin potius impedimento erant permaximo, quòd liberum & expeditum animum exigerent. Itaq; ad epitomas, & compendia, quę sibi prisci illi medici ad memoriam comparauerant, omissa methodo, confugerũt. Hinc factum est, vt apud hosce, qui nomine ipso Rationalem sectã profitebantur, multo deterior medicinæ cõditio fuerit, quàm olim apud Empiricos. Quanquam enim illi veterum experientiæ totos se mancipabant, ea tamen non sine distinctione, ac diligenti, vt ita dicam, limitatione, proponebant. Sic enim illis, vt Galen. scribit, proponere mos erat, Sarcoticon medicamẽtum ad pueros, mulieres, in ocio degentes, atque in summa, ad molles carnes. Rursus aliud ad senes, ad agricolas, atq; in summa, ad duras carnes. quá sanè distinctionem longa obseruatione comperisse se aiebant. nos verò eandem rationali methodo comperimus. Nostri verò multo Empiricis deteriores, sine vlla distinctione omnia proponebant, atque omnes, vt in prouerbio est, vnico calceo calceabant.

Cæterùm tandem bonis artibus Fortuna arrisit, & quæ diu sepulta latuit Rationalis secta, modò in lucem prodire cœpit, talemq; de se spem præbet, vt nunquam aliàs post Galenum, vel sincerior, vel ornatior prodierit. Iam passim auditur Methodi nomen, apud eos quoque qui nihil minus quàm methodum sapiunt, quibus tamen gratiæ habendæ sunt, quòd bonis sectis faueant.

Vt igitur priore anno Febres nobis methodo curandas suscepimus, atq; ita, ni fallor, effecimus, vt nisi quis rudi prorsus ingenio foret, nihil amplius in eo negocio desideraret; sic modò circa affectas

corporis partes laborandum est; eò præsertim quòd tractationem hanc ab omnibus post Galenum pretermissam video; id est, quo pacto affectus, qui in singulis partibus eueniunt, methodo curentur. Ita enim tales artifices efficiemini, vt si vniuersa de remedijs commentatio perijsset, ipsi vobis noua comparare posſitis. De alijs verò, quæ scripta fortè inueneritis, tum ferre iudicium, tum ijs feliciſsimè vti. Quæ sanè tractatio ad excitandos auditores est aptiſsima. Hic enim non vni tantùm morborum generi incumbimus, vt cum de febribus ageremus; sed omnia sæpe nobis percurrere necesse erit, vt omnibus morborum generibus quæq; pars corporis instrumentaria laborare potest. Neq; enim diuisiua methodus, qua Gale. morborum differentias venatur, ad aliud deducit, quàm ad intemperierum species, & tumorum præter naturam, & vnitatis dissolutiones, & demum ad omnes species atomas, si quis diuidendo prosequatur; ad phrenitim verò, & pleuritim non ducit.

Hæc Gale. secūdo ad Glau.

Porrò cum partium affectus dico, nemo sibi persuadeat, noua quædam morborum genera proponi, phrenitim, lethargum, pleuritim, anginam. Verùm eædem illæ morborum species, quæ antea in therapeutica methodo, communi quadam ratione considerabantur, intemperies, phlegmone, scyrrhus, nunc nobis certas quasdam partes corporis obsidentes proponuntur. Etenim angina quid aliud est, quàm musculorum gutturis phlegmone? Nec enim sat erat didicisse quæ esset phlegmonas curandi ratio, nisi etiam in hac parte quid exigat, nossemus. Multum enim vniuersalis illa curandi ratio pro partis natura euariat. Quod statim ipsa in exemplis exercitatione manifestum erit. Galenus igitur quò nihil vtile desideraretur, cum omnes morborum differentias curare methodo docuisset in Therapeuticis, & in vnaquaq; earum exercitij gratia semel, aut iterum de indicatione, quæ à parte est, meminisset, vt cum tertio decimo libro de Phlegmone cerebri, & iocinoris agit, dicato mox opere in omnibus instrumentarijs partibus lectorem exercet, affectus earum omnes methodo curare docens. In his verò præcipuè quarum ratione multum curatio euariat; quibus etiam à veteribus priuatim medicamenta descripta erant, vt cum ad lienosos, iocinorosos, nephriticos ea scriberent. Hos igitur libros perpetuò versare vobis opus erit, vt eos omnes, qui hunc agnitione præcedunt, therapeuticos, inquam, & de affectarum partium notitia, & qui de morbis, & symptomatis inscribuntur. Quoniam verò artem illam dignoscendarum partium non cuiuis peruiam nouimus (obscurus enim Galenus sæpe ob dicendi prolixitatem, sæpe quòd de ijsdem propositis vario modo loqui videtur, nunc plura, nūc pauciora in-

diciorum

diciorum genera statués, vt videatur superfluus modò, modò verò diminutus) non sanè vitio verti debet; siquidem qui primus in artem hęc dogmata retulit, non adeò distinctè ea protulerit, neque debitum ordinem seruauerit vbiq; in his tradendis, adeò vt exercitatum, ac diligentem lectorem desiderent. Est autem nobis in primis necessaria. Hanc in summam quandam redactam vobis tradere conabimur, mox eadem docendi formula, & vniuersalem methodum curatiuam 14. libris sparsam breui quodam compendio perstringemus. Hæc enim nobis velut lectionum nostrarum fundamenta statuenda sunt. Orandus interim est summus ille opifex, cuius donum medicina est, vt cœptis nostris perpetuò faueat.

Fundamenta quę suis lectionib. statuit author.

Cum medicus ad ferendam ægro opem accersitur, primũ, quod statim occurrit, est læsa actio. Hac enim tum vulgares, tum medici ipsi ægrum corpus agnoscunt: quo cognito de affecta sede inquirit, atq; affectionis modus qui sit, id est, num proprio affectu, an per cõsensum laboret. Demum qualis sit eius partis affectus considerat. Postremò causas. Hæc omnia scitu necessaria sunt, prius quàm de remedijs consultet. Præter hoc enim, quòd ad remediorum selectionem affectæ sedis notitia multum prodest, monstrat etiam qua parte applicanda sint, & quis sit applicandi modus, vt in particularibus actionibus liquidò patebit. Vobis igitur qui in medicorum collegijs versari debetis, siquidem monstrare est animus quantum in rationali secta profeceritis, hæc perpetuò proponere oportet, ac methodo, quam docturi sumus, inuestigare. Affectæ verò partes nunc sensui se offerunt, nullaq; egent arte, vel coniectura, nunc occultantur, in quibus laborandum est, vt in pleuritide, pulmonia. Nemo tamen sibi persuadeat ęqualem semper esse agnitionis certitudinem, quin potius multum distant inter se. Sæpe nanq; scientifica notitia dignoscuntur, sæpe sola artifex quædam coniectura habetur. Quando etiam præstantes medicos inter se dissidere videas, vt non multò antea nobis euenit in muliere quadam, quæ aduentante febre, conuulsionibus, & capitis dolore vehementi prehendebatur. Cum verò consensus quidam esset, magna disceptatio orta est, cui nam parti consentiret, contendentib. alijs ventriculo, alijs vtero consentire, esseq; partes eas primariò, & propriè affectas: at in pulmonia, & dysenteria certa cognitio est.

Sæpe verò euenit, vt ijsdem indicijs & pars affecta, & affectus ipse noscatur. Etenim vt actio lęsa affectam partem monstrat, ita læsionis modus, qualis sit affectus demonstrat: vt si furere delirantem quempiam videris, læsum cerebrum demonstrat. At furoris modus vt si cum risu sit, vel studio, vel taciturnitate id affectum declarat.

Contrà aliquãdo accidit nosci affectam partem, affectum non nosci. Neque enim vbi constitit, sanguinem ex pulmone reijci, statim quoq; patet, num apertio osculorum sit, an ruptio. Et rursus si quis ex alto cadens sanguinẽ cum tussi reijciat, nosti affectum, partem lęsam nõ nosti, num scilicet pectus, aut pulmo malum senserit. Hîc igitur alijs indicijs ad vtrunq; dignoscendum accedere oportebit. De affectuum itaq; agnitione, quę maximè ex proprijs symptomatis paritur, in particularibus capitulis agitur. Nunc ad dignoscẽdas affectas partes accingamur.

Methodus cognoscendi affectas partes.

Methodus verò hæc generatim ex his notis procedit: prima ex læsa operatione, quæ propria particulæ est. secunda ex excremẽtis, vel ex his quæ è corpore excernuntur. tertia ex dolore. quarta ex qualitate mutata. Quòd igitur ad læsam actionem attinet, hîc verò partium actiones, atq; vsum omnem callere oportet: quam rem longè, lateq; Galen. pertractauit. Quomodo verò ex læsa actione partem esse affectam significemus, facile est intelligere. Siquidem in memoria habeatis, tum partium vnamquãq; proprium vsum habere, atq; hunc probè edere, dum secundum naturam se habet: hoc autem est, sanum esse. Rursus inutilem reddi, cum præter naturam se habet, ac male est affecta: hoc autem est, morbum pati. Vbi igitur à solita, & sibi propria actione impeditur, necesse est aut intemperatam esse, aut in magnitudine vel numero, vel situ, vel structura læsam esse. Dico autem impedimentum, quod nota dignum est, vt vel debiliter agat, vel prorsus nõ agat, aut perperam agat. Trifariam enim actio lęsa nuncupatur. Cum verò plura organa ad eandẽ actionẽ concurrunt vt ad motum brachij, cerebrum, medulla, nerui, considerabis lęsionis magnitudinem, & num omnes partes occupet, an quasdam priuatim. Sic enim, si cerebrũ, omnes; si medulla, quæ infrà eam; si neruus, quę eo participant solum.

Primò de symptomatis.

Excrementa verò hoc modo sedem affectam monstrant. Cum enim quid præter naturam excernitur, considerare in eo est in primis vnde excernatur. Secundò qualia sint, quæ excernantur. Tertiò excernendi modum. Itaq; inspicies, num naturalia excrementa excernendi vias mutarint, inde affectam sedem deprehendes. Vomitus enim stercus olens, affectum tenue intestinum monstrat; & vrina per sedem reddita, vesicæ collum. Sic vulnerato abdomine stercus prodiẽs, vulnus intestinorum arguit, & efflatus per vulnus spiritus, confossum thoracem. Similiter & quæ præter naturam sunt considerabis, vnde excernantur, num per os, an per inferna, hoc est vrinis, vel deiectione. Nam si per superna, necessariò aut partes oris, aut venter, aut spiritualium instrumentorum aliquod laborat,

rat. Vtrum verò horum ſit ex modo excernendi conijcies. Si verò per inferna, vt vrinis, certum eſt aliquam ex partibus, quę vrinę excretioni deſeruiũt eſſe affectam, vel renes, inquam, vel vreteras, aut veſicam, aut penem, aut venoſum genus. Nondum tamen quid horum laboret noſti, ſed aliunde conijcere oportet. Hic verò maximè exercitatum eſſe oportet in Diſſectionum libris, & in his, qui de vſu partium inſcribuntur. Quòd ſi deiectione excernantur, vel inteſtina, vel meſaraicas venas laborare, eſt neceſſarium. Hæ enim partes hinc expurgare excrementa ſolent.

Vt autem certior, & diſtincta magis agnitio eueniat, mox qualitatem excremẽtorum conſiderabis. Primum qualia ſint ſecundum ſubſtantiam, num ſanguis, inquam, aut puris naturam referant, aut chyli, vel flatus, vel partes membri alicuius ſint, quæ excernuntur. mox colorem, & conſiſtentiam. Multum enim iuuat ad deprehendendam partẽ affectam, colorem ſanguinis diſtinguere, num floridus ſit, & tenuis, vbi laborare pulmonem ſignificatur; an craſsior, & pleniore purpura, vbi laborare pectoris partes intelligimus. Ad hoc quoque pertinet conſiderare, num ſincera ſint quæ excernuntur, ſanguis, inquã, vel pus, aut alijs excrementis ſint permiſta. Hinc enim vt longè pars ea abſit à qua excernuntur, probè diſtingues. Quæ enim à longè veniũt, interim corporibus liquidis occurſant, facilè admiſcentur. Sic igitur in dyſenteria conijcimus, num craſſa, aut tenuia inteſtina laborent.

Quòd ſi pars membri alicuius ſit quod excernitur, promptè oculis deprehenditur quæ ſit pars affecta, vt ſi ex vulnere cerebri ſubſtantiam diffluere cernas: quòd ſi parti illi multæ aliæ communicent, vt cum bronchij pars excernitur ſcreatu, aut deiectione pars tunicæ (illud enim aſperæ arteriæ commune eſt, & pulmoni, hoc tã tenuibus, quàm craſsis inteſtinis) neceſſe eſt vt ex magnitudine diſtinguas. Exigua enim pulmoni ſunt bronchia, & tenues cuticulę tenuibus inteſtinis; contra aſperæ arteriæ magna, & craſsis inteſtinis craſſæ.

Poſtremò excernendi modum ſpectabis, vt num confertim, an lentè. Nam ſi confertim, neceſſe eſt lata vaſa eſſe vnde excernitur. Sic ſanguinem reiectum, num ab aſpera arteria, in qua exiguæ ſunt venæ, an à pulmone, in quo magnæ, an à pectore, quòd inter hæc mediat. Sic, num è vulua, an ex eius ceruice ſanguis fluat: huius enim exiguæ ſunt venæ, vt in ſcreatu ſanguinis diſcurri poteſt. De hinc, num vi multa, an facile. Quæ enim facile excernuntur, ſi reliqua paria ſint, è magnis vaſis, & è propinquo excerni iudicabis. Sic igitur ex excrementis iudicabis, atque diſcurres. Ad modum excernendi.

nendi quoque pertinet ſi tuſsi, vel vomitu, vel ſcreatu excernatur excrementũ quodcunq; ſit. Ab his verò num dolor adſit conſiderato, vel prorſus abſit. Hinc enim aliquando partẽ affectam conijcimus, vt cum ſanguis deijcitur confertim, poſſunt recluſa eſſe ſedis vaſa; poſſunt & ſima iocinoris per meſeraicas effundere in inteſtina, quod ſine dolore fit. Sic & cum vomitu excernitur cum dolore, vlcus, ſine dolore redundantiam in venoſo genere ſignificat. Sic & in mictu ſanguinis diſcernes num è renib. vel è veſica excernatur. Sic pulmonia à pleuritide diſtinguitur. Si verò adſit dolor, ſitum primum animaduertite, quamuis adhuc diſtinctè partem nõ demonſtret, quoniam diuerſæ ſæpenumero partes ſitum eundem obtinẽt, vt Iecur, & Abdominis muſculi, & colũ inteſtinũ, & renes. Ideo ſtatim quis ſit doloris modus cõſiderabis, nũ ſcilicet pungẽti ſit ſimilis, vnde membranas affici ſignificatur, an diſtendenti, an grauanti. Primus enim doloris modus membranoſo generi proprius eſt, ſecundus verò etiam carnoſo communis, tertius uiſcerum eſt proprius: quoniam propria eorum caro, quam affuſionem dixere veteres, & rationem anno præterito diximus, non ſentit: ſed cum repleta eſt, membranam, qua appenditur, atq; inuoluitur, diſtendendo, dolorem facit. Mox num cum pulſu. Hic enim carnis eſt proprius ob arterias. Vnde lateris dolor diſtinguitur, num in membrana, uel in muſculis intercoſtalibus ſit. 2. de Locis affectis cap. 8.

Ex qualitate uerò mutata hoc modo coniecturam facias. In hoc verò genere colores ponimus, & tenſiones, duriciem quoq; & molliciem inſuetas: demum & tumores compendij gratia adnumerabimus, ut color rubeus maxillarum, inflammationem pulmonis ſignificat, & iocinoris: & lienoſis proprij quidam colorum modi ſuperueniunt, quibus de affectu uiſcerum ſignificatur. Sic & corrupti habitus corporis, ut inſolita macies, aut pedum tumor. In tenſione verò, & tumore ſic conijcimus, vt ſi ſuppreſſa vrina pubem intumeſcere ſenſerimus, non ſuperiora organa, ſed ueſicam ipſam laborare ſignificatur, & decidens in ſcrotum inteſtinum, diſciſſum peritonæum ſignificat.

Color rubeus maxillarum.

Affectus verò, qui ſenſum effugiunt, de proprijs eorum ſymptomatis coniecturam habent. Sunt autem propria hæc ſymptomata triplici genere. Vel enim actionum vitia ſunt, vt immobilitas, cæcitas; vel excrementorum mutatio, vt ramentorum deiectio, ſanguiniſq; ſcreatio; vel mutata qualitas, vt color, figura, calor, &c. vel dolorum proprietates. Statim enim morbi naturam propria quædam ſymptomata inſequuntur, vt tertianam febrem ſitis, & vigiliæ; phlegmonas verò dolores, & arteriarum pulſus, rubor. Nec ita credendum eſt,

dum eſt, quaſi vnumquodq; eorũ ſit proprium, niſi latius ſumatur proprietatis nomen. Sed ſyndrome illa ſymptomatum propria eſt: quoniam ab ea tum affirmatiuè, tum negatiuè licet arguere. Ad firmiorem verò notitiam nonnunquam & in externis cauſis diſcurrimus. Etenim hæ ad affectuum notitiam faciunt, 3. Metho. Eæ ſunt quæ corpori obuiant, vt ambiens, & quæ in corpus ſumuntur, & & quæcunq; illud alterant, quæ ſecant, percutiunt, tundunt. Mox & ex victus ratione omni, aliquid agnitionis aſſumimus: vt quomodo in cibo, & potu ſe habuerit; quomodo circa vigilias, & ſomnos, vacuationes ſuetas, vel earum ſuppreſsiones, & animi affectus: iræ inquam, triſtitiæ, gaudij, vbi prius exploratum habemus quid horum vnumquodq; poſsit efficere.

Demum ex naturali temperamento, ætate, corporis habitu nõnihil conijcimus. Cæterùm vulgaria hæc ſunt, & quàm minimum agnitionis præbent, quando in omni ætate, & regione, & omnino ambientis ſtatu poſſunt quæuis morborum genera oriri, vt & illud quòd talia morborum genera vulgò vagentur. Maxima verò, & præcipua agnitio eſt, quam propria morbi ſymptomata efficiunt, vt diximus. Quod verò ex his, quæ iuuant & nocent, ſignificatur, vnum non eſt; ſed tam affectus ipſe, quàm affecta ſedes inde monſtratur. Quare vtriuſq; eſt communis nota, à qua affirmatiuè licet arguere ſi proſint, negatiuè non licet. Nam ſi noceant, aut affectus alius erit aut non ea pars erit, quæ afficitur.

Ex his ergo quæ demonſtrata ſunt patere arbitror, quomodo in his morbis dignoſcendis, quibus curationes tradere debemus, procedere oporteat. Proponuntur itaq; vt ſuprà diximus, affectus vnà & pars quæ afficitur, cum pleuritim dicimus. Quare non ſimplices notæ morbi eſſe debent, quæ pleuritim, vel anginam nobis monſtrant; ſed duplices, vt vnà & affectus notas, & affectæ partis iungamus. quod ſanè Paulum, & Raſim feciſſe videmus. Syndromen enim ſignorum proponunt, vtraq; iungentes. quod ſatis ſingulą capita inſpicienti apertum erit.

Hactenus docuimus qua ratione pars affecta deprehendatur, & inſuper morbus, quo afficitur. Cæterùm hæ notę, quas diximus, æqualem vim non habent. Excrementa enim, & his magis dolores certò partem affectam demonſtrant. At ex operatione læſa, affectã quidem partem demõſtramus. Cęterùm multum refert noſſe, num proprio affectu laboret, an per conſenſum; num primarius affectus ſit, an ſecundarius. Niſi enim hæc probè diſtinguãtur, curatio rectè procedere non poterit. Sciendum itaq; eſt partes quaſdam ita ſibi mutuo conſentire, vt tametſi nulla ſubſtantia alteri communice-

tur, attamen vnà laborent. Exemplum est vbi ex morsu oris ventris quia est maximè sensile, syncope oboritur. Hæc enim passio cordis est, cor verò per consensum affici dicitur. Sed in animalibus instrumentis id præcipuè videas euenire sæpissimè. Finge enim quintam vertebram affici, ita quòd oblędatur medulla, respiratione animal priuatur; attamen spiritus instrumenta proprio morbo non laborant, sed morbo spinę consentire dicuntur, ac per consensum affici. Hoc igitur distinguere oportet: Nam qui pectori remedia adhiberet, nihil proficeret, quoniam pars propriè affecta nõ est, sed spina: quare statim de parte distinguendum, quomodo laboret, proprione affectu, an per consensum. Sed & illud distinguere oportet, num primarius is affectus sit, an secundarius. Dico autem secundarium, qui alium insequitur, vt varices durum lienem, & dolor capitis ex ventris intemperie biliosa. Hoc enim necessarium est distinguere: Nam si parti secundariò affectę prouidentiam adhiberes, frustra cõtenderes; quoniam oportet fontem mali abscindere. Animaduertere igitur oportet in primis, quòd per consensum pars afficiatur, id animalibus instrumentis solummodo euenire, quòd his à primo suo initio, id est, cerebro vis animalis influat sine vllius substantiæ defluxu, sed perinde atq; à sole lux funditur. Sic Galen. 7. de Plac. exemplificat, & nos anno elapso de his omnib. latè disputauimus. Si ergo sola animalis actio per consensum in parte tollitur, solùm in illis de consensu est suspicandum, id est, vbi animalem actionem deperditam videmus, id est, sensum & motionem. At cum partem quampiam propria sua functione destitutam videmus (sensu, & motu excepto) statim proprio affectu laborare eam iudicandum est. Vbi verò aut sensu, aut motu priuatur, distinguendum tunc est, an eam partem, vt oculum & linguam, malum obtineat, an potius alteri consentiat.

Sed quia confundi aliquando nomina solent, ne fortè apud authores legendo dubitetis, est sciendum ex libro tertio de Locis affectis, quòd cõsensus, qui propriè dicitur, ille est, quem descripsimus, vbi pars nullo proprio morbo afficitur, sed alterius affectu solùm. Cum verò ad alicuius partis affectum, altera quoq; laborare visitur vt morbus ex morbo oriri solet, iam poterit & hic consensus dici, sed minus propriè. Potius enim secundariò affici dicetur. Hoc autem fit vel quia vapores transmittuntur, vt cum ex vtero capitis dolor, & conuulsiones fiunt 6. de Loc. 4. & 6. Epid. primo, atq; tunc maximè à primo illo affectu pendent, & augentur eius proportione, & cessant, aut iam fixa est humida materia, atq; in membro permanentè intemperiem facit, quæ licet foueatur, & augeatur à prio-

re illo

re illo affectu, attamen illo quoque cessante permanere potest, vt cum vitio lienis iecur, & omnino venarum concoctio vitiatur: siquidem & hic consensus quoque dicatur, maximè impropriè dicetur.

Igitur consensus seu proprius, seu improprius sit, hoc modo distinguitur: Animaduertes num incipiat, augeatur, & cesset cũ altero morbo, seu etiam ille præcesserit prius quàm hic secundus adoriretur. Mox partem ipsam considera, si quid circa eum affectum animaduertere potes, aut intemperiem, aut tumorem, aut colorem mutatum, quod facilè erit (siquidem externæ sint partes) quòd si nullum reperias, alterius affectu affici iudicato, & erit propriè consensus. Si verò etiam in eo intemperiem discernas tactu, & visu, & dolore, & tumore, &c. & tamen ad alterius motum prorsus mouetur, consensus: & hic erit, minus tamen proprius. Applicita verò remedia id maximè aperient, seu propriè consensus sit, seu impropriè. Nam nisi authori mali adhibeantur, prorsus sanari nõ poterunt. Exempla habes à Galen. 1. de Loc. & 6. de San. tuen.

ἰδιοπάθεια, συμπάθεια, πρωτοπάθεια δευτεροπάθεια

Methodus curatiua cõmunis omnibus morbis sanandis.

His explicatis, superest, vt curatiuam methodum aggrediamur, quę scilicet communis est omnibus morbis sanandis, in qua primũ auditorem probè exercitari oportet. Nam si absque ea particulares morborum curationes aggredereris, onerosum nimium esset in singulis capitibus eam repetere, ac prolixum valde. Quin potius hanc vniuersam artem semel explicatam supponere oportet, atque in promptu haberi: mox ad vnamquanq; morbi speciem accommodari. Nam qui ea duce non procedit, vt ab initio diximus, nihil artificiosum, & certum proferet, sed temere omnia faciet. Porrò diximus antea negocium hoc nostrum, quo in affectis partibus exercitamur, nil esse aliud, quàm vt artem curatiuam methodo traditam ad partium affectus accommodemus. Eius autem munus, finisque est vnicuiq; morbo proposito, vbi prius tum affectus, tum pars affecta nota fuerint, remedia conuenientia inuenire, & his, quantum homini licet, commodissimè vti. Quæ sanè ars in Therapeuticis libris adeò sparsim, & tanta verborum inuolutione tradita est, vt diligentem collectorem desideret, qualem (quòd sciam) nullus antea extitit, cum multi methodum rationalem profiterentur. Nam Auic. cuncta obscuriora reddidit, cuncta sordida, & frigida effecit: omnia fœdat. Vnde nec mirum si eius doctrina tales nobis medicos pepererat, qui nihil artis in suis curationibus demonstrarent. Num verò ipse assecutus sim, ipsi iudices eritis.

Secũdo ad Glauc.

Scopi curatiui.

Igitur scopos, siue proposita, quę medicus inuestigare contendit quatuor generibus comprehendit Galenus. Primum est remedio-

rum selectio; secundum, mensura; tertium, occasio adhibendi; quartum, modus vtendi, seu applicandi ea. Nec enim sat est nosse quod vacuandum, aut calfaciendum sit, nisi & vacuationis, & calfaciendi mensura habeatur, & tempus, quo commodè ea fiant, & quæ sit administrandi ratio ineunda. Nam qui in vno horum deliquerit, poterit ęgrũ perdere. Vnde & Herophilus dicere solitus est, Nihil magnum præstare auxilia posse, ni commodum administratorem nacta sint. Quinimò sine eo nõ magis vsui esse, quàm dãno. Qui igitur aliquid nõ temere, & sine arte, sed rationali quadam via, quã Methodum dicimus, inquirit, necesse est sibi ante oculos scopos quosdam proponat, ad quos respiciẽs, indicia sumat eorũ, quæ inquirit; aliter frustra contendet. Sic igitur medicus, qui quatuor illa proposita inquirit, statuere scopos oportet, vnde ea inueniat, atq; eorum naturam probè callere, vt optimè agnoscat quid indicent.

Herophili dictum.

Igitur scopos ad quos respicientes quatuor illa proposita inuenimus, compendij gratia triplici genere comprehendimus. Alia enim secundum naturam sunt, alia pręter naturam, alia neutra sunt, & inter ea ambigunt. Quæ igitur secundum naturam sunt, hęc sunt, temperies corporis, atq; habitus, ætas quoq;, & consuetudo, quæ omnem victus rationem complectitur, id est, alimẽtum, exercitia, somnos, studia, demum & principum partium vires, & quæ his deseruiunt. Contra verò, præter naturam sunt morbus, causa morbi, & quæ morbum sequuntur symptomata. Neutra verò dicuntur Ambiens ipsum, quod vna cæli præsentem statum, & tempus anni, & regionis conditionem complectitur. Inde neutrum dictum, quòd aliquando ijs, quæ secundum naturam sunt, annumerandum est, cum morbo aduersatur, & causa salubris euadit. Aliquando ijs, quæ præter naturam, cum causa insalubris fit, & morbum fouet.

Cum itaque hæc omnia circa ægrum corpus spectaueris, mox scire oportet, quid eorum vnumquodq; indicet, ab his, quæ secundum naturam adsunt, auspicantes. Quòd igitur omnia, quę sunt secundam naturam seruari se postulẽt, nemo est qui ambigat: Hinc enim sanitas, imò vita ipsa consistit. Siquidem omnia, quæ in ægro corpore sunt secundam naturam se habeant. quod rursus omne quod seruatur sibi similibus conseruetur, hoc insuper axioma est, & per se notum. Quæ enim similia sunt non alterant: At corruptio sine alteratione non est, vt Physici monstrant. Relinquitur igitur vt seruent. Ex his sequitur, omnia quæ secundum naturam sunt similia exposcere, quare humidis corporibus humida magis admouenda sunt, & siccis sicca, indicante ita naturali temperamento. Ætas verò, & consuetudo, inquit Galen. temperamenti interuentu indicant

Similia similib. seruantur.

indicant: Etenim ætas naturale temperamentum declarat, vt pueri humidum, senes siccum. Consuetudo verò acquisititium, quod naturalis loco eo tempore est habendum: seu in melius, seu in deterius sit permutatum. Neq; enim ægro corpori expedit temperamentum, quod nunc obtinet mutare, sed id per longum ocium fieri Galen. præcipit, cum sanum degit animans: Cum verò per morbum à naturali temperamento deuiat, ab eo sumimus indicium mensuræ alterandi, id est, quatenus siccandum sit, vel calfaciẽdum. 2. ad Glau. Prius enim sanum non est, quàm proprium temperamentum attigerit. Has sanè oẽs indicationes, quæ ab his, quæ secundum naturã sumũtur accepit Hipp. cũ inquit: Victum humidum febrientib. conuenire, pręcipue pueris quòd scilicet ea ętas humidum temperamẽtum indicaret: cum verò ait, Et his maximè qui tali victu vti consueuerunt, acquisitum ex consuetudine temperamentum annotauit. Quod verò de totius temperamento dicimus, id ipsum, & in partibus est obseruãdum. Nam etiam naturalem eorum temperiem seruare oportet, idq; similibus, vt sicciora siccis natura partibus, & humidiora humidis adhibeamus. Sunt autẽ siccæ partes omnes, quæ neruo, & osse abundant; humidæ, quæ carne, & adipe: vt in libris de Temperamentis est expositum. Sic 6. Meth. ad aurem purulentam siccissimis vtitur detersorijs: ad penem, verò, & testes, humidiorib. Cæterùm non temperamentum solum parti secundum naturam inest, sed & alia, quæ ipsi, vt instrumento insunt: hoc est præstantia, à qua multum indicatur. Aliter enim principes partes tractare Secũdo ad Glauc. oportet si phlegmone laborent, aliter ignobiles vsu: idq; ob actionis præstantiam, cuius rei exempla habes à Galeno. xiij. Metho. vbi docemur, principum partium, & earum omnium, quæ actionẽ toti communem habent, robur esse quã maximè seruandum.

Mox situm, & colligantiam ad reliquas partes spectabis. Multũ enim refert, an pars affecta in sublimi sita sit, an alijs partibus obtecta lateat. Nam quę latent, vehementiora desiderant, ne interim vis medicamenti languescat. Huc verò & distantia spectat, vt si per ebibita sananda renum vlcera, quòd longè absint, remedia vehementiora poscunt, & vnà quæ eorum vires deferant ad longinqua. Itaque detergentibus diuretica admiscebimus. Ad situm quoq; partis pertinet nosse, vt prona pars sit, vt facile inhærere medicamenta possint. Hinc est inuentum, vt eclegmata viscida in pectoris vitijs Quinto Methodi. conficiantur, quo gutturi diu inhęrentia aliquid ex his intra viscus exudet. Sed & applicandi ratio hinc inuenta, vt resupini diu in orè teneant, laxatis gutturis musculis.

Ex partium verò cõsociatione, seu colligantia maximè habetur

qua via corpus vacuandum sit, si quando vacuationem exposcit. Etenim vacuatio quàmmaximè fieri potest facilis, & sine noxa esse debet, & celeriter prodesse; quocirca, per determinatas quasdã partes, non temerè ex vnaquaq; fieri debet. quod sanè pręceptum tum ad purgationes, tum sanguinis missionem est commune: Nam ita præcipit fieri per communes venas, tum vacuationem, tum auersionem Galenus. Sic & purgatio iocinoris optimè per intestina perficitur, quibus per venas mesaraicas iungitur, præsertim ipsius caua. sic ventriculus vomitu, renes vrinis. Etenim præcipiebat Hippo. dolorum proximum ventrem purgandum, id est, per proxima loca fieri debere.

Septimo Methodi.

Primo ad Glauc.

Quoniam propositum nostrum erat, de curandis affectis partibus agere, necesse in primis erat, vt methodum haberemus, qua duce, eæ dignoscerentur: quam etiam nobis ex Galeni libris comparauimus; atq; hanc aliquando quidem certam scientiam, nonnunquã artificem quandam coniecturam nobis parere diximus; quæ sanè si exercitatum, & natura prodentẽ medicum offenderet, certitudini foret proxima. Mox de affectuum indicijs pertractauimus, methodum itidem statuentes, qua dignosci possent, proprijs, & maximè necessarijs indicijs. Superest modò, vt particularia affectuum capita aggrediamur, ac quomodo methodo curentur, doceamus. Porrò, vt antea diximus, singula capita eorum, quæ hîc tractantur, affectuum vnà, & laborantem partem signant, vt Cephalea, Phrenitis, Pleuritis: Ideo curationes quoq; tales esse oportet, vt vniuersalem quidem curationem iungant vnà cum indicatione: quæ à parte est, atq; ita completam curationem affectùs, qui in parte consistit, constituãt. Exempli gratia, Phrenitis phlegmone est in membranis cerebri: qui ergo phrenitim curat, necesse est, vt vniuersalem phlegmones curationem accipiat, ac illi iungat omnia illa, quæ indicat particula, vt quòd principi parti sunt coniunctæ, & natura frigidæ, & valde sensiles, & validis ossibus opertæ; atque ita curationes rectam statuet. Igitur morborum differentias omnes curare Galen. docuit in libris, qui Therapeutici dicuntur; neque de his, prout in parte aliqua consistunt, pertractauit, nisi aliquando, exempli gratia, vt contra Thessalos doceret, quantum pro natura partis curationes euarient. sic de phlegmone iocinoris, sic de phreniti, & lethargo egit: sed opus erat, vt non in vno, aut altero exemplo lectorem exerceret, sed in omnibus: atq; doceret, quomodo morbi, qui in singulis partibus eueniunt, methodo curentur; quod & effecit in eo libro qui de Medicamentis secundum locos inscribitur; quem sanè librum perpetuò in manibus habere oportet: cui scopus est propo-

Hic uidetur deesse curatiuæ methodi vniuersalis epilogus: is uerò habetur infrà, post caput de pleuritide.

situs

situs, in quauis parte, quocunq; morbi genere, commoda auxilia inuenire: ac de his, quæ antea ab alijs scripta inuenerat, eadem rationali methodo iudicium ferre. Ab eo igitur libro, velut à fonte quodam, posteriores omnes remedia hausere. Multi autem hi fuerunt, tum Græci, tum Latini nominis, tum Arabes. Huius enim generis est, & quod ab Oribasio Syntomon est inscriptum, & Pauli liber tertius, & Aetij. Sed & multi alij non ignobiles Græci post Galenum id aggressi sunt. Quòd verò Rasem cæteris præposuerimus, non id in causa fuit, quòd is cæteris methodo excesserit. Nil enim amplius hoc libro ab eo habebitis, quàm si merus esset Empiricus. Verùm ipsius scribendi ratio ad nostrum commentandi propositum est aptissima, præcipuè ob breuitatem: & quoniam ea solùm affectuum capita persequitur, quæ præcipua sunt, & maximè vrgent. Vnde & diligenti examine indigent, & præceptoris operam maximè desiderant.

Quòd igitur Galen. de Hippo. aliquando ait, id & nos de hoc authore: non ita illi addictos esse, vt in eius verba iurauerimus; quod Sophistæ facere solent: qui pro suis sectis impudentissimè mentiri non verentur. Nos verò iudicem curationum methodum habebimus, ac quatenus illi in proponendis remedijs consentire videtur, eatenus ipsi subscribemus; sin secus, ab eo desciscere non verebimur. Cum hoc verò, & Pauli curationes comparabimus, & aliorum, si qui digni sunt, vt eorum scripta in censuram veniant.

De Cephalea, Cephalalgia, & Hemicrania. Caput II.

PRimi igitur capitis titulus est de Cephalea, & Hemicrania, vt Cephalea omnes dolores capitis totius comprehendat, priuatim verò Hemicrania, capitis dimidium. Est autem hîc animaduertendum pro his, qui Galenum & Paulum legent, ne fortè in nominibus hæreant, quòd dolores capitis nouos, & facilè solubiles, cephalalgias nominare consueuerunt, ægrè verò solubiles & inueteratos, cephaleas; quandam verò eorum speciem, priuatim hemicraniam. Hæc ergo nomina vnà affectum, & affectam partem nobis significant: sed affectus, hoc loco symptomatis nomine significatur, cum dolorem capitis dicimus. Dolor enim symptoma est, quinimò vehementissimis symptomatis adnumeratur: symptomati verò curatio, primum non debetur, 12. Metho. Etenim ad cura-

tionem ipsius affectus curatur; quanuis aliquando ob eius magnitudinem cogamur causæ, id est, morbi, obliuisci, & ipsi soli vacare; vt quando causæ rationem obtinet, id est, vt morbum faciat, vel augeat. Sed de hoc in postremo capite mentio fiet; nunc veras curationes, quæ causam tollunt, respicere debemus; id est, morbos ipsos, qui sunt dolorum causæ.

Qui igitur dolorem capitis curare vult, necesse est, vt affectus omnes dignoscat, à quibus dolor excitatur. hoc autem est quærere doloris causas. Hæ autem vt 12. Metho. habetur, & ipsa natura rei monstrat, continui diuisio est, & alteratio, si confertim fiant. Videmus enim à duplici hac causa partes dolere. quæ ergo corpus alterant, idq; subitò, dolorem maximum inuehunt. Similiter & quæ cõtinuum dissoluunt. Alterant verò confertim calor, & frigus, quòd maximè actiuæ qualitates sunt, inquit Paulus: itaq; & ab his maximè dolores excitantur. à siccitate verò leuior multo: ab humiditate autem nullus, si per se eam consideremus, inquit Galenus: humoris verò adiuncti ratione soluere continuum potest, atq; ita ex accidenti dolorem causare. Soluunt verò continuum, quæ partem distendunt, pungunt, mordent, diuellunt: quod sæpe & ab externis causis fit, sæpe & ab internis, vt ab humoris qualitate, vel multitudine.

Hæc ferè primo de symptomatum causis. Quòd si quis Galenum sectatus 4. Simpl. dicere velit, dolorem vnam tantùm proximá causam habere, scilicet continui solutionem, neq; id prohibemus. Credidit enim ille calidum ea ratione dolorem facere, quòd partes segregat; frigidum verò, quòd densando eas, quas attingit, ab alijs diuellit: diuellere autem, & segregare, quid aliud est, quàm cõtinuum soluere? Nec mirum videri debet, si parum cõstans esse videatur Galenus in assignandis doloris causis, cum alibi solam continui solutionem, alibi etiam alterationem, causam asserit. Etenim si rei naturam spectemus, dolor semper continui solutionem in parte sensili insequitur. Verùm medicus cum curationes molitur, duplicem hanc causam consideret oportet, quòd diuersam curationem exigat. Alia enim curatio est solutionis continui, quæ à simplici alteratione fit, id est, per contrariam alterationem: alia eius, quæ à diuidente, pungente, vel conuellente partem, gignitur. Ideo, vt omnes causas curatiuas doloris inueniat, necesse habuit, præter diuisionẽ continui, quæ propriam curationem desiderat, alterationis quoque meminisse, quæ est prior, & euidentior causa, quæ se tolli postulat.

Causa verò cur à calore, & frigore maximi dolores excitantur, ex natura actionis est, quòd celerrimè alterant; aliæ verò qualitates nõ

ita.

ita.ſed ſiccitas,niſi calori iungatur, vix doloris ſenſum facit, quòd lentè agit,& multò magis humiditas, vt 7. Metho. ſcribit Galenus.

Non enim fit dolor,niſi confertim pars à natura propria recedat vt ex Plat. Timęo annotauit Galen. Quæ enim ſenſim alterationes fiunt,ſenſum latent,nedum dolorem faciant. (Hæc in libro de Tremore, & 12. Metho.) voluptas verò, cum in naturam propriam reuertitur. Dignum autem animaduerſione eſt,quomodo aliquando dicat,quod & nos experimur,Reditum quoq; in naturam dolorem inferre,ſi affatim fiat. Hæc enim contraria ſunt,reditum ſubitum voluptati eſſe,& dolorem facere. Reſpondeo ex his,quæ anno ſuperiore ſuper arte medica diximus. Subitus enim ad naturam reditus per ſe voluptatem creat, vt patet in celeri omnium excremẽtorum eiectione,ac præſertim ſeminis. Per accidẽs autem dolorem infert, quemadmodum apparet, ſi manus ex vehementi frigore rigida, apud ignem calefiat. Statim enim in vnguium radicibus, dolor magnus excitatur,ab inæquali illa intemperie; quemadmodum Gale. docet in eius tituli libello.

A calida igitur & frigida intemperie dolor excitatur vehemens, vt diximus,tametſi materia non adſit. Sed ſimplex,faciliſq; curatio eorũ eſt. Quòd ſi materia adſit,iam duplici ratione oberit, & quòd frigore nocet,vel calore, & quòd multitudine partem diſtendat, ac diuellat occulta eius ſpacia;vnde & dolor fiet. Quòd ſi quoq; qualitate aliqua mordente ſit prædita,præter alterationem & diſtentionem,quam facit,etiam erodit, ac ſecat:vnde tribus modis dolorem infert. Primum ergo ſimplex intemperies curanda eſt. Solent autẽ has gignere procatarcticæ cauſæ, vt ſolis æſtus: vel ſi fortè cauſticum medicamentum adhibitum ſit. Hanc igitur primum ex procatarctica cauſa, dignoſces: & erat ſignum dignoſcendi affectus in noſtra Methodo:mox à calore, qui tactu ſentitur,quòd ad qualitatem mutatam attinet, & oculorum rubore: qui quomodo eueniat audietis. Neque enim veriſimile eſt adeò exhauſtum eſſe ſanguine corpus, quin exuſtione aliquid in capitis partes attrahatur. replentur ergo venæ neceſſariò nonnihil : præcipuè verò apparent quæ in oculis, quoniam facilius in his, ob albedinem tunicæ, ſanguinis repletio deprehenditur. Contrà ergo erit hæc intemperies, cum materia, id eſt, cum ſanguine. Reſpondetur,adhuc ea portio ſanguinis non aſcendit,quæ actionibus obſit, & ſit morbus, ſed ſolum quod nocet, eſt ardor,& quod dolorem facit. Neq; enim niſi in magna copia dolorem facere poteſt. Aliud quoque ſignum in qualitate,mutata eſt cutis ſiccitas, qualem ſanè apud agreſtes homines ſentimus. Subdit Galen. Et frigidis gaudent, Quod ſanè ſignificat

Dubitatio & eius ſolutio.

intemperiem calidam esse. Nam sicut naturales temperaturæ similibus gaudent (secundo Technes) ita & quæ præter naturam, contrarijs. Etenim quodlibet, quod è sui natura est egressum, vnde & ęgrum est, statim contraria quærit, quibus in propriam naturam ducatur. Subiungit Paulus, Et ijs iuuantur. & est argumentum sumptum à iuuantibus, & nocentibus, quod duas habet partes. gaudere, id est, appetere talia, & ijs iuuari. Pars verò affecta necessariò ea est, quæ primum obuiat causæ.

Vnde est animaduertendum, vt Galenus ait, partes capitis, quæ infestantur, esse externas omnes, hoc est cutim, musculos, qui adsunt, & pericraneum dictum. Ex internis verò membranæ, arteriæ, venæ. Cerebri nanq; corpus non dolet, quoniam nec sentit: dolor verò sine sensu non est. Quòd si secundo de Medicamentis secundum locos, dixit, in substantia cerebri esse, intelligit in ipsius partibus internis. Igitur ardor cum primo externis obuiet, eas partes primò afficit: potest tamen & internas interim inurere; quam rem distinguere difficile est; neque tamen plurimum refert. semper enim itidem remedia sunt applicanda. Si tamen interna vruntur, pulsus temporum fit, sæpe & febris succedit, cordis consensu, quæ sanè est ephemera, & aeris frigida inspiratione maximè gaudemus, quòd aeris substantia, ex libro de Instrumento olfactus, ad cerebrum perueniat.

Igitur intemperies vel prorsus fit, vt incalescat solummodo, & exuratur; adhuc tamen non incaluerit, & causæ ipsius amotione cessat. quomodo autem differant calere, & incaluisse, patet tum in lib. de Diff. febr. tum de Medicamentis secundum locos. Incalescere enim dicuntur, quæ in ipso affici adhuc sunt, & permanentem calorem non conceperunt. Quæ verò incaluerunt, iam permanentem, & velut in habitu calorem habent: & sic intemperies partim fieri, partim facta esse dicetur, & inæqualis intemperies dicitur: de qua Galenus, difficilem, & à paucis, vel nullo, quod sciam, intellectum librum composuit, à qua dolor excitatur. Nam quæ prorsus facta est ita, vt prorsus incaluerit, dolorem non facit, & est æqualis intemperies, vt hectica febris, & ex morbo senium. Mediæ igitur quæ & inæqualis dicitur, curatio debetur. hæc communia omnibus intemperaturis dicta sint.

Curatio doloris capitis à causa calida.

Quòd igitur curatur, calida intemperies est; curatur verò in capite. Igitur vt in vniuersali methodo diximus, necesse nobis est vniuersalem calidæ intemperieri curationem accipere, atque eam capiti adaptare. Igitur Galenus 7. Metho. quem librum in toto hoc capite in manibus vos habere oportet, ita inquit, Intemperies, mor-

bus proprius similiarium est, à quo scilicet earum actio læditur: hæc autem tollitur inducendo contrarium, quo vsque ad symmetriam redeat, in qua sanitas consistit. Quod vt efficias, remediorum copia est opus, & congruo eorum vsu. Copiam autem habebis si in libris de Simplicibus medicamentis fueris exercitatus. Congruum verò vsum ex natura partis habebis. Itaque in proposito, quòd intemperies calida est, frigidis tollatur oportet: vt verò probè ijs vtaris, partis natura monstrabit. Ab ea nanque & quantum sit refrigerandum, & quando, & quomodo habebitur; quæ sanè sunt quatuor proposita medici, 1. ad Glauc.

Primum igitur, quoniam caput supremo loco positum est, nec validas repellendi vires habet, hinc fit, vt facilè vaporibus, & humoribus in hoc statu repleatur. Etenim pariter dolor, & calor attrahũt. Hinc necesse est, inquit Galenus, de Ven. sectio: cum frigidis astringentia admiscere. Nam frigida, & quæ adstrictione participant, repellunt. Ex eo verò quòd pars in profundo sita est, & denso ofsis obice operta, non facile penetrant quæ valde adstringunt: solent enim terrestria esse, & crassarum partium, quarto de Simpl. ideo hac ratione eligenda erunt, quæ maximè tenuium partium sint. Huius naturæ rosaceum est, maximè ex acerbo oleo, & rosarum copia confectum, vt Dios. docet, & recens. Habet enim vtranq; vim. Iam autem magnus remediorum campus sese offert. Nam & cucurbita, & cucumeres, tum parui, tum magni, & cichorij succus, & acetosę herbæ, & lactucæ, & semperuiuij vtriusq;, vbiq; præstò sunt. His verò vel rosaceum admiscere oportet, vt vim repellendi maiorem obtineant, vel vuæ immaturæ succum, vel pampinorum, aut qui ex vitis germinibus exprimitur. Sic igitur iam auxilia inuenimus ex nobis ipsis sine monstratore.

Quæ verò mensura refrigerandi esse debeat, primùm ex affectus magnitudine dignosces. vt 7. Metho. docemur. Etenim si multus ardor sit, magna quoq; refrigeratione est opus: sin exiguus, parua, præsertim si æstas sit, quando maximè euenire solet: sin autem, de refrigeratione minues. Ex situ quoque partis docemur validiora, quàm alteri parti remedia admouẽda: propterea quòd priusquam ad profunda perueniant, robur eorum dissoluitur. Itaq; si frigidissima præstò non sint, ea, niue circundato vase, vel in fontibus suspenso, refrigerabimus. Modus verò applicandi itidem ex situ habetur. Quòd enim pertransire ossa debent, poterunt medicamẽta ex alto perfundi, Embrochas vocant. Eadem ratione, & syncipiti præcipuè admouebimus, quòd ea parte tenuius est os, & sutura laxior: Sed & ea parte maximè egemus, quòd plurimum ab externis cau-

Vide quæ 8. Meth. in cura ephemerę ex ardore.

ſis affici ſolet, & facilè in intemperiem labi; propterea quòd pluribus venis, & arterijs eſt referta.

Tempus verò maximè refrigerandi & repellendi eſt, dum maximo ardore pars premitur. Nam vbi ſe remitti cœpit, ad ea, quæ concoquant tepido calore, & digerant ſi quid collectum eſt, confugimus. Vnde & chamęmelinum oleum roſaceo admiſcebimus. Si verò malum multos dies duret, etiam ea, quæ magis reſoluant, adhibebimus. Signum enim erit, aliquid materię inutilis attractum eſſe quod diſſolui poſtulet. Itaq; ſerpillum, ocimum, pulegium, hac ratione adhibebimus, roſaceo ſubigentes, & ita emplaſtris vtemur, quæ efficacius digerant. Iam enim videtur in aliud genus tranſijſſe morbus. Hęc Pau. in fine capitis. Animaduertendum verò in eius remedijs, quòd trochiſci, quos componit, non videntur prorſus huic affectui conuenire, ſcilicet à cauſa calida. Conſcribuntur verò à Galeno ad hemicraneam, qui eſt dolor diuturnus, & difficilis, de quo poſt agemus.

Sed & naribus quoq; refrigerantes ſuccos, aut olea inijcere expedit, & odoramenta eiuſmodi, quales violæ ſunt, & roſæ, & poma: cauendum verò à contrarijs. Quòd autem ad victum attinet, ſubtrahere de cibo oportet, & eo refrigerante vti, & à vini potu abſtinere. Prodeſt, & balneum, & ſomnus, & omnino quies: Vitent iram, clamorem, ſolis occurſum, & omnino quæ caput poſſunt incendere. Iuuat etiam molliter aluum ciere.

De dolore capitis à cauſa frigida.

De frigido verò affectum eadem via incedendum eſt. Primùm enim ſigna affectus inueſtigare oportet, mox & partis affectæ. Sunt verò affectus notæ contrariæ prioribus. Facies enim tactu frigida eſt, & mollis, & decolor, & gaudent calidis, & illis iuuantur. Vt verò calor potius vigilias, ſic refrigeratio ſomnos conciliat, niſi doloris obſtet vehementia.

Scopi autem curatiui ſic ſumuntur. Cum enim calfacientibus ſit vtendum, noſſe oportet, & qualia ea ſint, & quomodo vtare, & quâtum, & quo tempore. Quo ad primum, remedia ex oleis petuntur, quoniam imbibunt medicamentorum vires. Hæc verò nihil aſtringens habeant oportet: Nam ex affectu potius aſtricta eſt cutis, & ex externa cauſa. Præterea tenuium partium eſſe oportet, ob ſitum partis affectæ, & validarum viriû, ne interim dum tot corpora permeare debet, vis medicamenti retundatur. Strenuè igitur calfaciunt ſerpillum, ruta, amaracus, lauri baccæ. Hæc verò vel incoqui poſſunt, atq; ita embrocha perfundi: incoqui verò ni aqua, vel etiam adiecto oleo, atq; ex coctis herbis quouſq; aqua abſumatur. Inijcitur autem ne nidorem ſentiant: qua ratione etiam in vaſe du-

plici

plici confici poſſunt. Quædam verò habentur præparata, vt rutaceum, laurinum: quo ſi velis vti, craſſum cũ ſit, neq; fluxile, oportebit alijs oleis admiſceri, quo pfundi eo caput poſsit. Patet aũt quòd & cum actuali calore, quantum bene ferri poteſt. Huius generis eſt ſtœchas, & ſpica, quæ in hortis alitur. Sæpe & ijs incoctis lixiuio caput abluere potes. Apponit verò & medicamentum, ex euphorbio Galenus, ex cera, oleo, & euphorbio recenti, quod & fluxile magis, aut minus confici poteſt, vt plus, minúsue ceræ inijcitur.

Modus verò applicandi eſt, vt itidem ſyncipiti, & naribus applicetur. multum enim iuuatur cerebrum per ea quæ naribus inijciuntur, vel inunguntur: quæ omnia ex capitis fabrica habentur, vt ſuprà eſt proditum. Quòd ſi colliſu quodam, vt diximus, applicentur, melius erit, quòd ſanè ex ſitu partis docemur.

Quantitas autem calfactionis, ex magnitudine affectus habetur, & ambiente aere, vt diximus. Victus ratio contraria ſit. Nocet enim ſomnus nimius, quoniam ſuperflua congregantur: oportet laborare, & à cibo abſtinere. Potus, Vinum ſit tenuium partium. Aer ad calidum, igne, & odoramentis præparetur.

Mox ad materiales intemperies accedendum: quæ ſanè multis nominibus doloroſę eſſe ſolent: primùm qualitatis ratione, vt ſi biliosa materia ſit: mox multitudine, quæ membranas extendat, ac partes diuellat: demum & acritudine, & mordacitate, qua erodat, & mordeat. Materia verò, vel vaporoſa eſt, aut flatuoſus ſpiritus, aut humor. Primùm igitur de his, quæ ab humore pendent, agemus. Eſt autẽ humor, aut ſanguis, aut pituita, aut flaua bilis, aut atra: atq; hi vel ſolum irrigant partes capitis, vel alicubi præter naturam tumorem faciunt.

De cura materialis intemperiei.

Verùm de dolore à tumoribus præter naturam, vt phlegmone, Eriſipelate, nunc ſermo non erit: etenim priuatim de his capitula deſcribentur. In his verò, quæ Raſes ſcribit, primum declaranda ſunt, quæ dicit: mox rurſus à capite curatio ordienda, ac ſi quid deeſt, addendum.

Agit verò in proponendis remedijs Empiricum: Etenim ſyndromen ſignorum ponit, quæ affectum deſcribat, mox remedia adhibet. Porrò quamuis vtraq; hæc methodo rationali ſunt accepta, attamen eam reticet, quòd ad memoriam ſolum commentarium ſibi confecit, ſupponens antea in methodo inſtructum medicum, qui ijs probè vti norit. Hæc enim quæ hic ſcribuntur, ſi quem ſine methodo offenderint, multo damno fuerint. Si quis enim medicinam ab his ſolùm diſcet, multo deterior eius conditio erit, quàm Empiricorũ, quòd illi nõ ſine diſtinctione loquebãtur, ſexus, ętatis

temperamenti, ambientis aeris: hîc verò sine vlla distinctione proponuntur: quare ad Methodum confugere oportet.

Affectio verò quam describit, est intemperies cum materia sanguinea irrigante internas capitis partes, sed non faciente phlegmonem, quanuis si phlegmonem quoque faciat, eadem ferè est curatio, vt cap. de Phrenitide videbimus. Imaginandum igitur est, venas, & arterias vsque ad exiguas, sanguine repletas esse, vnde distenduntur, tum earum tunicæ, tum membranæ ipsæ, in quibus sunt sitæ. Cum verò phlegmonem faciunt, vt in libro de Inæquali intemperie scribitur, non venæ solum repletæ sunt, sed etiam in spacia exigua, in quibus continentur, aliquid ex ijs effluit, atq; ea dilatat, & dilacerat: Vnde & putrescit sanguis, necessariò extra vasa deductus; non enim potest extra vasa bonus permanere. Hi igitur necessariò febricitant, & febre putrida acuta. Alij verò non necessariò febricitant, nisi fortè febre Ephemera, supercalfacto cerebro, & calorem cordi communicante. Cæterùm ni breui malo succurratur, putredo excitabitur, & febris putrida: quoniam calorem putridum, vapore putrido mediante cordi communicabit. Sed & ne fiat phlegmone periculum est, nisi malum inhibeatur.

Primùm igitur vnà notas tum affectus, tum affectę partis proponit. videtur autem plenitudinem eius partis describere. Quæ enim in toto plenitudines, quo ad vires notæ sunt; nempe grauitas hîc ponitur. Occupat autem, inquit Galen. modò totum, plenitudinis affectus, modò vnam partem solam; quæ sanè fit, vel ob externam causam replentem caput, qualis est solis ardor; vel aliam procatarcticam, vt ebrietatem; vel prorsus quòd natura imbecilla sit, & facilè fluxiones suscipiat. Sic enim apoplexiæ fiunt, & vertigines. Hæc in libro de Venę sectione. At quarto de Tuen. valetu. ad principium omnes notæ eæ ponuntur in lassitudine tensiua, quæ sponte euenit; hanc autem ex copia sanguinis fieri ait. Est enim proprium symptoma plenitudinis cum, vt ait Erasistratus, videntur crura, & brachia tendi. Hæc omnia amplius in libro de Plenitudine, vbi in summa habes tensionem venarum signum esse plenitudinis, quæ, si rubor adsit, sanguine repletas significat. Hæc verò copia sanguinis, si maior quàm naturę conueniat, sit, grauat, id est, inhabilem ad motiones partem reddit; ita vt animales vires grauentur: nec enim copia sanguinis, semper vires adauget vnà, sed dú modica est solùm.

Ea igitur copia est, quam in capite esse Rases describit, distentam partem dicens, quę videntur; id est, faciem, puta frontem, tempora, genas, & oculos. Hæc autem distentio fit, vbi distentæ copia influentis sanguinis sunt venæ, & etiam carnes ipsę multum ad se traxerint.

traxerint. vnde & maiore nonnihil mole visuntur. Quoniam verò tensio hæc, & tumiditas possunt, & à pituita fieri, ideo addit, cum rubore. Ad hanc verò tensionem dolor consequitur: Quæ enim tenduntur plus iusto sensitiuæ partes, necessariò dolent. Grauitas verò, vt diximus, copiã ad vires insequitur: Segnes enim sunt ad motiones, tum caput, tum oculi ipsi. Calor quoque symptoma est sanguineæ multitudinis. Sed potius videtur hîc phlegmonosam lassitudinem in capite describere. Est autem ea, ex quarto de Tuen. vale. cum in partem confluit sanguis, multus quidem, sed viciosis succis admistus. Tunc enim quasi phlegmone afficiatur corpus, talis sensus ægris sentitur. Vt enim in phlegmone tensio ob humorum affluxum, ita, & hîc partes distendi videntur: vtrobique dolor magnus, rubor vtrobiq;, grauitas ad motiones, calor præter naturam ob calida maximè excrementa admista: quod & voluisse declaratur, quoniam à sanguinis detractione, ea, quæ calida excremẽta purgent, propinat. Hæc est illa phlegmonosa lassitudo, quæ citò vacuari poscit; breui enim febrẽ, si in toto sit, periculosissimam, id est, synocham, excitabit. Sic & in capite consistens, citò vacuari poscit, ne malum augeatur, & pessimos morbos pariat, vt Anginam, Apoplexiam, Phrenitidem. Hanc etiam, vt in capite, & collo consistentem, Galenus eo loco describit, & sanguine ex cephalica misso opitulatur. Pulsus verò magni qui vocentur, & quid sibi significent, non satis constat. Quòd enim pulsus magnus auctam necessitatem cum obedientia instrumenti, & vi non imbecilla significet, ex his, quæ de pulsibus, est manifestum. Cæterùm hoc loco non necessariò in toto aucta necessitas est, id est calor, vnde euentandi necessitas, sed in parte solùm. Ideo pulsus illi, qui circa tempora sentiuntur, & magnos oculorum angulos, maiores erunt solùm. Nec enim potest vniuerso corpori communicari dispositio caloris, nisi cor afficiat, vnde & febrem faciat. Ponimus autem adhuc citra febrem esse, quoniam eius non meminit.

De cura Phlegmonosæ lassitudinis in capite. Cap. III.

VIsis Phlegmonosæ lassitudinis in capite consistentis clarissimis indicijs, superest, vt curationem ipsam aggrediamur. Ac primùm quidem ea, quæ Rases describit proponemus; mox de his faciemus censuram, considerando vt methodo conueniant. Nec enim authoritati hominum subscribere sine ratione iuuat in

ijs, quæ ratio iudicare poteſt, quin potius veritatem ipſam methodo indagare à rei natura accepta. Quòd ſi feciſſent tum Arabes, tũ Latini ſcriptores, non haberemus libros mendacijs, & ſuperſtitionibus plenos: neque tanto hominum damno tantam labem medicina ſuſcepiſſet, quale eſt, quod de pſyllio dicunt hoc loco. Igitur cu rationem à ſanguinis miſsione orditur, & iubet ex cephalica, id eſt, humerali vena; quæ etiam externa adpellari ſolet. Eligit verò eam, quæ rectà affectam partem reſpicit, quòd putet ex ea celerrimè auxilium præſtari. Quòd verò in pleriſq; corporibus exigua eſt, parũ ſanguinis inde educetur: ſæpè verò & latet, quo caſu ramum, qui ab ea deriuatur, & ad brachij flexuram tendit, qui etiam plerunq; euidentior eſt, incîdes. Iam igitur vacuandum docuit, & qua parte vacuandum: quòd ſi pariter vtraq; dolent, ex dextra potius. Vnde verò ad hoc remedium deuenerit, & quantum vacuandum non ſcribit, & quando eo auxilio ſit vtendum, niſi quòd primum remedium ponit. Ad hoc repellens componit, vbi aqua roſata, & oleo ad repellendum vtitur, aceto verò ad penetrationẽ. Mox qua parte, & quomodo applicandum, declarat. Syncipiti affundi ex alto iubens, ob rationes, quas diximus. De qualitate verò ſub qua applicari debet, ſubiungit quòd prius niue circundato vaſe, vel alia ratione quauis refrigerentur. Interim victum inſtituit ex lentibus, quarum corpus aſtrictorium eſt, & frigidum; præſertim aceto conditum, & herbas frigidas, & fructus proponi iubet. Mox ventrem emollit, tum vt ſanguinem purget à calidis excrementis, tum vt ad contraria reuellat à capite: Demum mitigatorium emplaſtrum componit ex viſcoſo humore, ex althea extracto. Poſtremum remedium reprimendi vim habet ex pſyllio, quo loco nõ ſunt audiendi expoſitores, qui ridicula quędam è Meſue de pſyllio mutuantur, quòd interna eius vrant. mera enim eſt fabula. Attamen hi hæc ſuſpiciunt.

Nos verò duce Methodo aliter curationem ordiemur, hoc modo: Morbi, qui cauſam habent, tolli nequeunt, ni cauſa ipſa tollatur. Etenim 3. Tech. præceptum eſt, Prius cauſam tollere, mox ad morbum tollendum, qui iam factus eſt, accedere. Manente enim cauſa, effectum ipſum, id eſt, morbum manere, eſt neceſſarium. Eſt igitur doloris cauſa intemperies, intemperieri verò qui confluxit humor; huius autem cauſa plenitudo, quæ in venis. Quare reſolutiua methodus effectus in ſuas cauſas & huc nos deduxit, à quo etiam inchoanda curatio eſt.

A plenitudinis itaque vacuatione curatio ordienda eſt, multa verò ſunt, quæ plenitudinẽ vacuant, inedia in primis, frictio, exercitatio, balnea, vigiliæ. Sed hæc non niſi temporis proceſſu. At nos vbi

magnus

magnus affectus imminet, aut præsens est, celerrima præsidia exquirimus, Ea est venæ sectio. Adde quòd quædam horum fieri non possunt in ægris. Hæc Galenus contra Erasistratum. hic ergo scopus à causa. Præterea cum morbus repellentia exigat, hæc verò administrari ante totius vacuationem non possunt, 3. Tech. & 3. Epid. 3. prius ergo vacuari oportet, idq; vena secta. Respicit quoque causam auersio, cùm ea quoquo modo tollimus, fluxum humorum, aliò auertentes. hoc autem venæ sectione fieri oportet. Respicit, & nonnihil factum morbum hæc vacuatio, quãdo aliquid retrahitur, quod in partem confluxerat. Vnde & sanguinem nigrum Hipp. expectat 2. de Vic. id est, qui ad partem iam confluxerat, & alteratus fuerat. Sed & obstructio venarum tollitur, & pororum, vnde liberè transpirare calor potest, & vapores, & flatus.

Secundum propositum est mensura vacuandi. Porrò nihil est, quod æquè coniecturalem artem hanc faciat, ac præsidiorum iustam quantitatem inuenire de Ven. sect. & 1. ad Glauc. eam ineffabilem dicit. Quare ille bonus medicus fuerit, qui probè coniecturam facere norit, vt saltem quàm minimum erret: Nam nihil errare supra hominis facultatem est, Galen. 1. ad Glauc. Coniectura verò hæc multis indicijs perficitur. Primum est ex affectus magnitudine id est, considerando quanta plenitudo sit in eo corpore. Quomodo hæc cognoscatur, habes indicia libro de Copia, ex victu præcedente, ex tensione, non carnis (vt quidam falsò putant) sed venarum, quæ plerunq; est immodica gracilibus. Vnde Arabs ille, Venosum securè phlebotoma, id est, qui latas, & tumidas, & distentas venas habeat: Ex anni tempore, vt si Vere, vel Autumno.

Vbi magnam plenitudinem noris, consulendæ sunt vires, & est medicatio curatiua, sumpta à rebus naturalibus. Hæc enim vel admittunt prorsus, si vnà earum sit valde imbecilla, præsertim vitalis: quod obscuritate pulsus distinguitur. Cauendum tamen, ne illi sit secundum naturam. Ideo primo ad Glauc. Galenus dicit, melius curare nos eos, quorum natura antea perspecta erat. Habitus quoque corporis durior, magnam fert vacuationem, cuiusmodi est eorum, qui probè exercitantur, præsertim apricis locis. Ætas quoque florens, id est, circa annum trigesimũ, optimè fert: & ambientis cõditio temperata, quando neque calore corpus resoluitur, neq; periculum est, ne ambientis frigore calor innatus circa viscera imminutus lædatur.

Medici nostræ ætatis taxãtur in quantitate mittẽdi sanguinis.

Cum igitur certa mensura scribi nequeat, hinc factum est, vt ignaui nostræ ætatis medici circiter sextam vnciam consisterent: hoc sat esse rati, vt quidam scribit. Quod verò maximè ridiculum apud

eos eſt, cum hanc vacuationem tentent, etiam vbi vires ſunt langui dæ, & multa dehortantur. Modum tamen eius non augent iuxta augmentum indicationum, ſed vno calceo omnes calceant. Nos igitur ex Galeni exemplis dicimus, quibuſdam tres libras ſine noxa mitti; quod & vulneratis ſæpe euenire videmus: quibuſdam libra vna ſat erit. Hac verò minorem tentare in vacuanda multitudine & reuellendo, ſtultum eſt, vt patebit cum de Reuulſione agemus.

Sed dicet aliquis, quid fiet vbi magna vacuatione ſit opus, ſed eã vires non ferunt? Primùm poteris, ſi paulo languidiores ſint vires, iteratò mittere, & partiri, donec iuſtam qualitatem vacuos, vt mane, veſperi, & rurſus poſtridie: quod & Galenus præcipit de Ven. ſect. & ſæpe opere confirmat. Quòd enim non multus confertim tum ſanguis, tum ſpiritus euacuatur, minus vires læduntur. Quòd ſi ex multis contrà indicantibus, neq; id tentare audeas, cucurbitulis vtere, & ſacrificatione, primùm lumbis, mox medio dorſo, demũ ſpatulis, poſtremò & ceruici, & brachiorum muſculis. Nam ſi applicationem iterabis, multùm plenitudinem minues. Iuuabit etiam hoc caſu alijs ingenijs vti, quæ minuant, id eſt, integra inedia per duos aut tres dies: infernarũ partium frictione, quæ vnà auertit: & multa deiectione, primùm per acria clyſmata, vt Galen. & Paul. dicunt. Sed etiam ijs, quę aluum leniter ſubducunt, malè eſt, quod Raſes componit; & vos eius loco ſyrup. roſatum ſolutiuum dabitis, aut caſsiæ medullam, vel mannam. Hæc de quantitate.

Tertium propoſitum eſt, tempus vacuandi. Quidam enim volunt prius medicinam lenientem aluum tradere, ne poſt vacuationem venæ inanitę ad ſe trahant praua excrementa. Quidam & magno dolore inſtante, prius dolorem ſedari volunt ex præſcripto Auic: vbi reuellere ad contraria eſt animus, dolorem primùm ſedato: ſed hæc omnia nugæ ſunt. Primùm enim eam lenitionem præmitti neceſſe non eſt. præterit enim ſæpe mittendi ſanguinis occaſio, aut ſaltem occaſio iuuandi. Sat itaq; eſt clyſterem inijcere, quo alui excrementa purgentur, & tantiſper expectare, dum concoquãtur, quæ in primis venis, & ventre, cruda continentnr. Quòd ſi febris adſit, quæ inclinet, expectat inclinationem. Si verò ſine febre ſit dolor (inquit Galenus) cum maximè vrget dolor, vacuatio eſt facienda, nec aliud expectandum. Quomodo ergo prius dolorem ſedari volunt? Omnis enim ſedatio ſuſpecta eſt; Nam quæ paregorica dicuntur, quòd remittunt tepido calore, & laxant partem, potius adaugent: quoniam partem ad excipiendas fluxiones præparant. Quæ anodina propriè, membro ſtuporem inducunt, & cauſam magis rebellem faciunt, & membri vim expultricem debilitãt.

Reſtat

Restat igitur, vt non nisi vacuatione tolli possit, quæ etiam venæ sectione præstatur. Auic. igitur, quod in vno casu verum erat, non rectè ad præcepta vniuersalia transtulit, quod & sępe facit. Cũ enim phlegmone excitatur ex dolore membri facto à venenosa punctura, aut infixo spiculo, vel cauterio, nunquam prohibebis augmentum phlegmonis, ni prius dolorem sedabis: quoniam dolor ibi fluxionis est causa. At vbi sine manifesta causa est dolor, sed ex fluxu, qui à plenitudine oritur, sola curatio est, quæ per vacuationem, & ea sola phlegmones inhibere augmentum potest.

Quartum propositum est, adhibendi remedij modum nosse. Hic verò de vena eligenda consultatum est. etenim si temerè quanuis seces, aut nihil proderis, aut etiam lædes. Hoc autem fiet, si scopos, ob quos secamus, considerabimus. Hi sunt, vacuare quod in parte continentur, nec adhuc impactum est, ita vt retrahi in venas possit. Alter, reuellere influentem humorem, tertiò in toto plenitudinem minuere, idq; celerrimè: quoniam magnus morbus imminet. Porrò vacuantur optimè excrementa, & reuelluntur per eam venam, quæ rectà affectam partem respicit. Id enim tum ratio dictat, quòd animalis partes in dextrum, & sinistrum, quasi in duo animalia, diuisæ sibi magis consentiunt. & experientia testatur, motus naturæ sic semper fieri in crisibus omnibus. Eligi quoque vena debet in ambabus intentionibus, quæ cum affecta parte euidentem consensum habeat, quod ex dissectionibus est habendum. hæc verò communia sunt. Sed cum reuellere est animus, quærimus tum ad longinquas partes, tum contrarias, quantum fieri potest, reuellere, communibus tantùm illis obseruatis, vt consortium adsit, & rectitudo. Igitur cephalicam eligimus, tum reuellendo, tum vacuando, quòd consortium habeat: ideò celerrimè iuuat, quòd rectà respiciat. Adde quòd cõtraria est, vnde reuulsioni est accommoda, quòd si longiquior in brachio haberetur, prorsus oẽs conditiones requisitas haberet: sed sat est, si potiores habeat. Scio multa hîc dubitari, sed expedit primùm vniuersam artem vobis tradere: mox si qua dubia suboriuntur, ea amouere. hæc de venæ sectione.

Statim verò peractis, & sedatu motu auersionis & vacuationis à parte, ad repellentia confugimus, quæ sanè duplici nomine indicãtur; quoniam & fluxionem arcent, & partem vacuant: sic 5. Aphor. dictum est, reprimentia partem vacuare, atq; ita dolorem soluere. 5. Aph. 23.
Hîc adhibe exemplum de frigore, quomodo fluxiones causet, 3. Aphorismorũ. Igitur de repercussiuis scribit Galen. 13. Metho. Statim ab initio adhibenda, vbi corpus vacuatum est, quòd tunc temporis vis partis valens adhuc est, vnde & repellere potest. Insuper

materia non adeò multa est, quæ influit. Præterea tenuior est: quoniam calore loci crassior euadit. Demum est minus impacta parti, vnde facilius dimouetur à parte: neque enim aliter censemus repelli astrictorijs humorem, quàm quòd membrum astringunt, & exprimunt, roburq; addunt parti, vnde onere se leuet. Intentior ergo, repercutiendi indicatur à causa, vnà & ab affectu; Nam fluxionem reprimit, & morbum iam factum sanat vacuando partem. Qualia verò ea sint, iam diximus. Diximus & applicandi modum, cum de calida intemperie loqueremur. Præstantissimum verò, & paratu facile est quod ex rosaceo, & aceto conficitur, vt quarta pars sit aceti, tres verò olei, idque frigidum applicetur si Ver sit, aut æstas, sed si hyems, potius tepidum. Quando verò vtendum eo sit, patet, quòd quousque malum augeri perseuerat. Cum verò eodem in statu pluribus horis manere ægrum videris, iam fluxio restitit, & in summo vigore est morbus: Iam igitur mitigatoria cum repellentib. sunt admiscenda, & emplastra, & mucilagines à Rase positæ, commodo erunt in statu: atq; hæc localia remedia dicuntur partem vacuantia. Id præstat rosaceum solum, inquit Galen. ca. de plaga capitis. Cum verò decrescere cœperit, etiam chamæmelino vtemur, & tandem serpilli folia in eo agitabimus. Iam enim scopus est humorũ reliquias resoluere, idq; per insensilem transpiratam. Ideo enim non nisi ad proximam causam respicimus, id est, ad materiam fluxam, quæ intemperiem facit. Interim verò iuuat & calida excrementa purgare, quorum ratione & sanguis facilè fluit, & calor maior, & dolor excitatur. Itaque affectum augeri hac ratione inhibet; neq; minus, quoniam à capite retrahit. Potest autem & clysteri hoc fieri, potest & ebibito medicamento. In clysteri igitur casiæ, vel hieræ simpl. vnciam, vel sesquivnciam inijciemus. Potui verò dabimus mannam, casiam, syrupum rosatum; & electuarium ex psyllio dictum, egregiè purgat, exempli gratia. Recipe casiæ ℥ j. elect. ʒ. ij. mediocris purgatio est, quam vigorare potes, si ægri naturam noris, & vires validas: præsertim si venæ sectæ remedium, vel omissum sit, vel exigua detractio fuerit. Debet autem propinari post venæ sectionem, vbi ab ea per diei saltem spacium æger quieuerit.

Hìc verò dubitatio oritur de repercussiuis: quoniam iuxta princeps membrum materia est, non tutò ea adhibentur. Etenim periculum est, ne in ipsum lata, præceps malum generet, & ineuitabile. 4. Metho. Rursus 5. Metho. de profluuio sanguinis loquens, ait. Quibus è naribus sanguis fluebat, aliqui ex refrigeratione deterius habuerunt. Sic vbi è pulmone reijceretur, qui pectori admouerũt. Sic igitur & nos è venis, quæ circa cutem sunt, intrò humorem pellemus:

lemus. Præsertim cum etiã ad externas partes repletio cõtingat, cũ in facie, & oculis robur, & tensio appareat, inquit Rases. Repellentibus ergo hæc materia, quæ in internis est, intrò trudetur. Respondetur. Primùm non ad ipsam partem tensam remedia, & repercussiua applicamus, sed ea parte, qua interna solùm ea facultate gaudeant. Et quidem si extima ipsius capitis vndiq; tumentia cernemus, vt multam materiam in ijs contineri significaretur, nullus sanè ijs frigida admoueret: sed in affectu hoc internæ partes potius laborant. Adde quòd non dicit absolutè partibus ijs, foris non esse applicanda; cum ipse quoq; applicet paulo post pectori; sed vbi prius vacuaueris, atq; auerteris fluxionem; quòd hîc facimus. Sic igitur ipse se declarat ambobus locis. Præterea quod repellit, non alia ratione repellit, quàm quòd partes astrictione roboratæ, exprimunt quod in illis præter naturam continebatur, neque quod influit admittunt. Sed & repulsio ad interna capitis fieri nequit: Nam externa capitis cum internis, quòd advenas attinet, exiguam, vel nullam communitatem habent; si quidem habẽt faciei partes, & capitis externæ quó repellant, scilicet venas maiores, à quibus alimentũ suscipiunt: Vnde etiam suæ paruæ venæ alimentum deferentes propagantur, id est, iugulares. In eas igitur innoxiè, & tandem in cauam venam humor repellitur.

Est autem obiter animaduertendum locus alius. Vnde Auic. sententiam accepit, id est, cum tu retrahere volueris, dolorẽ seda prius; & est locus 6. de Epid. lib. 2. Aphor. 6. vbi reuulsionem facere docens, inquit Hippo. Cedentem statim reuellere, resistentem sinere. Vult autem intelligi, quòd si initio reuulsionem facis, priusquam affixi sunt humores, statim quoque reuellentibus auxilijs pugnandum est. Nam vnà reuelles, & vacuabis, & dolorem sedabis: quoniam cedit facilè, tenuis adhuc, non multus, neque adeò impactus. At si iam parti inhæsit, cedere iubet, id est, non fortiter inniti reuulsorijs; nec enim statim dolor soluitur. Vnde remanens reuulsionem fieri prohibet. Partiri itaq; oportet, atq; interim quiescere per tempus aliquod, vt diem vnum; vt interim quod fluxum est, sensim retrocedat in venas: ab ijs quoq; inanitis exsuetum, & adiuto membro ad exprimendum cum repellentibus, vt antea diximus. Quare dolor hîc quoque ante integram reuulsionem est sedandus. Quomodo autem? Expectandum tantisper, vt à priori euacuatione sedetur. Quinimò in 3. Epid. in Hist. Larissei, mitigare, inquit dolorem non licet prius, quàm corpus vacues.

Auic. sententia in uerbis Hippo. fundata. Hippo. uerba 6. Epid. 2. Aph. 6. declarantur.

Altera dubitatio est inde orta, quòd nonnulli in prima euacuatione, quæ reuulsiua esse debet, eam venam, quæ ex opposita parte

Altera dubitatio de secanda uena.

est, præeligunt, vt secundum duos oppositionis modos ad contraria fiat, id est, à sursum in deorsum, & à dextro, ad sinistrum corporis. Sic enim meliorem reuulsionem fieri aiunt. Nam melior reuulsio ea est, quæ ita fluxionem retorquet, vt non facilè in affectam partem reuerti possit. Alij rursus plenitudinem timentes ad ima corporis tentant reuellere, vt Auic. qui aliquando in reuellendo à capite, venam tali aperiri vult. Itaque quærendum nobis est, num in magna corporis plenitudine à vacuatione maximè longinqua inchoare debeamus, an potius perpetuò eadem vena nobis deseruiat in quauis natura, quæ vacuationis egeat.

ἀντισπᾶν.

Quoniam verò quotidie in scholis audiuntur hæc nomina, auersio, deriuatio, vacuatio, Videndum semel est, quid significêt, & qua ratione inter se differant. Igitur tam deriuatio quàm reuulsio, si vim vocis spectetis, ipsos humores defluentes respiciunt. Reuelli enim dicuntur quę aliò tendunt, quoties rectà coguntur retrocedere, id est eadem, qua incedebant via. sunt igitur in motu. Deriuare verò idē est, ac riuos deducere, vt à fonte riuulus aliquis oriatur. Si quis rursus in fontem remeare cogeret, fluxum eius reuellere propriè diceretur. quod si ab eodem fonte riuulum alium deduceremus, hoc esset deriuatio, & quidem Græca vox nihil aliud significat, ac riuos deducere. Atq; hi duo modi sunt, quibus à fluxione afflictam partem defendimus, è quibus prior in contraria, id est, versus fluxionis originem, id est versus fontem, humorem retrahit. Posterior verò, fluxionem in aliam partem deducit.

Deriuare quid.

παροχετεύειν.

Exemplum igitur retractionis in fluxione est, vt si fluente è naribus sanguine, dextris pręcordijs cucurbitula affigatur, vel vena cephalica secetur. Prior enim in fontem ipsum, riuum sanguinis retrahit, Posterior verò in magnos riuos à quibus humor mittebatur illum retrahit, id est, in iugularem venam, per quam humores tum alimento idonei, tū superflui ad caput feruntur. Exēplum verò deriuationis est, vt si excremēta iocinoris ꝑ ventrē ferantur, vt in dysenteria accidit, propinamus ea, quæ vrinas mouent, vt ad vrinas deriuetur eorum impetus. Sic fluxiones vteri per vrinas deriuamus, & contrà, quæ vesicæ, per sedem vel vterum. Deriuamus ad latera, quoniam rectà tendere humorem, qui influit, prohibemus. Igitur dicebat Hippo. lib. de Humoribus, reuellere ad contraria, deriuare ad latus, id est, ad eas vias, quæ neq; contrariæ sunt, neq; longinquę quod alibi ad vicinas partes fieri ait. Vacuatio verò non humorem, qui mouetur, & influit, respicit, (quæ inquam propriè, & priuatim vacuatio dicitur) sed eum, qui iam est in parte firmatus, & in quam cōfluit, 13. Meth. (vbi locus apud Linacrū malè legitur συγκενοῦμεν legit,

Vacuatio quid.

legit,id est,simul aperitur:) & est causa proxima affectus: quæ sanè vel per partem ipsam fieri debet, vel per eam, quæ affectæ maximè vicina est. Fit autem vt sensili, vel insensili effluxit. Hic igitur caustica, & quæ euaporare faciunt, & siccant; hic scarificationes iuuãt: sic & venarum sub lingua apertio ad faucium tumores.

Hæc omnia ingenia natura inuenit, dum morbos præcauet, vel curat. Reuellit enim cum in surditate, bilis exortum profluuium, surditatem sanat. & rursus medicina affecto cerebro hæmorrhoidibus succurrit. Deriuat verò cum vrina, quæ plurima noctu micta est, exiguam deiectionem reddit, & vrinam plurimam motam, menstruum profluuium sistere videmus. Vacuat autem per proxima cum cerebri phlegmonas indicat profluuio ex naribus; à qua nos quoq; didicimus, & modò vno, modò alio ingenio vtimur, prout res exposcit. Procuramus autem tam retractionem, quàm deriuationem multis ingenijs. Etenim non solùm vena secta, sed & proritamentis ominibus reuellimus, & deriuamus, vt ligaturis, frictionibus, cucurbitulis, clystere, pharmaco, errhinis, apophlegmatisinis. idque modò vno, modò alio, modò solo, nunc pluribus simul, prout res ipsa exigere videtur. 28. 4. Aph. 2.6. lib. Aphor.

Iam igitur habebitis quid vnumquodq; horum sit, & quid in corpore operetur, cuius scilicet gratia assumitur: & demum quibus instrumentis fiat. Nunc videndum quandònam his vtendum: num omnibus quouis tempore, an alio, alijs. Igitur 2. ad Glauc. sic ait: Cũ fluxio partem influit, retractio remedium est: cum verò iam partem occupare cœpit, deriuatio. Quòd sanè declarat Galen. 4. lib. vbi verba Hippo. proponit ex libro de Humoribus. Cum inquam maximè influit fluxio, tum reuellere oportet, idq; per contraria: cum verò partem occupat, & in ea sedem fecit, per vicina deriuare. Est ergo retractionis tempus, cum valenter influit; cum verò sedata est fluxio, magna ex parte, deriuationis. Sic ergo vocem eam παρακμάζον interpretarer, non vt Linacrus, cum iam fluxio restitit: Etenim vbi non influit, iam non his, sed vacuatione opus est. Vt verò tam deriuatio, quàm reuulsio prosperè cedat (siquidẽ, vt in proposito) per venæ sectionem eam moliamur, non pauca spectare oportet. Primùm, vt fiant per communes venas, id est per eas, quę affectam partem respiciunt. Sic enim 13. lib. laudabat in phlegmone iocinoris, internam, quòd ab affecta parte reuellit, & vacuat, Eò inquit, quòd cum iocinore ampla, & recta via communicat. Præterea quod ab affecta parte, & propinquis retrahere volumus, & vacuare, necesse est, vt vena illis communicet. Itaq; in lib. de Tremore, Si, inquit, venas, quæ nullum cum affecta parte consortium habent, seces, ipsam

Linacrus taxatur.

13. Metho. 2. ad Glau. De constitu. ar.

quidem non iuuabis,& sanam lædes,à qua sanguinē hauris vtilem. Et 1.ad Glauc. Vel ad communia affectis partibus retrahere oportet, vel ad ea, vnde est fluxionis origo, vt cum profluuium sanguinis in iecur,vel lienem retrahimus. Hîc verò venarum anatomen probè nosse oportet,& quomodo communicent,animaduertere.

Secunda conditio est, vt ex eadem parte fiat corporis, vt diuiso corpore in dextrum,& sinistrum,ex eadem parte se teneat cum parte affecta, quæ ambo communia sunt tam deriuationi, quàm vacuationi, & auersioni.Ideo internam dextri lateris iecur iuuare ait libro 13. quòd è regione est, inquit interpres, & ampla via cum caua vena societatem habet.lege,Quod ex eadem parte se tenet. Hæc etiam primo ad Glauc.à membris,inquam, quæ illius ex parte se tenent.Nota quòd hæc conditio reuulsionis maximè exigitur. Estò quòd non sit communitas, vt cum laborante genu venam incidimus brachij, & contrà. Huius rei,num sola experientia ducti meminerunt?Ego quidem sola experientia id visum ab his puto. Cœpere enim primùm naturam obseruare, & eius motus inuenerunt, semper tales esse, si quid iuuare debent, vt multis Hippo. monstrat 2. sexti. Aphor.Et Gal.in lib.de Venæ sectione.clarissimè se obseruasse ait,siue moliatur abscessus,siue excretiones,dum vtiles per directum laborantis partis ea facit. Quæ secundum rectum, euidentem vtilitatem attulit, quibus contrà, nullam : aliter nihil iuuat. Ausi sunt igitur,&naturam imitari,atque ita esse,experientia deprehenderunt. Poterat tamen,& ratio adijci,consortij partium. Vnde dictum est 5. de Vsu partium, Quod trahit secundum rectum, trahit fortius.& 14.lib. dextras vteri partes calidiores esse ait, ideo mares gignere, non alia sanè ratione, quàm quòd sibi consentiunt. Sic 6.Epid. 4.primi libri, In renē dolor grauis, &c. Coxa, inquit, torpet,contrà,dolentem renem respicit,quod nō nisi cōsensu quodam euenit.Hinc,& dolores capitis à iocinore plus dextram occupant. Vbi igitur dextræ partes secta earum vena sanguine viduantur,aut in his causato labore,statim & dextra consentiunt, & transmittunt eò sanguinē.Præsertim si ibi euidens quædam adsit via, id est,venarum consortium,quod diximus.

Altera conditio reuulsionis est propria,scilicet vt ad cōtraria fiat vt & quarta & vltima,vt ad longinqua. Etenim ex natura reuulsionis id didicimus,quoniam quærimus,vt quod semel reuulsum est, non retrocedat, ideo ad contraria,& longinqua fiat. Neq; enim facilè motus contrarij sibi inuicem succedunt. Ad contraria intellige motum humoris,si is appareat:sin autem,ad longinqua. Nam si renes inflammantur, non apparet vnde sit motus, sed à supennis primùm

mùm vacuamus, quòd magis verisimile est, quòd inde veniat. Fluit enim leuius deorsum sanguis.

Ex his sequitur rectè elegisse Rasem cephalicam eiusdem partis venam, quam & Galenus eligere videtur in omnibus capitis affecti bus. 2. ad Glauc. Eam, inquit, eligito, quę externa est, atq; è directo: idq; seu reuellere, seu deriuare velis. Nam si passio iam inueterauerit, neque amplius aliquid influat, ab ipsa parte vacuandum est, vel maximè vicina, vt venas sub lingua in synanche tundimus.

Præstat verò, vt euidentior sit veritas, nonnulla, quæ contra hæc facere videntur, dissoluere. Primo quòd non requiratur cōsortium, & rectitudo, monstratur Galeni exemplo. Scribit enim 13. Metho. & 2. ad Glauc. extremis partibus laborantibus faciendum esse sectionem in sua coniuge, seu reuellere, seu deriuare velis. Hic enim primùm, Quæ est venarum communitas, cum longè distent? secundo ex altera corporis parte sunt. Respondeo, argumentum de recti tudine concludere: sed eam in hoc casu nō habemus; facimus quod possumus. Nam & si omnes illę conditiones obseruandæ sint, non omnes tamen perpetuò haberi possunt. Etenim ex eadem parte non potest fieri, quoniam laborantis membri venas secaremus, & ad partem affectam fluxionem attraheremus. In vacuando verò id obseruabimus, quoniam vacuatio, vel à parte eadem, vel maximè vicina. Et cum vacuationem solam molimur, iam fluxio restitit. Argumentum ex Galeno.

Communitatē tamen habemus ipsam fluxionis originem, id est cum vena caua, in qua duo magni trunci communicant, qui ad crura nutrienda diducuntur. eadem ratio est de manibus. Habemus quoque longinquitatem, quoniam vnum ab altero longissimè distat, id est, per utriusq; cruris longitudinē. Habemus & contrararietatem deorsum ad sursum: Nam secto altero crure, & vacuata caua vena, retrahit sanguinē, quem transmittebat in alterum. Contrà dices, Ita poterit caua vena attrahere à iocinore. Respondetur, non est par ratio: Nam hic sanè, partes non sinent sibi auferri, ibi verò quæ grauantur, non solùm sinent, sed ad expulsionem iuuabunt, vbi vacuum, quò trudant, inuenerint. Dubitatur, quomodo dicat, hanc reuellere, & deriuare: id enim videtur fieri non posse, quoniā deriuatio, & retractio habent rationem oppositā, hæc ad contraria, illa ad latus. Quomodo ergo eadem vena deriuabit, & retrahet? Respondetur, si venarum processum consideremus, hoc facile videbitur. Primùm igitur animaduertenda est cauæ venæ ad crura diductio in duos magnos ramos, quibus solis partes hæ nutriuntur. Vnde & à caua vena alimentum omne, & superflua seu qualitate, seu Obiectio. Dubitatio prima.

quantitate suscipiunt. Si igitur in dextrum crus fluxio tendat, si sini stri venam seces, reuulsionem facies. Nam qui per cruris venam dextri fertur sanguis, in cauam venam vacuam reuelletur: & si quid adhuc per ipsam cauam venam fluxurum erat, in aliam partem proximam deriuabitur. Sic & in cephalica contingit: Etenim caua vena cum primum thoracem egreditur, discissa statim superiorem ramum per humerum mittit: atq; hic bipartitus est, vt altera pars humeralem, seu cephalicam venam conficiat, altera iugulares, quæ vtrinque duæ sunt, interna altera minor, qua internæ capitis partes nutriuntur; externa altera, & maior, qua externæ aluntur. Vnde cephalica, seu in externis capitis partibus, seu internis sit malum, magnum habet consortium. Sed etiam euidenter cum dextra iugulari dextra cephalica iungitur. Vnde dextræ partes nutriuntur, & sinistra itidem. Cum primùm igitur aperta est cephalica, & viduatur sanguine, attrahit à sua coniuge, per quam alimentum, & fluxiones ad caput tendunt. Vnde retrahitur, qui sursum fluebat humor. Si quid verò fluxurum in caua vena erat, id in aliam partem proximã conuertitur, id est, in brachium.

Secũda dubitatio. Secundò dubitatur, Quoniam manu laborante, crura scarificat, aut vincit, aut calfactoria medicamenta adhibet. Si verò in cruribus manus: At inter manus, & crura consortium venarum non est, quin potius viscera duo magna intermedia sunt. Quomodo ergo vis per eas partes retractionem fieri, siquidem per consortium partium fieri debeat? Præterea, Lien, non magis communicare cum sinistra vena, quàm cum dextra, videtur: ergo communitas nõ exigitur: Nam nutritur à sanguine, qui à porta deducitur, ideo cum dextra parte totius communicat. Respondeo, multa diximus esse instrumenta reuulsoria, & vi summa triplici genere ea comprehendebamus: nempe vacuitatis ratione, doloris & caloris: his enim trib. modis fit attractio, sexto de vsu part. 58. Igitur conditiones supra positę non in omni reuulsione necessariæ sunt, sed solùm cùm fit per venæ sectionem. Hîc enim exigitur venæ cum parte communitas, vt vacuata ad se trahat è parte, aliàs ab alijs partibus trahet, & non ab illa. At dolor & clystere in contrarium trahunt: quoniam motum humorum ad contraria reuellunt, id est ad partes, quas proritant, & quibus dolorem inferunt, sed determinatam partem non respiciunt, quod exigimus in his morbis: Ideo ijs non vtimur, nisi vt aliquatenus iuuent, non quòd ijs primum fidamus: multi enim sunt modi auersionis, & secundum rei exigentiam modo vno, modo altero vtimur, modo pluribus.

Tertia dubitatio. Tertiò dubitatur, reuulsio fit cum fluxio maximè proritat, cum verò

verò iam sedatus est impetus, deriuatio:non ergo debent fieri eodem tempore. Si ergo cephalica deriuat, & reuellit, incommoda erit,& erit eligenda ea, quæ reuellat solum: & erit, quæ in opposita parte. Respondeo, non esse inconueniens, imò vtile, & expetendum, vt per eandem venam tria hæc officia peragantur, vt reuellatur quod influit, & deriuetur: demũ, & vacuetur quod influxit. Etenim vacuatione est opus, siquidem dolor sedari debet. At sedari debet vt diximus, aliter non recta reuulsio procedet. Cum verò ait, Cum fluxio maximè proritat, reuellendum, loquitur de reuulsorijs auxilijs, quæ solum hoc officij habent, vt reuellant, quibus vnà cum venæ sectione vtimur, vt ligaturis, cucurbitulis, &c. Fluxione verò sedata, vti his, quæ deriuant, solùm possumus, vt ad vrinas ducere, quæ per menses ferebantur, aut ad aluum, quæ per vrinas.

Quartò dubitatur, Ad auersionem exigitur ad longinqua ferre fluxionem, sed cubiti vena propè est. Respondeo primò, si solum quæreremus reuulsionem, partem maximè longinquam acciperemus, sed quærimus simul & vacuationem, & hæc celeriter fieri. Ideo præcepto Hippo. vtimur, dolorum proximum ventrem purgare, & venam incidere. Ideo non venas tali, sed poplitum, si haberi possunt; non extremæ manus, sed in cubiti flexura. Contrà, quæ in opposita parte erit longinquior. Respondeo, vacuabit, & auertet ab ea, non ab hac, quoniam non est communitas. Quarta dubitatio.

Quintò dubitatur, In magna plenitudine securius videtur sanguinem à cruribus mittere, vt Auic. suadet. Sic enim à supernis omnibus fiet auersio, quanuis non à determinata parte. Respondetur, Ista auersio humorum à supernis, & attractio ad inferna potest fieri alio ingenio, & minore iactura cum alijs auxilijs, quæ diximus. Quinta dubitatio.

Quid ergo refert venam secari, cum in tali casu multus sanguis à vena cephalica sit mittendus? Itaque, vbi plenitudo adsit, vacuamus plenitudinem, & vnà sanguinem auertimus per venam externam. Deinde alijs quoque præsidijs ad contrarias partes copiam attrahimus, & quidem multò fortius attrahunt, quàm venæ sectio, sed non vacuant. At sanè non quærebamus vacuare partes illas.

Sextò, Situs dextræ venæ, quomodo erit contrarius dextræ parti, id est iocinori, aut econtrà, vt per eam auertamus? Etenim eam auertere ait Galen. 2. ad Glauc. Ergo non necessaria erit situs contrarietas. Respondetur, Contrarium situm habet pars affecta, ad locum vnde fluxio reuellitur, id est ad iugulum. Inde enim venæ illæ diuaricantur. Nec tamen negandum est, quin sæpe oppositæ partis venæ iuuent. Sed quia è directo non sunt, nec consortium habent, Sexta dubitatio.

auxilium multò minus est, & serò aduenit, vt dicebat Galen. in lib. de Ven. sect. Non nisi post temporis spaciũ iuuari sensi. Sed nos celerrima pręsidia in acutis poscimus, in quibus ne per horas quidem expectare licet præsidij iuuamentum, ne dum per dies.

Septima dubitatio.

Septimò, in profluuijs mensium retrahere tentat, secta cubiti vena, quæ communitatem non habet, quam exigi dixisti. Ex libro de Const. ar. Respondetur, profluuium illud si excedat, neq; ab erosione sit, vt esse nequit, si copiosus admodum, necessariò à iocinore per venam cauam est, Ideo qui à iocinore vacuat, & caua vena, reuellit, quoniam sanguine partẽ viduat: retrahit ergo sic fluxum in fontem. Sic & in narium profluuijs fiebat. Profluuia enim sanguinis exuberantia, vicio viscerum fiunt: ideo ab ipsis vacuare, est fluxionem in suum fontem deducere. Vel dic in 7. & 8. casu solum respicere reuulsionem, non vnà vacuationem: & tunc ad longinqua maximè fiet. Vide quæ Mart. 2. ad Glauc.

Octaua dubitatio.

Octauò, Si in genu subito fluxu decumbat, ita quòd confestim plurimum attollatur: ex superioribus venis vult sanguinem mitti. Contrà, si manus, ex inferioribus, 2. ad Glauc. de inflammatione loquens. hîc verò communitas non est. At rectitudinem seruat, cum solum vult reuellere, vt in hoc loco: Etenim magnus est fluxionis impetus, quod monstrat per illa verba, Plurimum attollatur subitò. Neque erat hîc opus celerrimè partem vacuante auxilio, quoniam non est morbus acutus; ideo sola reuulsione vti potest, sicut & in sanguinis profluuijs. Pręterea describit post magnam plenitudinem vnde periculum est, ne phlegmone adeò increscat, vt gangrena fiat, mittit sanguinem è supernis à loco, scilicet vnde fluxio incipit, id est à vena caua, & iocinore: vt eo inanito, sanguis retrahatur. Et hoc est, quod aliquando ait, Reuulsionem vel ad contrarium vel ad partem fieri debere, vnde fluxio.

Nonum in deriuatione, quòd ex vi vocis materiam fluentem respicit, & hoc est primum suum officium, sed non quin etiam partem per propinqua vacuet aliquando, vt cum in pleuritide secatur basilica: Vacuat enim quæ in parte sunt, vnde coloris mutatio. & 4. Metho. hoc innuit cum scribit: Nam & tractus per vicina est facilior, id est, à parte affecta. Vacuantur igitur quæ non prorsus inhærent.

De cura Cephalalgiæ à bile. Cap. IIII.

HIc rursus syndromen signorum proponit, quibus dolor à bile significatur. Prima nota est pulsus velox, quod exponũt peculiare esse, nõ quòd sit magnus, vt suprà in sanguine dicebatur. Verùm hæc sunt nugæ. Nam vt magnus est, ita, & velox; vt in tertiana contingit. Fiunt enim pulsus magni, veloces, & frequentes. Cum enim calor vrget, seu in toto, vel in parte aliqua, primùm magnitudinem pulsus assumet: Si verò excedat, velocitatem, demum frequentiam. Mitior autem cum calor esset tangenti, sed auctus tamen, magnitudinem tantummodo pulsus efficiebat. Sed à bile multò acrior cum sit (est enim calidissimus humor. secũdo de Tempe.) addet & velocitatem. Quod verò dicunt de inobedientia instrumẽti, falsum est. Nec enim hìc est phlegmone: & multò magis debebat in sanguinea esse obediens, vbi est maior extensio. Subdit, Et est sensus calidi sine tensione, & rubore.

Calidum quidem, vt diximus, necessariò aliud tangenti apparet, quomodo & calor synochæ febris, & tertianę inter se differũt. acris enim est, & mordax. Ex priuatione quoque eorum, quæ in sanguinea aderant, facilè de Biliosa conijcimus; Abest enim tensio, quoniam sui tenuitate poros subit, nec inflat, vt in herisypelate visitur. Præterea, si æger ipse rogetur, non tendi caput, sed morderi potius & pungi respondebit. Abest rubedo, quin potius pallore facies suffunditur, quanuis aliquando ob vim doloris, attracto ad caput sanguine, rubor aliquis misceatur. Præcipuè verò grauitas abest, quòd materia leuior multò sit priore. Signa ergo essentialia sunt, doloris modus, & qualitas mutata caloris, & actio læsa pulsus. Ex abundanti verò & ætatem, & viuendi rationem, & corporis naturam, & ambientis conditionem considerabis. Solent autem hi acutissimi esse, si præsertim bilem sinceram insequantur; aliquando etiam per periodos diuturni. Et ego quendam iuuenem nobilem aliquando vidi, qui quotidie ad meridiem dolorem maximum sentiebat, adeò vt fureret. Statim verò & vrina aquæ non dissimilis mingebatur, vt latè pateret, bilem omnem caput magno impetu petijsse. Ad vesperam rursus vrina bile infecta mingebatur, & dolor cessabat, qui, etiã purgata bile, & roborato capite, prorsus affectione liber euasit. Sed hæc magnitudinis doloris sunt indicia, vt & reuerti per periodos morbi diuturni. Nos verò de affectu diuturno pòst loquemur.

Historia nobilis cuiusdam.

Curatio verò à Rase talis est. Primùm purgari iubet, idque per ea, quæ antea dixerat. Est enim medicamen illud cholagogon & satis facilè, ex prunis, & tamarindis, & mirobalanis confectum. Cuius si iunior aliquis exemplum quærat, tale erit: Excoque tamarindos, & pruna Damascena, vel Hispana. Afferuntur ex Gallia quoque optima, rotunda, nigra. Demum quæ pinguia & dulcia, plus purgant aluum: quòd si violas addideris, vim augebis, præsertim recentes. Mox forti excoctione facta in aqua, vt ad dimidium, vel duas tertias, myrobalani, citrini cortices adhibe, & optimè contrita inijce cremori illi per noctem, pondere ʒ iij. Vel si vetustiores videantur (quod gustus deprehendit, & terendo inspicitur) etiam vnciam mediam accipies, mox expressum propinabis. Medicamentum verò non eo solo nomine iuuat, quod vacuat, sed nec minus, quòd reprimit vi astrictoria. Gratius verò efficies si syrupi de infusione rosarum solutiui ℥ j. addideris, aut duas quoque, & est recentiorum medicamen ex rosis, quæ carnis colore sunt, confectũ, montanis, septies saltem affusis: atque antequàm sole vrantur collectis, maturis, sed non euanidis. His enim modis in hac compositione erratur. Quod verò addit, (Deinde fiant quæ diximus) adhiberi vult quæ reprimant, quorum confectio, atq; vsus supra est positus.

Syrupi rosati solutiui conditiones.

Nam in hac multò magis conueniunt, quàm in priore; quoniam maiore impetu in caput influit. Quo loco adnotare oportet, cum in fluxu humorum dicimus, non ita credendum, vt humores proruant vi sua: sed quòd propelluntur, idq; à partium natura prorita, in partes, quæ vel per naturam communem, vel propriam, & priuatam sunt imbecilles, aut ex accidente aliquo. Partes natura communi imbecillę, adenes, & inter viscera, cerebrum, pulmo, quo ad excrementa suscipienda. Propria verò, quæ intemperiem aliquam in prima origine sunt sortita. Ex accidente, vt quòd morbum aliquem sint passa, plagam, vulnus, & huiusmodi. Sic ergo perpetuò intelligenda est fluxionis ratio à Galen. sæpe exposita.

Componit deinde frigida medicamenta ex oleis, quæ ex potestate frigidis materijs sunt composita, quibus ad caput vtitur. Quoniam verò diuersa ratione possunt applicari, hinc ad diuersas partes applicat, hoc est, nares, aures, & syncipput, etiam actu frigida, & refrigerata modis, qui aliâs sunt dicti. Odoramenta etiam frigida adhibet, ex floribus arborum, germinibus, atque eiusmodi. Sed inter hæc præcipuè in vsu est oleum violaceum, id est, ex nigris violis cõfectum. Postremum ex camphora est, quam æstimat odore frigidam, & frigidæ temperaturæ. Sed ego puto veteres de alio succo, vel gummi loquutos, quàm nos modo habeamus. Neque mirum, sunt

Camphora, quam nos habemus nõ est eadem cũ antiquorũ.

funt enim innumera eiusmodi quæ sub alieno nomine venduntur, vt assa laseris loco, & casia loco cinamomi, & quę myrrha vocatur, & therebyntina resina, & sandaraca, sandix chalcites. Quòd verò me mouet est, quoniã quocunq; modo ratione discurras, & examines, calidũ inuenies. Odor enim primũ acris, & penetrans maximè id mõstrat: Mox sapor, qui admodũ acris est, ferè piperi ęquale: quę sanè duo non modo igneũ elemẽtum dominari, sed valdè dominari significat. Scio equidẽ frigida quoq; odore esse aliqua, ob partiũ diuersitatẽ, sed odore ignauo & tenui, non acri & valido, vt rosa est, & viola. Sed sapor multò certior nuncius: nam ipsam rei substantiã attingit, vbi odor, solũ quasi corticẽ. Quòd si ratione discurras quod maximè & velocissimè ignibile est, ignis naturæ est proximum, vt de sulphure Naphta patet. At nihil est æquè ignibile ac camphora; Vnde ex ea inextinguibilem ferè ignis materiam ad bellum parant. Præterea vigilias inducere fatetur, quod nõ esset si ad tertium frigiditatis ordinem perueniret. Opium verò in extremo ordine frigidum est, adeò vt perimat. Est autem nigri papaueris succus, quo rarò interius vtimur, sæpe verò in extimis membris. De victus ratione ait (Nutriatur vt diximus), Multum enim conuenit hęc cura cum superiore. Sed melius est rursus resumere curationis capita, atque quæ desunt supplere: aridam enim admodum nobis huius doloris tractationem dimisit.

Camphora calida.

Opium frigidum in extremo ordine.

Cum igitur intemperies cum materia biliosa adsit, & ita fouentem habeat causam, iuxta methodum, necesse est in causas resoluere, donec ad primas & summas causas perueniamus, quas etiam abscindere oportet. Hæc est materia in venis abundans, quæ ad caput irruit, & in eius sensitiuis partibus inbibita, dolorem facit. quare à vacuatione est inchoandum, vt tum è toto, tum ex affecta parte educatur: sic enim dolor quiescet, præterquàm vbi intemperies sit derelicta, & aliquid ipsius morbi iam factum. Tunc enim eam per contrariam intemperiem sanare oportet. Hæc est curandi ratio methodo tradita, 7. Metho. in omnibus partibus, quę ex aliquo influente humore intemperiem patiuntur.

Primùm igitur dubitatur, num aliquando in hoc affectu venę sectio conueniat? Ad hoc verò sic respondetur. Si temperamẽtum, & corporis habitus sanguini attestantur, venam statim secabis. In his enim bilis, quæ abundat, mista est sanguini. Corpora nanque sanguinea facilè bilem acceruant, calore iocinoris exurente: siquidem causæ illæ adsint, quæ bilem gignant, vigiliæ, curæ, studia, iræ, exercitia, & huiusmodi. Postea purgationẽ molieris. Vbi quęritur, num expectanda sit concoctio, vel aliqua ratione procuranda, vt exposi-

Dubitatur an uenæ sectio conueniat in hoc affectu.

tores volunt: qui etiam longam quandam compositionem parant, quam dicunt esse syrupum bilis digestiuum. Porrò aliàs monstraui non intelligere hos, quid concoctionis nomine significetur. quę scilicet est conditio, quæ ante purgationem requiritur. & quomodo bilis cruda & cocta diceretur. Quod enim ordinant, potius ad intemperiem, facta vacuatione erat instituendum, non cum bilis adhuc educenda est. Ipsa enim statim ab initio est educenda, cum nec obstructio, neq; febris adest, quę prohibeat: nec signa concoctionis ab vrinis hìc expectare oportet: quoniam morbus febrilis non est. Cum Galenus dolores oculorum maximos curarit primo die, certum est non dedisse antea, quę bilem corrigerent. Igitur si sola signa bilis appareant, & corpus apprimè biliosum fuerit, à venæ sectione abstinebis, purgabis verò statim, prout materia exigere videbitur: hoc est, si biliosa, & tenuis sit, nec magna purgandi necessitas, vt quòd multa materia sit, & magnus morbus: sat erunt purgatiua leuia, quæ posuimus, & ex his est Aloe, & Galeni hiera, quam describit 7. Metho. & 2. Catatop. & Absinthij cremor. Oportet autem Absinthium non vdo loco nasci, atq; eius viridis cacumina incoquere. Exigit autem leuem cocturam, puta quæ ad quartam solum decrescit. Hæc potio bilem purgat, alijs per aluum, alijs per vrinas. Quòd si fortius purgare velis, addes ad ipsum Aloen scãmonij pauxillum, hoc est pillulas ex aloe conficies, adiecto scammonio iuxta robur corporis, & indigentiam multæ vacuationis. Mediocris verò modus erit, si ad aloes ℥j. adieceris scammonij gr. 8. Oportet autem eum, qui purgaturus est, naturam ægri exploratam habere, atq; ad eam purgantia metiri. Sunt enim qui facilè, sunt qui difficilè purgantur; sunt qui ab vno medicamenti genere, & qui ab alio læduntur. Itaque & ægrum rogare conuenit, vt naturam propriam aliqua ratione conijcias. Quòd si dolor non adeò acutus, aut tactus calidus, & conijcis adesse excrementa pituitosa admista bili, ita vt crassior sit bilis, pillulæ aureæ optimũ erunt præsidium ℥j. quæ cũ turbith, & quæ ex hiera cum agarico componuntur.

Taxantur moderni concoctionem bilis procurantes ante uacuationem

Absinthij boni conditiones.

Si verò potionem exigat, agaricum, & rhabarbarum infusa propinabitis: mox expressa, & his mannam, aut casiam admiscebitis. Confert etiam electuarium ex psyllio potatum vnciæ mediæ pondere cum casia. Confert, & qui de succo rosarum inscribitur, in duris corporibus tantundem capiendo.

Electariũ de succo rosarum.

Quoniam verò semel de capitis purgatione mentio fuit, dignum inquisitione est, num quæ propinantur medicamẽta, à cœna, vt qui dam censent, sint exibenda. Respondeo, medicamenta vnà cum cibo admiscenda non sunt, præsertim si post sumantur. Etenim ad locum

cum in quo sunt, humores trahunt, quod est ijs proprium, vnde praui succi admiscentur cibo, & ipsum corrumpunt. Præterea cibus distrahitur ante tempus, & ducitur per aluum. Etenim proritatur natura tum à medicamenti qualitate, tum ab humoribus, qui confluxere. Præterea minus operatur. quod fusum admiscetur cibo, vnde vis eius retunditur. Nam si à cibo superingesto exoluitur medicamenti vis, vt habetur secundo de Vict. non video quin etiam ab eo, qui præfuit, exoluatur. Quòd si dicas, Hippo. ptisanam sorbere facit. ergo admiscet. Respondetur, primùm, exiguum, dicit enim consueta potione minorem; at in acutis circiter vncias tres in vna cibatione offerebant: ideo parua erit quantitas. Præterea medicamentum illud forte satis, erat ex helleboro, vel peplo, quod est Tithymali genus: ideo impediri à re leui non potest. Quo loco etiam tollendus est error eorum, qui, vbi medicamentum purgare cœperit, iuscula exhibent, feliciorem sic deiectionem fieri rati. Etenim potius impediunt: quanquam vbi prorsus medicamenti vis ad ima descenderit, nec amplius in summo ventre dimotio sentiatur, sorbitionem dare liceat.

Taxantur qui post purgás medicamentũ præbẽt iuscula.

Vt igitur ad propositum reuertamur, non bene faciunt, qui pillulas, aut bolos horis duabus post cibum propinant, id est, mox dormituris, sic fieri purgationem feliciorem rati: omnibus enim illis incommodis præhenduntur. Paulus id prohibet lib. 7. cap. de Bilem purgantibus. Quare saltem expectandum, vt venter inanitus sit cibo, & quòd prima concoctio perfecta sit: minus tamen mali operantur, quæ solùm coprogoga, id est, stercoris eductiua sunt, propterea quòd prauos succos è remotis non trahunt; vt aloe, & rhabarbarum, præsertim quantitate modica. Sed num hac vacuatione dolor sedabitur? Sedabitur quidem: quoniam Galenus se dolores oculorum sedasse vna die purgatione sola ait. Hoc autem accidit, quoniam vis medicamenti trahit vndiq; ad se succos: vnde & à capite eos reuellit, & partem vacuat. Quòd si à medicamento factum non sit, sed adhuc vrget, reuulsionem insuper clystere iuuabis, & alijs reuulsorijs ingenijs vteris. Patet igitur quando purgandum, & quibus purgandum, & quanta purgatio esse debet. Sed num aliquando per superna purgandum, id est, vomitus proritandus? Respondeo, vbi materia confluit ad ventrem, vt fit, cum per consensum capitis venter debilitatus excrementa suscipit, tunc vomitu educi potest, præsertim si ęger promptus sit, quod ab eo rescire oportet. Si verò difficulter vomat, tunc omnino prohibemus vomitum: Etenim lato ad superna impetu, caput repletur. Iuuat etiam cum ex ventre materia ad caput per vapores tendit, de quo seorsum sermo

Coprogoga medicamenta.

erit. De repercutientibus nihil vltra dicendum nobis est, quàm quę suprà diximus, vbi & tradidimus qua ratione iuuent, nempè partem roborando: vnde & minus recipit quod confluit, & repellit, quod influxit: sed & intemperiem partis emendant refrigerando.

Respiciunt quoque affectum ipsum iam factum, id est, intemperiem derelictam frigida omnia, quæ applicantur: hęc autem sint aut actu, aut potestate frigida, aut vtroq; modo iuxta exigentiam magnitudinis causæ. Si verò symptomata vrgent vigiliarum, quæ tandem ægrum possent debilitato capite, & siccato cerebro ad deliriũ ducere: necesse est vti his, quæ dolorem sopiunt, & somnum conciliant: quæ etiam hoc casu, scilicet in materia calida adeò suspecta, non sunt, vt de dysenteria dicebat Galenus, & colico à bilioso humore: temperant enim vim, & acredinem illius humoris. Sunt autem leuiora ex his extremorum lotiones ex his confectæ, quę somni conciliandi vim habent, vt vapor ille naribus attractus acritudinem humoris retundat, & sedet morsum, & sensus acuitatem nonnihil retundat. Eius compositio est ex vitis folijs, & salicis vtriusq; & viridi anetho, & harundinum, & populi, & violarum, & nympheę, demum & capitum papaueris. Hæc si recentia haberi possunt, plus iuuant. sin hyems est, quanuis non temerè hyeme affectio accedat, siccis saltem vtitor. Nam violæ, & nimpheæ flores, & anethum, & papaueres siccantur. Sæpe verò his caput perfundito, & est vehementior operatio. Vtemur his tepidis vt penetrent, & aliquid materiæ tenuis actuali calore resoluatur.

Somnũ cõciliare quibus modis possimus.

Oportet enim factis vacuationibus, ijs, quæ materiam digerant vti, cum præsertim iam fluxio restitit. Nam vbi non sit intentio magna ad dolorem, etiam chamæmelo inungimus, & his, quæ resoluunt: quanuis intentio in resolutione in merè biliosa ferè nulla sit, sed bene si de pituita quid sit admistum. Quòd si calor non adsit, etiam cum theriaca noua, puta sex, vel octo mensium, illinire. Ad vigiliarum etiam instantiam faciunt odoramenta à Rase posita: faciunt & linimenta ex violaceo oleo, vel de papauere. Aliquando verò & trochiscos stellæ, qui communiter componuntur, oleo dissoluo, & frontē, & tempora illino. Prodest etiam syrupus de papauere, pondere ℥ j. ebibitus à cœna per horã: prodest & diacodion descriptione Galeni eadem hora sumptus, vsq; ad ℥ j. Quòd si recens sit, sat fuerit ʒ vj.

Postremus scopus est victum instituere, qui tum morbo, tũ morbi causæ conferat, id est contrarius his sit. Sic enim morbi augmentum tolles, & morbo iam facto leuabis. Primùm igitur aerem, ad frigidum, nisi spontè sit talis, deduces; de qua materia supra sermo fuit.

fuit. Cibũ verò ex lactucis, intybo, acetoſa, cucurbita,& in ſumma qui refrigeret,& humectet,vt panis ex aqua,& ptiſana. Tanta autẽ ſit quantitas, vt neque fame irritetur, neq; in multo concoquendo venter laboret. Potu vini omnino arceatur, eius loco aquam ex iuleb. violato, aut roſato ſimplici, aut acetoſo. In fine verò morbi, ad reliquias tollendas, modicè ſumptum iuuabit. Concoquit enim & frangit bilis acrimoniam, 7. Metho. ſed album eſſe oportet. A cibo verò aſtrictorium quidpiam propinabis, vt diacydonium, aut etiã piri aliquid, vel mali. Patet quoque quòd ventrem imum inanitum eſſe oportet: quòd ſi non eat, clyſmate eſt vtendum, nõ ſemper acri, ſed vbi fluxio timetur. Motus omnis, tum animi, tum corporis interdicatur, leues tamen deambulationes conferunt, & frictiones extremorum.

De antiquo Capitis dolore. Cap. V.

SEquitur in Tex. (Quòd ſi cum prædictis,&c.) Expoſitores omnes putãt hic agi de dolore capitis à frigida materiali intemperie. Sed quoniam ſi ſic dicatur, multa contrà ſe habere videntur, ideo multum quoque laborant. Primùm eſt, quomodo, ſi materia, phlegma eſt, quod ſua qualitate dolorem faciat, & diſtentione, cur purgat maximè ijs, quæ bilem mouent: Nam quæ bilem vacuant, oberunt potius vacuando ea, quæ velut frenum ſunt pituitę: nempe quæ minus eam rebellem reddunt. Diſſecat enim & extenuat bilis humor,& infarctu liberat. Ipſi fingunt, ſcammoniam appoſitam, velut calcar. Sed quomodo in maxima quãtitate apponitur? Alij dicunt non influere vnum humorem, ſed miſtos,& bene dicunt: ſed iam ſi miſturã medicamenti cõſideremus, vtrunq; abundare videbitur,& eſſe malum à craſſa bile. Rafis expoſitores errant.

Quod etiam me mouet, eſt: quoniã à plenitate pituitę in capite non fiunt graues dolores; ſed obtuſi admodum, aurium tinnitus, grauitates, ſopores. Dolent aliquando ob flatus vaporoſos à materia eleuatos: ſed niſi adſit calor aliquis, pauci eleuantur, id eſt, materia calida admiſta. Et quidem experientia monſtrat eos, qui intemperiem frigidam cum materia patiuntur, ob Boream ventum, aut quia capite per hiemem multum operto, præſertim noctu incedant (quod mali genus præcipuè Florentiæ euenit) non videmus dolores nota dignos fieri, ſed grauitates potius, & ſomnos longiores. Modo hîc ſcriptor non omnia genera dolorum proſequutus videtur, ſed graues ſolum. Ideò cum de his, qui ab intemperie ſola

fiunt, loqueretur, non niſi de calida, & de ardore meminit. Quòd ſi dicas nonne ab intemperie frigida dolores maximi excitantur? Reſpondeo, nunquam æquè vt calidi, ſed maiores, quàm ab alia intẽperie, quæ nullum facit. Contrà, dolor colicus eſt ex frigido humore, de quo Gal. de Loc. affect. Reſpondeo, quoniã inuolucra inteſtinorũ diſtẽdebat in ijs genitus flatus, quæ craſſa cum ſint (& eſt ratio, quam ibi reddit) exitum humoris non admittunt, & flatuum. At membranæ non facilè eo humore afficiuntur, quoniam calidiores ſunt ob influentem temperiem à venis, & arterijs, vnde concoquere, & diſcutere poſſunt. Sæpius verò ea intemperies cerebrum afficit ob ipſius frigiditatem, vnde fit grauitas. Extenduntur verò membranæ aliquando ſpiritu flatuoſo, qui eleuatur, vnde fit dolor, ſed maximis nunquam, quoniam facilius difflatur ob calorem earum, & tenuitatem, & vaſorum multitudinem.

Quod etiam me mouet eſt, quoniam in titulo capitis, de Hemicrania propoſuerat dicere. Attamen ſi his locus dicendi non ſit, non fecit vnquam mentionem de ea. Reliquit ergo potiſsimum locum tractationis, nempe de dolore capitis antiquo. Quòd ſi verba eius cõſideres, videbis de antiquo dolore loqui. Ait enim, Et paſsio veterata fuerit. Et poſt, linimentum hoc, inquit, omni antiquæ cephaleæ confert. Quòd ſi conſideres curandi modum, videbis prorſus, non conuenire recenti cephaleæ frigidæ, ſed dolori antiquo. Cur enim meminiſſet de linimentis, rurſus ad cephaleam calidam, niſi quia diuturni hi dolores, à cauſa calidiore, vel frigidiore euenire poſſunt? Malè igitur, atq; impudenter, tanquam ab eo dimiſſum, præcipuum affectum ſeorſum à verbis Raſes curant. Ideo dicamus agere hîc de doloribus diuturnis, à quibus, & cæcitates, & apoplexiæ, & paraliſes aliquando originem ducunt, debilitato cerebro: & nos afferemus ea remedia, quæ hîc Galenus ſcripſit. Poſtea de ijs, qui noui ſunt, & à cauſa frigida, loquemur. Nam ex his, quę hîc dicemus, plurima illuc transferri poterunt.

De doloribus diuturnis tractatur in hoc capite.

Dolores capitis inueteratos diximus, apud Galenum nomine cephaleæ comprehendi, ſed ſi priuatim partem vnam, non totum occupant, dicitur Hemicranea: ſeu pars dextra ſit, ſeu ſiniſtra. Hi verò dolores, aut continui ſunt habentes excreſcentias aliquas, aut intermittunt, ſed habent paroxiſmum, idque vel cum ordine, vt quotidie certa hora affligat, aut ſine ordine. Vtrunque enim videtur, ſed ſæpius ordinem non ſeruat. Eſt quibus ſtatis temporibus reuertatur, & plures dies duret, vt etiam morbi omnes à fluxione fiunt, 2. de Diffe. febr. Non enim ſola partis imbecillitas cauſa eſt reditus, ſed materiei aggregatio, ſeu ſenſim facta in parte, ſeu aliunde

de transmissa, quod sæpius euenit. Nam partes iam morbo debilitatę, facilè vndiq; suscipiunt. In summa cephalea, inquit Galen. dolor est inueteratus, & ægrè cedens, atq; ibi pulcherrimè curam describit. atq; vtinam talem methodum, & curationis materiam in omni affectu à Galeno haberemus: Neq; enim in ijs nobis laborandum esset, quæ confusæ omnia, & sine arte vlla proponunt. Dolor verò hic à materia fit, seu distendente sua quantitate, seu mordente ob acritudinē, seu vtroq; iuncto lædente. Materia verò ex qua gignitur, est prorsus mista ex frigido, vel calido humore. Nā si solus calidus esset, diuturnus nō esset, & ægrè solubilis: si solus frigidus, dolores maximos inueheret. Mistus ergo est, vel ex pituita, & bile, vel etiā humore melancholico, & bile. Nonnunquā verò, & sanguinis mistionē habet. distingues verò hæc, ex proprijs signis. Nosti enim signa dominātis sanguinis, & bilis, & pituitę ex calore, colore, doloris proprietate, & alijs, quæ suprà adduximus, de victu præcedente, ætate, & natura. Accidit quoq; à vaporibus, tum quantitate, tum qualitate sua mala lædentibus: quod ego vidi in mulieribus, quæ ab vtero id patiuntur: quod ex dolore tensiuo cum mordacitate deprehenditur. Contrà, qui ex vaporibus, erit facilè solubilis. Respondetur, qui breui cessant, à vaporibus sunt. Nam alij necessariò processiones multorum dierum faciunt, licet increscant.

Locus verò affectus sic distinguitur: vel enim intra caluariam est quod afficitur, vel extra: si extra ad tactum dolent vehementer, præsertim circa temporum musculos, qui etiam vehemēter pulsant: sæpe & arteriæ post aures, sæpe tota cutis adeo, vt capillos vix tangi permittant. hic, inquit Galenus, membranæ os ambientis affectio est, id est, quòd vehementer dolet, non quòd affectio ad aliàs extimas partes non pertineat. Qui verò in superficie sui sensum non faciunt, ad cerebri inuolucra pertinent. Habent autem præterea apertum signum, quòd si vehementiores fiant, ad oculorum radices dolor peruenit, quia è cerebri membranis oculorum tunicæ ortum habent: illis ergo distentis, & conuulsis, nihil mirum, si oculi quoque patiuntur. Porrò, vt in omni affectu euenit, qui periodos habeat, ita hic euenire in curatione tractanda debet. Egent enim cum in præsens non quæruntur sola præuisione. Cum verò in præsens quæruntur, mista est præuisioni curatio: præuisio verò in hoc consistit, quæ sola est, vt caput roboremus, & copiam humorum, qui stato tempore attolli solent, auferamus: quòd si pars aliqua priuatim sit, quę mandat, ei prospiciamus. Quòd si paulatim materiam caput aceruat, per interualla vacuabimus, & partem roborabimus, id est, ipsum cerebrum, ne gignat. Debilitas verò partis ex præcedente

aliquo affectu orta erit, vt dolore ipso aliàs non curato: aut quia sensim leuis irrepsit, nec medicum aduocauit: vnde fit postea diuturnus, & curatu difficilis.

Priusquam verò curationem aggrediamur, necesse est nobis dignoscere, quando pars per consensum læditur, quando proprio affectu. Rursus, qua ratione deprehendere debemus, cuius partis cõsensu homo laboret. Multum in hoc laborant iuniores medici, sed scopum non attingunt. Habenda verò hæc sunt, ex 1. & 3. de Loc. Affect. quæ sic in Epitomen deduces. Affici igitur per consensum pars dicitur, cum ipsa proprium affectum non habet, sed ad malum alterius afficitur. Hoc autem fit, quia eius actio sensibiliter impeditur, sed impedimenti causa, qui propriè morbus est, in altero est membro. exempli gratia, si in brachio sensus, & motus perdatur affecta spinali medulla, vt quia ex casu inflammata sit, aut ex distillatione, pituitæ nerui sint oblæsi qui ad brachium, tunc dicitur affectum brachium per consensum solum. Sed hoc in actionibus animalibus solum eueniet. Potest esse, inquit Galen. in fine primi libri, de Loc. Affect. vt pars sine affectu, proprio eas perdat. In naturalibus non potest, sed semper ex læsione actionis membri, significatur affectus proprius illius. Similiter ex dolore semper significatur affectus, qui parti dolenti adest, & ex hydrope iecur esse affectum, & ex ructu malo, ventriculum. Demum omnia symptomata partium, quibus adsunt, proprios affectus declarant: exceptis ijs, quæ ad animalem facultatem pertinent. Sic igitur nullus dolor erit per cõsensum. Cum verò ex affectu partis, altera afficitur, vt quia corpus aliquod ab ea eleuatur, vapor, scilicet vel humor. Vnde & alius in altera parte morbus gignitur iã hîc secũdarius morb. dici debebit, nõ per consensũ. Etenim ipsa quoq; pars morbosum affectũ in se habet, qui quòd prioris est soboles, secundarius dicitur, per consensum verò non dicitur. Quòd si & hunc consensum dicere velis, nõ prohibeo, dummodo distinguas qui propriè, & qui impropriè per cõsensum dicatur. Priori enim propria curatio non debetur, quia neq; proprio affectu laborat, posteriori verò debetur. Nam proprium morbum patitur.

Cum igitur aliæ operationes, partium ab animalibus, læsæ sunt, vel dolor adsit, & alia symptomata omnia, illis exceptis, statim proprio affectu eam affici dignosces. Sed vltra quærendum venit, num morbus hic, ab alio morbo alterius partis foueatur, aut causam suæ generationis in alia parte habeat: hoc enim conijcere oportet, quoniam in primis causas oportet abscindere, & ita parti mandanti prius oportet prospicere. Hîc verò optimè nosse oportet, quæ partes, quibúsnam communicare possint suos affectus, idq; partim experientia

rientia comperiri poteſt,& longa obſeruatione, partim ratione,inſpecta communitate partium ex diſſectionibus. Quæ enim communicant,neceſſe eſt,per aliquam viam ſibi tranſmittere humores, vel vapores, ſed hoc facit ad dignoſcendum, quæ priuatim malum tranſmiſerit. Sed in genere,quod hic morbus non ſit primarius, ſed ſecundarius, conijcitur primùm ex eo, quòd ad alterius affectum, & oritur,& creſcit,& decreſcit, vt dolor capitis ex febris vapore factus,& quòd illa parte ſanata ſtatim etiam aut breui ſedatur. Quòd ſi alter ille præceſsit, priuſquam hic nouus adoriatur, iam ſignum eſt ſecundarij morbi. Demum ex applicitis remedijs diſtinguetur. Etenim ſi aliunde pendeat, iuuabunt quidem aliquando, ſed non perfectè ſanabunt.

Nunc ad curationem veniendum,in qua reprehendendi veniũt: qui diuerſum caput faciunt, de cephaleæ, & emicraneæ curatione, & remedia noua apponunt,quaſi diuerſi affectus ſint,&non potius ſola parte affecta diſtinguantur. Taxantur qui diuerſum caput de cephaleæ, & emicraniæ curatione faciunt.

Igitur vt in hoc morbo,vt & in cæteris omnibus primùm curatiuos ſcopos inuenire oportet methodo. Mox docere, quomodo vnicuiq; eorum proprijs,& commodis remedijs, & cõuenienti vſu eorum poſsit ſatis fieri. Doloris itaq; cauſam proximam dicebamus, aut vaporum,&omnino exalationum vim magnam,vel humorum, vel etiam amborum generum ſimul,qui ſanè,vel copia diſtenderẽt, & grauarent.vel ſua qualitate morderent, atq; eroderent ſenſitiuas capitis partes. Sed dices,ſtatim nõ videri fieri poſſe,vt à vaporibus dolor hic diuturnus excitari poſsit. Eſt enim vaporum materia tenuis,& facile ſolubilis. Reſpondetur, poſſe quidem continuari,& diuturnus fieri, non tam vaporum ipſorum ratione,quàm materiæ ex qua gignuntur, quæ multa,& craſſa cum ſit, & difficilè ſolubilis, nihil mirum,ſi vaporum perpetuam generationem,& multam ſubminiſtrare poſsit. Methodica curatio.

Fit autem huius materiæ generatio in capite bifariam, vel enim à toto excrementa ſuſcipiens, vel à parte aliqua determinata congregat,vnde malum quoq; ſenſim radices agit. Mox nacta occaſione aliqua externi frigoris,vel æſtus,vel iræ, vel alterius cauſæ, quæ caput incendat, dolor maximus excitatur. Alia ratione,cum nunc ſubitò confertim à toto,vel parte aliqua humores,vel vapores proruunt. Porrò quouis modo ex his fiat, in tollenda hac cauſa proxima prius remotas illas reſpicere oportet, atque inde curatio ordiri debet: aliter enim nihil proficeres. Hæ ſunt multitudo humorum, qui in toto: ſecundo partis infirmitas, ob quam facilè, prompteque ſuſcipit,nec à ſe poteſt propellere: demum tertiò partem affectam

vacuare. Igitur multitudo humorum in toto tum vacuari, tum reuelli à capite debet. Pars verò affecta firmanda est primum reprimentibus, mox adiunctis quoq; his, quæ eam vacuent; hæc est tota medici intentio, quatenus ad remedia curatiua attinet.

Cum primùm itaq; huic ægro occurris, totius vacuationem moliri oportet: in omni enim magno morbo vacuatione est opus, seu præsens sit, seu immineat. At hic magnus morbus est: Etenim magna habet symptomata. Facit etiam imminere morbos magnos, vt cæcitatem, surditatem, apoplexiam, vertigines, comitialem. Sed qua ratione corpus vacuetur, sic distingue, nempe ex natura humorum, qui abundant. Nam si solum vitiosi sint, atq; alij à sanguine affluant, purgatione erit opus: sin vnà, & sanguis etiam, venæ sectionem adhibebis. Fiant autem hæ vacuationes adeò, vt vnà vacuent peccantes humores, & à capite eos reuellant. Itaq; vena quę secatur cephalica erit, & purgatio per inferna non per superna: sed hoc ad congruum vsum attinet, de quo statim.

Mox purgandum hac ratione est: primùm per leuiora, vt si pituita abundat magis, exhibito vesperi acri clysmate, vt qui recipiat hieram, scilicet aut logadij ℥ j. mane hieram ipsam potui dabimus cum Trochis. de agarico. Si verò potius biliosa sit, & calida, aureas pillulas, aut quæ de agarico dicentur; & sunt ambæ mediocres. Interim corpus ad integram purgationem parabo his, quæ extenuent, dissecent, & vias aperiant ex præcepto Hippo. Incoquemus igitur hissopum, origanum, fœniculi radices, sampsucum, betonicā, & aliquid aromaticum iungemus: & in summa herbas, quæ dissecare, & extenuare possunt, & decocti ℥ iiij. addemns oximellis simpl. si tenuiorem humorem esse conijcis, aut etiam squillitici, si crassiorem. Et nota de squillitico, quòd si probè confectum sit, quod dignosces ex amaritudine, purgat aluum, & pituitam ducit, vacuatq; ventrem optimè, & primas venas, vt si ℥ ij. propinentur. Oportet autem multò ante lucem propinare, vt somni aliquid æger capiat, & diu cibo abstinere, quoniam non facilè conficiuntur hæc medicamenta in vētre. Hoc verò non solùm pituitā & crassā bilem, seu atram, quæ in toto est, præparat, sed & quæ priuatim caput obtinet. Interim dum hęc agis, clystere quoq; vteris acri mane ante cibum. Post duos dies ad fortiora vacuantia deuenies. In quorum numero sunt, hierę magnæ illæ compositiones, quas apud Aetium leges, primùm eam, quam Galeno tribuit, & quæ ad Archigenem authorem refertur, & quæ ad Ruffum. Fortissima verò est, quæ Galen. quam ipse Diacolocynthidos nominat, & miris effert laudibus.

Diacolocynthis examinatur

Sunt autem purgantia, quæ eam componunt, primùm colocyn-

this,

this,id eſt, eius interanea : naſcitur hæc & apud nos, ſed ignauior, quoſdam tamen ea vti audiui. De qua Paulus, pituitoſa, & muccoſa quæ ſcilicet ægrè cedunt, trahere ait à neruis, & neruoſis partibus. Vnde non molem ſolùm venarum, ſed & cerebrum, & eius membranas vacuare poteſt. Accipit nigri hellebori radices, quibus hodie quoque ego in decoctionibus, & pilulis vti cœpi, plus credens Gale. & magnis viris, quàm barbaris tranſcriptorib. Purgationẽ eius facilẽ, & innoxiam inueni, admiſcens Hipp. exemplo odorata ſemina. Purgat verò bilẽ vtráq;. Scãmonium quoq; pharmacũ, quod vehementiſsimè bilem purgat. Euphorbiũ, quod pituitã, epithimũ polipodium, quæ atram ducunt, & leuia ſunt. Agaricum, quod leuiter pituitam, & bilem purgat. Doſis verò eius medicamenti eſt ab vncia dimidia infrà, hoc vſus ſum in comitialibus, & alijs capitis affectibus ſatis vtiliter, & purgare ſine noxa inueni: Nam & puero decenni ʒ ij. exhibebam alijs iij. alijs iiij.

Quæ Ruffi, & Archigenis, mitiores ſunt, ſed non puto tantæ eſſe efficaciæ, vt quæ à Galeno deſcribitur. Eas quoque paraui in vitijs capitis, pectoris. in morbo Gallico vtemur. Huius generis ſunt, & pilulæ cochiæ à Raſi deſcriptæ, de quibus adeò digladiantur expoſitores, quòd velit ex his exhiberi ʒ ij. Præter cætera enim ingrediuntur in his ſcammonij gr. xv. Omnino igitur authorem omittunt, quoniam audiunt Meſuem nõ audere vltra xij. Vellent tamen vti dicũt, ſaluare authorẽ, & imaginantur ex multis ſolutiuis, quòd ſeſe impediunt, confici poſſe aliquod non ſolutiuum: quaſi experiri non liceret, ad imaginem ſe conferunt, quaſi medicus ijs, quæ imaginatur bona, & vſui eſſe, vti debeat: & non potius ipſam rei naturam, & experientiam, & bonorum authorum teſtimonium ſpectare.

Quoniam verò ſemel de huiuſmodi medicamentis fortibus ſermo incidit, animaduertere oportet, quòd ignaui noſtri temporis medici, dum relictis ducibus, fucos ſectantur, magnarum ægritudinum curam ſubſtulere. Quis hodie comitiales, quis melancholicos quis elephantem morbũ curari vidit? rarò paraliſim, rarò antiquos dolores, rarò podagricos. Quod ſanè non alia ratione euenit, quàm quòd fortia medicamenta omiſerunt, tum purgantia, tum etiam aliorum generum ſiccantia, & vacuantia, quales ſunt Theriaci ſales, qualis viperarum eſus. Dum enim contenti ſunt ſolo curationis nomine, lucrum ſanè capiunt ſolum, ſed honorem omnem artis detrahunt, quaſi ij ſolum morbi à medico ſanentur, qui ſponte ſua ſanarentur. Quòd verò magis indignandum eſt, hoc eſt, quòd ſæpe, qui morbi ipſis incurabiles perſtitere, à ruſticis, & mulieribus curari vi- Moderni taxantur.

deas,non sine multo artis dedecore. Nihil igitur timendum est, sed audacter propinanda,dum probè memineris eorum, quæ in purgatione faciunda obseruari debent. Nec enim temerè propinãda, sed explorandi ægri natura omnis,tum temperamentum, tum habitus corporis,tum purgandi facilitas,& alia de quibus Galenus in libello proprio abundè disserit, & 2. de Vict. acut. habentur in pleurititidis curatione.

His pensitatis, audebis & de Dosibus antiquorum, nec quid hi dicant curabis, cum sæpius in nominibus hallucinentur, & multis modis decipiantur. Primùm enim in scammonio Dioscorides, Aetius,Paulus,vsq; ad ʒ. exhibent,mediocrem modum ℈ ij. facientes. Sed & Galenus, si inspicias, cum pilulas componit, lib 5. Metho. descriptas,vel eas,quæ 14. lib. describuntur,pro singulis ʒ.plus quã gr. xij.scammonij habere vides,& tamen scrupulos ego quatuor exhibeo, idque sæpe sine noxa expertus,facilem enim satis purgationem faciunt.

Vidimus quomodo causa antecedens vacuetur,& reuellatur,vnde etiã nonnihil de coniuncta educitur,hoc est, quòd ipsius minus est affixum, seu sanguis mitti debeat insuper, vel solùm purgari vitiosus humor. Succedit mox,vbi mediocris purgatio facta est,tempus repellendi, quæ medicamenta indicantur: primùm quòd partis vacuationem adiuuant,vt suprà exposui. Exprimũt enim astringendo, si quid minus est infixum, dehinc partem roborant, vnde non facilè fluxionem suscipit,& erat secundus scopus curatiuus.

Hîc verò non temerè frigida exhibebis, nisi bilis multum abundare videatur, id est actu & potẽtia frigida, & tempus sit æstiuum,& æger robustus : aliàs tepida appones. Duo autem huius generis à Galeno proponuntur; primùm rosaceum per se,vel cum aceto,secundum hoc idem iniectis alijs astringentibus, quæ vnà & dolorem mitigant, & non nihil resoluunt, vt hederę corimbi, & viridis mentha:nam sicca acrior est:& hæc est ratio cur ventrem firmat sicilicet astringendo & calefaciendo. Oleæ germina solum astringunt, his caput perfundito.incoquere oleo oportet aqua mista.

Mentha sicca est acrior uiride, & propterea firmat uentrem.

Cum iam satis vacuatum corpus esse conieceris,ac reuulsi,& repressi qui ascendebant vapores,& humores : iam ad partem ipsam veniendum, vt quicquid morbi iam membro insedit,procuremus. Igitur,si adhuc sanguis abundare videatur, vt tensio venarum adsit & tumor,ad particulares capitis venas descendendum, aperiendo eam, quæ in naribus. Inquit Galenus : Solemus aperire ijs, quæ mordent,& pungunt interna,aliquando verò, & hirudines applicamus. Huius generis est,& scarificatio colli,& venæ frontis incisio.

Purgatio quoque propria est capitis per naritiua, quæ fiunt ex decoctis, vt sampsuci, thimi, satureiæ. Attrahuntur verò per nares pleno ore aqua, ne scilicet ad fauces descendat, & tussim proritet, & quia maiore vi sursum trahuntur: mox succis herbarum depuratis; quæ omnia proritandi vim, & extenuandi pituitam habere oportet. Quæ magis in vsu sunt, succus betę est, pręsertim radicum, mox anagallidis: præsertim eius, quæ cæruleum florem habet. Fortissima in agrestibus sunt, succus cucumeris agrestris, & cyclaminis, & chelidoniæ, siccum etiam elaterium, & cucumeris agrestis succus muliebri lacte dissolutus, attrahitur naribus, & vehementer purgat.

Quæ verò mansa pituitam per os trahunt, Apophlegmatismos vocant, huic morbo adhibentur ad caput purgandum, maximè verò vtilia ex Staphisagria, & pyrethro, & longo pipere componũtur, cera addita vt vniantur. Huc adhibe quæ bibuntur vel in ore tenentur à cœna ad siccanda capitis excrementa, vt diaspermaton, & theriaca noua, & Diambra, & conserua de stœcados, è quibus alia in calidiore, alia in frigidiore materia conueniunt: aliquando verò & zucharum ros. his admiscetur. Apophlegmatismi.

Perfusiones quoq; extrinsecus parãtur ad materię reliquias tollẽdas. Igitur si humores nõ adeò crassi, & difficiles sint, ex oleo dulci calido, præcipuè vetusto, perfundere caput sat erit. Huius quoque generis erit, & chamæmelinum. Sed si humores contumaces magis esse conieceris, incoques oleo vel serpillum, vel pulegium, menthã, spondilium, quæ discutere possunt, & robur addere parti, id est, astrictorium quid habent, neq; prorsus relaxantia sunt.

Ideo inquit, Iis vti ad integram vsque curationem possumus. Etenim cerebrum cum ex principibus partibus sit, eget in suis medicamentis ijs, quæ firmitudinem eius custodiant: In hoc pręcipuè morbo, in quo maxima occasio affectionis est ex debilitate partis.

Est autem hic obiter aduertendum, quid per partis debilitatem intelligamus. Solet enim Galenus irridere eos, qui partis imbecillitatem allegant, neque aliud insuper dicunt. Hi enim inquit, nihil dicunt plus plebeio 7. Meth. Sed causam potius afferre in mediũ oportet, qua pars illa debilis facta sit, id est, vt debiliter agat suas operationes. Sed cum dicimus partes imbecillas, necesse est affectum aliquem assignare, qui sit eius imbecillitatis causa proxima. Ita ergo in capite, imbecillum cerębrum dicitur, quoties non bene sua munera perficit, seu sint de naturalibus actionibus, quas cum reliquis partibus habet communes, seu de animalibus, quæ sibi sunt propriè. In naturalibus ergo facultatibus imbecillum erit, siqui- Imbecillitas partis.

dem facilè excrementa suscipiat: quod sanè nihil est aliud, quàm nō pollere facultate excernendi valida, & expellendi quæ noxia sunt. Idem enim est non admittere, atq; propellere, & ad eandem vim reducuntur: vnde morbis maximè fit obnoxium.

Sed quid nam pariat has imbecillitates, considerandum. Et videtur primùm intemperies causa esse. Vt enim à bene temperata parte robur est actionis, ita & ab intemperata imbecillitas, de quibus sexto de Tuen. San. Restitues ergo robur, si intemperiem sanabis. Cum verò sanitas quoq; in compositione consistat debita, vt meatus modicè laxos habeat, non laxatos seu sensiles, seu insensiles: hinc quoq; robur, & infirmitas parti euenit. Nam quæ pars laxis est meatibus, fluxui parata est, atq; infirma. Contrà, quæ astrictis, minimū recipit fluxiones: huic ergo malo obuiam imus astrictorijs medicamentis, & partem roboramus.

Partes verò, quæ dolore aliàs sunt affectæ, qua de causa imbecillæ fieri dicuntur? Num dolor, qua dolor est imbecillas partes facit? atque ita videmus fieri si venter, aut caput doleant. An quia partes diuellit, quod vnitatem soluere est? in qua robur non minus, atque in temperie statuebatur. Igitur caput in his tum intemperantiæ ratione, tum etiam solutionis, quam materia efficit morbi, imbecillum est redditum. Quare & duplici quoque ratione firmari postulat, tum tollendo intemperiem, tum soliditatem, & vnitatem partibus restituendo, quod sanè optimè faciunt quæ sunt proposita.

Postremò verò ea adhibere conuenit exterius, quæ morbi tollant reliquias: ea sunt emplastra discussoria, & attractoria, quæ scilicet materiā ex profundis partibus ad cutē trahunt: quod sanè fieri necesse est, cum materia rebellis est multū, & factis particularib. curationibus non cedit. Exempla eorū, quæ vehementer discutiunt, quibus, cum frigidior est materia, vtemur, hoc est Gal. vsitatissimū.

Recipe olei partes xij. ceræ partes tres, euphorbij vnam, aut si recens non sit, etiam duas. Sæpe enim ignauum habemus, hoc, frontem totā, & rasum synciput, aut dimidium, & temporis musculum, illinire conueniet. Sic ex synapi, & columborum stercore, cum aceto parare potes emplastri formam: euocat enim è profundo materiam: sit verò stercus ex agrestibus columbis, neq; inueteratum. Mitiora his sunt, si trochiscos stellæ sine opio in rosaceo dissoluas: quòd si vigilijs afflictus homo sit, etiam opium inijcies, & demum ad ea, quæ intro soporifera propinātur, deuenies. Trochisci etiam à Paulo in cura intemperiei calidæ descripti in hunc locum transferantur, & linimentum à Rase confectum. Etenim his deseruire Methodus demonstrat.

Debet etiam animaduerti experimentum, quod Paulus apponit, à muliere quadam acceptum, vt ait, quo multos his affectibus malè habitos curabat. Radicem agrestis cucumeris (Asininum vocant) & absynthium vnà incoquens hydreleo, donec liquescerent: ita vtebatur: primùm hydreleo partem fouebat, postea ex his emplastrum conficiebat, aut frontem, & caput derasum totum, aut dimidium illinens. Est autem methodo compositum, quoniam simplicia illa duo, tum partis robur augere possunt, tum quod in ea collectum est, discutere. Hydreleum verò accipit coctura materiam, ne oleum solum frixuram sentiat, & nidore offendat.

Caput de Præuisione.

PRæuisio verò his, qui nondum laborant, debetur, sed tempus præuenire oportet accessionis. Plurimum verò solent, qui ex frigidiore causa fiunt, verno tempore inuadere, vel initio æstatis, vel si accessiones crebriores habent, id est, singulis mensibus accedat, & per tres, aut quatuor dies duret, vt aliquando fieri vidi: tũc maiores saltem eo tempore euenient. Itaque Vere appetente sunt purgandi, vel si opus sit etiam vena secanda: mox caput quoque firmantibus vteris, vt lotionibus ex stœchade, cariophilis, nuce muscata: & elect. in quibus hæc ingrediuntur. Si verò ex calidiore humore, vel vapore fiant, solent æstate media magis affligere. Itaque hos sub finem Veris purgabis, cum scilicet iam aceruari in corpore cœpit bilis. Sic enim Galenus præcipit: vt si atra bilis magis in causa sit, Autumno purgentur. Præuisio quibus debetur.

Quòd si non à toto, sed à parte aliqua materia subministretur, opus erit explorare quæ pars ea sit, atq; ipsi congrua pręsidia afferre. Inuenimus autem præcipuè matricem in mulieribus hoc facere: quod facilè deprehenditur, quoniam sexto Epid. dolores, & morbi omnes, qui ab vtero, præcipuè syncipitis partem affligunt. De eius causa dubitat Galenus sexto Epid. lib. 1. nec enim satis patet. Reprehendit verò eos, qui dicunt vterum, quòd neruosus sit, iccirco neruorum principio maximè consentire: Exigui enim inquit nerui, si molem eius consideremus, ad ipsum accedunt. Quòd si 3. de Vict. cap. de Oximelle, vterum neruosum esse ait, intelligit, vt legenti loca vtraq; patet, habere magnam cum nerueis corporibus similitudinem. Etenim extenditur in magnum tumorem, & colore, & substantia assimilatur. Sed dices, quid ad rationem, cum dicit, ideo offendi aceto, quoniam neruosa pars? Videtur ergo loqui de neruis pro-

Acetum offendit frigidas partes.

priè dictis. Respondeo, offendit acetum frigidas partes, & quæ minimum caloris habent, & carnis, sed sunt membranosæ substantiæ. Ipse igitur rationem esse ait, quòd multis venis, & arterijs abundat, quibus potest ad caput vaporum multitudinem transmittere. Adde quòd in vtero, quibusdã sic affectis, multus vitiosus humor colligitur, vnde vapores elati, caput quasi caminum petunt. Attamen hoc difficile est, cum tot viscera intermedia sint, per quæ ascendere hos vapores est necessarium, fieri tamen maximum consortium dolorum, & morborum ab vtero ad caput. Nam quæ præfocantur, & conuelluntur, & epilepsiam patiuntur, & vertigines, & dolores, nõ alia de causa, quàm quia caput afficitur. Medicis tamen hoc sat est scire, quòd si vtero prospicient, etiam caput morbo leuabunt. Si itaque suppresi sunt menses, prouocentur: modus autem alibi à nobis explicabitur. Habemus enim in hoc secreta medicamina. sin ex retento semine, atq; in vasis corrupto, quęrere vt excernant, si nubere possunt: sin autem monachis curandas dimittere oportet.

Si verò ex ventriculo ortum habet, aut iocinore, partes eę expurgandæ sunt. Solent autem à ventriculo pituitosi potius, à iocinore verò biliosi prouenire. Ille verò, qui per consensum neruorum ventris cum mordentur ab acri humore, gignitur ex acuitate sensus ægri, vt à Galeno dicitur sexto de San. tuen. & inde accipit omnia Auic. vt & curationem. Quòd si ex iocinore bilis in ventrem cõfluat, non adeò difficiles morbi fiunt dolorosi. Obseruare enim oportet vt ventri firmitudinem facias, tum cibo, quo roboratur, tum vel maximè adiectis his, quæ roborent, cuiusmodi sunt austera, & astrictoria omnia.

Victus verò ratio hemicraneam patientibus, & cephaleam omnem, id est, ægrè curabiles hos dolores, est, vt causę facienti obuies: si calida exuperat, refrigerando, attamen nõ omittendo, vt exiguus cibus sit, & concoctu facilis; Vbi verò frigidior, etiam his, quæ extenuent cibis, tum herbis, tum aromatis, vitanda omnia, quæ inflant, & crudum succum gignunt, vt vaporosa, vt calidæ radices, & synapi & vina præsertim inter initia: nam in fine competunt: à cibo reprimentia sumenda. Venter perpetuò mollis sit: Somnus prouocetur, præsertim in calidiore, saltem extremorum frictionibus, cætera verò, vt in superioribus, componantur.

Paulus de aquarum spontè nascentium vsu loquitur, ideo quædam adijcienda sunt. Nam fusam eorum tractationem, & quantum experientia in hac re habeo, infrà capite de paralysi dicemus. Interim tamen distinguendum est, quibus nam affectibus capitis conueniant: nec tamen id absolutè pronunciari potest, sed cum distin-

ctione

ctione ipsorum affectuum, etiam aquarum distinctionem facere, ne eos imitemur, qui citra distinctionem laudant, atque vituperant. Quòd igitur aquæ omnes eiusmodi, quas nouimus, vim siccatoriã habeant, Galenus & Paulus testantur, & nos experimur in siccandis vlceribus: quanquam alia aliam in siccando non parum excedat. Nam quicquid metallici ijs admisceatur, necessariò siccante vi præditum est, vt & sulphur, & alumen, & sales, & demũ omnia, quæ terrena portione multum participant. Habent & astrictoriam vim plurimæ, sed euidentissimè quæ alumen sapiunt, & æris naturam, & ferri: Vnde tum partem siccare, tum roborare possunt. Sed quòd in quæstionem venit est calor. Hucusq; nanq; omnes iuuare possent infirmum caput, tum siccando morbi reliquias, tum roborando astrictoria vi, quæ duo in hisce morbis præcipuè exigi diximus. At non omnes affectus calorem exigunt, imò si à calidis vaporibus malum proueniat, apprimè lædetur. Igitur Paulus simpliciter pronunciat oẽs aquas spõte natas esse calidas, quòd sanè assumpsisse videtur à Gal. 6. de San. tuen. vbi ratione agit. Nec enim inquit calidæ essent, si omnis prorsus calidæ materię essent expertes, ideo calidas spõte inutiles esse ait capiti, quod fluxione calida tentatur. Contrà tamen Galenus dicere videtur lib. de Morb. causis. Et 3. de San. tue. alias dicens frigidas esse, alias temperatas, & medias, alias calidas: neq; ipse prorsus asserit, nullas esse frigidas, sed dicit, fortè. Nam ratio quoq; sua probabilis est, non demonstrans. Nam quid prohibet, vt in externis euenit, vt aqua ignis vi incalescat, ipsa tamen vi sua frigida sit, quòd ascititiam scilicet habeat qualitatem? Possunt igitur æreæ aquæ, vel ferreæ, dum per sulphuris mineram transeunt efferuescere. Quare & ipse melius suadet experientia diiudicari, num calfaciant, vel refrigerent. & quidem innuit quasdam esse in patria sua huius generis capiti, calida fluxione tentato non inutiles, quòd calidam capitis intemperiem non adaugent.

Aquæ omnes sponte natæ.

Pauli sententia de qualitatib. primis aquarum sponte natarum.

Nos itaq; apertè nouimus aquam balnei Pisani refrigerare. Etenim corpora, & siti leuat, & calidam iocinoris intemperiem sanat, renumq;: & macilentos, carnosos reddit. Idem efficit & Corsenæ, quod balneum sancti Ioannis dicunt. Vbi ergo calidior fluxio fuerit, ijs aquis, quæ neque gustu, neque odore qualitatem vllam præ se ferunt, vti oportet: attamen calorem illum actualem euitandum, quòd facilè fit, dum longius ducitur. Et quidem aqua Corsenæ, quæ capiti irrigatur, in confesso apud medicos est, capita non admodum calore intemperatà non lædere, iuuat autẽ tũ siccando, tum roborando. alias adhuc expertus non sum. Sed ratio dictat conferre debere, & methodus: ideo aliquando experiri est animus.

Balnei Pisani, & Corsenæ aquę.

Paulus quoq; hoc loco in humidioribus conuenire ait, quasi de caliditate earum non curet, sed de siccatione solùm.

Quæ verò reliquæ sunt causæ doloris, facilè satis habent curationis modum, ex his quæ diximus. Nam qui ex meri potione fit, curatur eius instar, qui ex bilioso succo ascendente, & petente caput oritur. Etenim & vinum ipsum calidum, & acre esse oportet, vnde tales eleuentur vapores, quę non multitudine solùm, sed & acritudine offendant. Potest etiam & liquando, & fluxiles reddendo humores præsertim calidos, & facilè mobiles sursum ducere, vnde & dolor fit maior. Hinc fit, vt in calidis natura corporibus, vigilias, & furores, quales à bile, excitet. Contra verò in frigidiorib. & humidiorib. soporem, & lenem, & placidam dementiam: humorum scilicet ratione, à quibus varij vapores eleuantur. In ambobus autem methodus est, si vinum adhuc sit in vētriculo, vt vacuetur: mox caput rosaceo irrigetur, vel etiam aceto misto cum succo brassicæ. Illa possunt reprimere humores, & vapores influentes, & acritudinem retundere: hæ possunt sua proprietate naturæ ebrietatem arcere: mox eadem folia rosaceo madentia applicentur capiti. Somnum mox prouocare oportet balneis totius, & partis. Cum enim ob vaporum acritudinem somnum non capiant, cum ex perfusione calida resoluantur, dormiunt. Conferet etiam aquę incoquere soporiferum aliquod: iuuabit & lactucas comedere ex diluto aceto, & omnino calida, & vaporosa euitare: granata, cotonea, pyra, & austera gustare. Quòd si adhuc post tertiam diem dolor perstet aliquis, signum est humorum adesse reliquias: itaque perfundes tunc chamæmelino, & irino, & ijsdem balneis vtitor. À vino verò prorsus abstinere, sed succum granatorum, aut poscam dabis, si aquam solam fastidiat. Quod postremò Rases ponit de arteriarum temporum sectione, quando de cæcitate metus est, de hoc posteà loquemur, cum de oculis agemus. Sed & in capite de vertigine arteriotomia tractanda erit.

Cura doloris capitis à uino.

De Scotomatico affectu. Cap. VI.

NOmen affectus, hîc quoq; à symptomate est acceptum, vt plerunque nomina imponi solent, ex his, quæ vulgo sunt nota. Nemo enim non expertus est aliquando obtenebrari oculos, & visum hebescere, vbi ex magna luce repente in obscurá transeat, aut si quando in ore ventris angorem, & morsus sentiat: vel si diu capite ad humum conuerso permaneat aliquid intentius agēs: sic

sic & videri vt omnia rotentur, & circumagantur: sæpe etiam sanis nobis apparuit. Iisdem igitur notis volumus nos & morbosum affectum significare, id est, qui ex interna aliqua causa pendeat. Nam qui prorsus ab externa est, curam non exigit, nisi vt cum ipsa amoueatur. Quòd si externa causa internam excitet, iam & hîc exigit curam, vt eam, quæ interna est, amoueamus, postquàm externa causa desierit. Cum igitur aut nulla præeunte externa causa incipiat, vel etiam ea cessante perduret, vt quæ conspicit circumagi, & rotari videantur, vertiginosum dicimus: quòd si etiam visus tenebris offundatur, scotodinon, id est, vertigines cum tenebris pati. Sic nomina hæc Galen. exponit quarto de Victu.

Incidit autem hic affectus multis ex forti causa: vt si vim magnam fluentium aquarum quis prætergredi cogatur, vel si intentius rotarum aliquod corpus aspiciat, aut si ipse rotetur, vt in choreis fit, sed pręcipuè paruis gyris, vt cum quis stans pede in vno circumagitur. Verùm hæc nihil mali portēdunt, sed si cui ex leui de causa eueniat, vt si quid velocius moueri videat, adeò vt in turba hominum versari nequeat, vel currentem aliquem inspicere, hunc morboso affectu laborare significatur. Quòd si insuper nullo quoq; tali inspecto, sed solum inambulante eo, aut ex somno assurgente, vel vbi iacuerit, vel sederit, eò magis laborare signum est. Scotomaticus affectus.

Sunt autem symptomata tria, quibus scotomaticum affectū deprehendimus. Primùm apparere vt omnia circumagantur: secundum obtenebrari oculos: tertium casum minari, vel etiam si affectus maior sit, cadere: præsertim si dum quærunt alicui inniti, non inueniant. Si igitur hi curandi sunt necesse est, vt horum affectuum causas, morbos ipsos inueniamus, quib. primùm debetur curatio.

Hîc verò varios admodum scriptores video, & contraria loquentes. Nam Galenum si legas tertio de Loc. videtur in materiam calidam referre. Contrà Paulus, in frigidam. Hippo. quoq; in frigidam potius, vbi ait 3. Aphor. Hunc morbum hyemis esse proprium, & senilis ætatis. Rases quoq; vtranq; causam attingere videtur. Melius ergo nobis fuerit, rei naturam sectari, ac videre à quibúsnā causis hæc affectio prouenire possit, & ita habebimus morbi genera procuranda. Hucusq; ergo omnes conueniunt, vt sit hic turbulentus, & varijs motus spiritus animalis, qui in cerebri cauitatibus cōtinetur, tum præcipuè in magnis sinibus, & arterijs, quibus multis est refertum. Hic ergo cum sit animæ primùm instrumentum, fit vt ex turbulento, & inordinato eius motu, externa, quæ videntur, aut motu quodam inordinato moueri, aut etiam rotari videantur. Putandum enim est illa eadem ratione fieri symptomata in ijs, quos

prorſus à cauſa procatarctica id pati diximus, atque in his, qui ægri ſunt. In illis igitur non aliam cauſam afferre potes, quàm quòd ſpiritus animalis, qui eſt viſus inſtrumentum, ita inordinatè mouetur, aut etiam rotatur. Nam motu, quo caput mouetur, neceſſe eſt, & quæ liquida in eo contenta ſunt moueri, quo motu ſedato etiam viſus integer redit: perdurat autem aliquantiſper poſt externam cauſam, vt & motus aeris, vel aquę, qui ipſis euenit vaſis ratione, in quo continentur. Verùm in his, qui ſani ſunt à forti cauſa, in alijs ex leuiſsima, quòd aliam cauſam internam habent, quæ huic motui faueat: itaq; accepto ab externa motus principio, mox maiorem ſpõte ſua turbationem efficiunt, non ſæcus atque in aquis, & liquidis omnibus ſpectatur: quæ cum leuiter primum ſint impulſa, vel in gyrum mota, maiorem quoq; fluctuationem ſponte ſua faciunt. Viſo ergo externo aliquo quod rotetur, & impreſſa in oculum ſpecie illius, talem motum in ſpeciebus excitat, qualis eſt externi corporis. Quòd ſi interna cauſa quoque adſit, quæ motum illum vrgeat, malum altius augebitur, & perdurabit. Sæpe verò à nulla externa cauſa initium ſumit motionis, ſed ab internis ſolùm. itaq; quænam ſint hæ cauſæ, eſt inueſtigandum, à quibus cerebri ſpiritus moueatur. Sed prius videndum, quomodo ad hunc turbulentum motum alia quoq; ſymptomata ſuccedunt. Primùm viſus obtenebratio, quoniam ſpiritus aliàs lucidus, qui ad oculos tẽdere rectà ſolet, per neruos viſorios tranſuerſim mouetur, vnde ſpiritu illo oculus deſtituitur, non aliter atq; in defectu animi: quoniam introrſum vniuerſus retrahitur, & extimas ſedes derelinquit. Eſt enim ſubſtantia eius tenuis admodum, & mobilis. Caſus verò fit, quoniam non habent vbi greſſum figant, cum omnia moueri videantur ſibi, vt in ebrijs euenit. Porrò vt ſpiritus viſorius ab externo obiecto circumagitur, ita & ab interno mouente dimouetur: itaq; & omnia, quæ extrinſecus videt, moueri ea ratione viſus iudicat. Quare in hoc affectu oculos affici neceſſe eſt, quanuis per conſenſum hoc fiat, vt exponemus, contrà quàm vi imaginationibus vel ſuffuſionibus, vbi in eo continetur proxima materialis cauſa.

Viſus obtenebratio.

Nunc de cauſis agendum nobis eſt, à quibus fit eiuſmodi ſpiritus dimotio: Communes igitur conueniunt quòd ſit vapor. Galenus addit, & humores dimoti. Siue enim ab externa cauſa motionis initium ſumant, ſeu ipſi ſua ſponte, vt eſt vaporis natura, moueãtur, & humores ſimul moueant calidos, & tenues, ſeu vapores illi ſoli, poſſunt huiuſmodi motum in ipſis quoque ſpiritibus efficere. Fit autem circularis motus, ſeu ad latera, quòd per vaſa ſurſum lati, vbi ad ſolidiores partes peruenerint, quibus motus ſurſum impeditur,

ditur,necesse est in latera eos moueri. Quare aliquando ab ipsis vaporibus motionis causa incipit: vt cum caput æstuat, vel mouetur inordinatè: aliquando ab ipso spiritu, vt cum res motas intuemur.

Inter externas verò causas numerat Galenus æstum capitis. Etenim & attrahitur vapor multus ab infernis, & humores, qui in capite,in vaporem soluuntur. Videtur igitur pars corporis affecta spiritus esse, qui vitiato motu,& inordinato mouetur: affectus autem vaporum repletio in cauitatibus,vnde ad instrumentarios morbos refertur, vbi scilicet cauitates præter naturam repletæ sunt,id est, eo corpore,quo non debent,vt lapis in vesica. Sed statim quæritur de summa causa, quæ sit, id est, an materia calida, an frigida, in qua re discordes esse authores dixi, & hanc diligenter scrutari officium medici est, vt eam tollat.

Videtur igitur ex his, quæ citauimus suprà,ex vtraq; materia fieri: nam vapor quicunque potest, si impetu feratur, hunc motum efficere: quanuis si à materia frigida eleuetur,& crassior sit, non videtur tanto impetu ferri posse,vt qui ex tenui, & calida: ideo maiora symptomata in hac fiunt: quare & Galenus videtur solùm de calida meminisse. Patet igitur cerebrum affici,& eius consensu oculos: affectum verò esse repletionem cauitatum ex vapore, qui cum moueatur motionem quoq; parem in spiritibus efficit. Itaq; morbus instrūmētalis est. Sed quærendum restat,num semper mali causa in cerebro sit,vt primarius eius affectus esse dicatur: an aliquando aliunde pendeat, & sit secundarius. Præterea si ex vtraq; fit, cur Hippoc. de frigida magis meminit, cum facit hyemalem, & senilem morbum?

Respondeo aliàs fieri primigenio capitis affectu, aliàs secundariò,id est,ex aliqua alia parte ducit originem, quòd sanè iuxta propositam methodum distingues. Nam quando alius fuerit in corpore affectus,cui cerebrum communicare possit,facilè inde oriri conijcies. Sunt autem affectus plenitudo humorum in toto,vel priuatim in parte aliqua,quæ capiti communicet. Signa ergo plenitudinis totius nota sunt,seu sit vera plenitudo,quæ & plethora dicitur, seu iuncta humori vitioso,quæ bilis:vel pituitæ plenitudo dicitur. Eius verò,quę in parte, ex proprijs partis illius symptomatis deprehendes. Verbi gratia,si sit ex ventriculo affectus ipsius apparebunt, morsus,nausea,vomitus,inappetentia,prauorū ciborum appetētia canina appetētia, cruditates,flatus. Si verò vteri affectu,hinc prius manifestabitur,exēpli gratia,suppressi,vel imminuti menses,vel inordinati,vel malè colorati,ex quo etiam naturā humoris,à quo fiūt conijcies. Sic enim solebat Hippo. eos inspicere ad qualitatem hu-

Plenitudo uera.

Ventriculi malè affecti indicia.

Vteri malè affecti signa.

moris conijciendam. Adde imi ventris rugitus, tensiones circa vterum, dolores, lumborum grauitates, totius corporis pigritia. Hæc enim omnia malum ab vtero pendere demonstrant. Sæpe etiam retentæ excretiones, quibus assueuerat, sunt in causa, vt hæmorrhoides, sanguis fluens è naribus, biliosæ deiectiones, vomitus, seu natura, seu arte procuratus. Verùm hæc potius totius affectum demonstrant, vt & astricta aluus, id est plenitudinem. Itaq; & malum à toto pendere significant.

Plenitudinis totius indicia.

Primarij in cerebro affectus signa.

Signa verò primarij affectus in cerebro sunt, quòd nulla adest affectio earum, quas diximus, & quia in ipso capite alij quoque morbi apparent, qui sint eiusdem causæ soboles, vt dolores, sopores, sensuum læsiones, præcipuè narium, & auditus. Nam hi facilius afficiũtur. Præterea cum proprius, & primarius est capitis morbus, passio continua est, id est, nunquã prorsus à symptomate absoluitur, quin semper eius reliquiæ perstent, aut saltem promptitudo quædam, vt leui de causa incidat. Quoniam verò alia leuis est, in qua vacillat solummodo ęger, & statim cessat, alia grauior, in qua etiam cadit, ni fortè alicui firmo corpori innitatur: ideo & distinguere hanc oportet, si quando cadant, ab epilepsia: & hæc distinctio statim est ex spasmo: nec enim hîc adest spasmus. Præterea præsentiunt symptoma & sensum, & memoriam non amittunt. Distinguere autem remotas causas ex qua fiat, id est materiam humorum, à quibus exhalatio attollitur, oportet: vt sciamus quem humorem vacuare debemus. Hîc verò non certa agnitione, sed coniectura quadam procedere oportet, considerando in primis ętatem, cum nouerimus quis humor, qua ætate magis abundare soleat: mox tempus anni, quoniam Hyeme pituitosa magis, Vere sanguis, bilis Æstate, &c. Deinde corporis habitum, num gracilis, & biliosus sit, & pallidus, hirsutusq;, an contra sanguini attestentur, vel pituitæ, quomodo docet Galenus secundo de Temperamentis. Rursus vitæ studia, & instituta omnia, cui humori aggregando fuerint idonea: semper in memoria habentes quid vnaquæq; materia ex his possit efficere, vt abstinentia, vel crapula, somnus nimius, aut vigilia nimia, exercitatio immodica, vel nimia quies: his adde, & quę excernuntur è corpore, vt de menstruis diximus, aut per aluum, & vomitum, & quæ suppressæ sunt excretiones, quod etiam diximus abundantiam eius humoris monstrare. Præter hæc verò & propria symptomata humorum inspicere. à bile enim molestus capitis sensus, vigiliæ eueniunt sine capitis grauitate, aut coloris rubore, vt de cephalea diximus.

Bilis propria symptomata.

Contra in sanguinea, tensæ, & tumentes venæ, & rubor faciei, & splendores circa oculos euenient, & grauitas capitis, & somni longiores.

giores,vt in pituitosa magis profundi. Quòd si sit per consensum, puta ventris,facilè ex symptomatis distingues humoris naturam, à quo prouenit,& qui circa ventrem,& primas venas est aggregatus. Nam bilis morsus, & nauseam, & oris amaritudinem, & sui vomitum excitat.Contrà pituita non statim appetentiam deijcit:sine siti sunt, ni fortè sit salsa, ructus acidos facit, & flatuosi fiunt. Atra, famē excitat,acidos ructus.Si verò ab vtero,præcipua agnitio ex colore erit menstruorū. Ex his igitur quidam actu ęgrotant,quidam verò futurum est vt ęgrotent stato tempore,vt Vere,vel Æstate,sed aliquando prorsus liberi sunt. Rursus qui actu ęgrotāt, vel in ipsa accessione sunt,vel dispositi sunt vt leui de causa accedat: habēt enim hi præsentem internam causam,nec aliud superest, quàm vt ab externa moueatur.Igitur qui è vertigine cecidit,donec prorsus motus sedetur,in lectulo quiescat iubendum,atq; externa fricanda,donec si poteit fieri,somnus subrepat.Vbi verò omnia quieuerint,prę cauendum ne rursus accessio irruat, remouendo omnes externas causas, vt humi inclinato capite intentè aspicere, ignis vim, vel solis,vel motiones validas,præcipuè capitis. Lenes verò inambulationes omnibus prosunt. Cætera autem victus ratio communis omni affectui esse nequit,ideo priuatim de vnoquoque dicendum. Rases igitur ab abundantia sanguinis profectum primò curat,ac cū hoc,quæ primogenio affectu fit in capite.Inde enim vapores multos eleuari necesse est,qui si aliqua occasione motum accipiant,puta si caput velociter moueatur,tunc & spiritus vnà impellunt,& fluctuantem,& turbatum motum ipsis impartiuntur. Et hæc est causa cur non semper in accessione manent,quoniam motione est opus.

Cura igitur huius,est sanguinem mittere. Hic ex venis,quæ sunt retro aures sanguinem mitti vult, quod admodum suspectum est, nisi præcedat vacuatio ex cephalica,nec vllus vnquam veterum ex illis venis sanguinem misit,aut recentiorū:sed bene ex arterijs vt dicemus.Nec enim in hoc affectu,sed vbi ascendat ab infernis vaporum multitudo : ideo potius ex cephalica mittendus est sanguis, nec multum simul, vt Archigenes docet apud Ætium. Nam multum vacuari de spiritu,periculosum in his est, quòd facilè cōcidant ideo partiri,erit melius:mox, vt iubet, cucurbitulas collo applicare,ac sanguinem extrahere. Quòd verò ait & tibijs, eo casu conferret,siquidem plenitudo esset in omnibus venis. Hæc ergo remedia plenitudo monstrat, vt & hyrudines naribus : vel post aures applicare:vel venam frontis aperire. Cur verò capiti oxyrodinum adhibeat,non video,nisi caput calidum vehementer sentiretur,ad cerebrum refrigerandum.Materia enim hic in capite comprehensa est,

Venas tundere,quæ sunt retro aures, est suspectum.

neq; dolor adest, cuius ratione periculum est, ne ex toto trahatur. Esse enim dicebamus ea remedia, cum materia adhuc aliunde fluit, non cum est in aliquo loco confirmata.

Ventrem verò purgari, & clysterem adhiberi non inconuenit ob bilem admistam. Quòd si ex totius plenitudine affectus consistit, quod significant tum ea, quæ diximus, tum quia in facie venarum tensio, & rubor apparet (hinc enim significatur vaporem multum ad caput eleuari) tunc considerare oportet, num occasione retentę vacuationis hoc accidat, atq; eam aperire: dico autem de sanguinis excretione, præsertim si per conuenientem regionem fiat, vt per hęmorrhoidas, vel menses, vel nares. Nam qui sanguinem vomunt, vel deijciunt, vel expuunt ex plenitudine, his potius aliò fluor trahendus, & alia via vacuandus. Si verò nihil insigne habeat huiusmodi, ex basilica, inquit, sanguinem mittes. cōtra, in affectib. capitis, cephalica, vt suprà dictum est. Respondetur, in ipsis accessionum interuallis cum materia adhuc non fluit, non expedit partem respicere, sed fontem ipsum, vnde fluit. Præterea hîc non necessariò dolor comitatur, cuius sedandi ratione proximum vētrem aperiebamus in dolore capitis à sanguine. Præterea plenitudo in capite non est vt supponimus: non igitur inde vacuandum. Hîc ergo solùm intentio est vacuandi partes, à quibus humores & vapores transmittuntur sanguinei, vt caua vena, & viscera. Hîc verò iuuabit maximè oxyrodino vti calido, vel frigido, prout tempus anni & corporis robur, & loci calor indicabunt. Aliquando enim ipsa intemperies capitis est in causa, vt Galenus, & ab eo Auic. scripserunt: non quòd intemperies natiua, aut acquisita capitis vertigines faciat, vt expositores, rei naturam non respicientes, imaginantur: sed est veluti concausa & occasio, quando eius ratione multitudo vaporum attrahitur ad caput. Vnde facilè ijs caput repletur. Oxyrodinum igitur hanc attractionem inhibebit, cum intemperiem corriget, & caput roborabit, ne facilè recipiat. Cum igitur in hoc affectu hæc præter naturam inueniátur in capite: nempe commotio spirituum proxima causa, vapores, qui ab infernis multis vijs ascendunt, qui & spiritus commouent. Tertiò calor partis, cuius ratione, caput paratum est, vt repleatur: nempe amplis, laxisq; vijs. Quartò multitudo humorum dominante sanguine in venis. Quintò externæ causę, quæ internas mouent. Hæc omnia, sua remedia exposcent, & congruum vsum. Remedia igitur contraria fuerint, commotioni quies, vaporum & humorum repletioni inanitio, calori partis refrigeratio, externis causis, earum ablatio. Congruus verò vsus erit, si quibus hæc fiant, habeamus, & quando fiant, &

quomodo

quomodo applicentur,& mensuram,qua applicentur.

Primùm igitur à summa causa incipiemus, id est externa, vt sole, motu violento,ira inflammante,vini vsu, odoribus vehementibus, inspectione eorum,quæ velociter mouentur,& has remouebimus, Secundò plenitudinem corporis minuemus, in hoc casu interna vena secta,& cucurbitulis,& extremorum scarificationibus. Tertiò oxyrodinũapplicabimus, gutturi, fronti, temporum musculis. Demũ chamęmelino vtemur, tũ decocto,tũ oleo,vt vapores iã collecti transpirent. Si verò his affectus non sedatur,arterię post aures etiam incidendæ,si præsertim per eas multum,&calidum spiritum ferri senseris. Senties autem hoc,siquidem & tensæ,& tumidę appareant tactui,& locus earum calidus. Hoc erat antiquorum in hoc magno morbo remedium. Quod vt omnia alia generosa præsidia posteritas dimisit. Paulus in sua Chirurgia de eo scribit:& Galenus eius rei meminit: sed dicit non omnes ea sectione fuisse curatos: quoniam sunt & aliæ, quæ sunt internæ admodum, quæ ad cerebri basim feruntur,per quas potest vapor ferri, quanuis hæ sint incisæ. Hoc, inquit, fiet, cum sanguis calidus, & vaporosus per eas fertur. habes 13.Metho.ad finem,& lib. de Ven.sect.ad finem, neq; in his vllus est metus,si totæ præcidantur à Chirurgo. Medici recẽtiores taxantur.

Bilem verò sinceram in capite comprehensam non temere reperies:sed vel pituitæ,vel sanguini admistam in hoc affectu. Statim enim partem multum à natura sua distraheret, multa' insequerentur incommoda. Sæpe tamen sanguis biliosus,id est calidus & tenuis,caput obtinet,vnde symptomata insequuntur his similia, quibus caput à solo sanguine læditur. Verùm calor maior adest, & clarior rubedo,vigilant quoque,& animo notas bilis præse ferunt dominantis. Sæpius verò non in ipso capite est,sed ab infernis calidus vapor transmittitur, plurimum quidem, si in toto humor abundat per arterias latus (hæ enim calidiores cum sint,calidum quoq; spiritum,& vaporem attrahere,& transmittere possunt ad caput) non nunquam & per amplas cauitates vnà, vt cum in ventriculo continetur malum. Num igitur à toto proueniat, declarabunt signa bilẽ attestantia. Signa bilẽ testantia. Præterea naturale temperamentum, quale describit Galen. 8. & 10. Metho. Corpora,inquam,gracilia, caloris acris,hirta,minimum somno dedita,asperis moribus:mox ætas consideranda:nam florens, maximè bilem aceruat: & anni tempus, vt Æstas, aut Ver, postremum & cætera victus ratio, qua docti sumus bilem generari,tum in cibo,& potione,tũ somnis,tum vitę studijs. Quòd si aluus per interualla bilem expurgare soleat, sitq; multò antea suppressa, bilem certò dominari colliges: si verò è ventre solùm, ma-

teria morbi attollitur, facilè id conijcies, quoniam circa ventrem morſus, quales bilis ſolet inferre, ſentiuntur, & oris amaritudo, quoniam linguæ tunica perpetuò ventris tunicæ continua eſt. Et quia maximè ieiunis ſymptoma euenit, quoniã tunc maximè ad ventrẽ, abſtinentia imbecilliorem factum, & ad ſe vndiq; vi magna alimentum reuellentẽ iecur excrementa tranſmittere ſolet. 2. de Facult. Et hic eſt multum vſitatus vertiginum affectus.

In priore igitur affectu, & altero, qui per conſenſum totius eſt, ſiquidem vnà ſanguis affluat, venam ſecabis cephalicam ibi, hîc baſilicam, prout in ſanguineo monſtrauimus. Nam ſic multum vitioſi ſucci, qui vnà cum ſanguine fertur, vacuabis, mox & purgabis, idq; leui medicamento. Quoniam, vt Galenus ait 14. Metho. bilis flaua facilè purgatur. vel ergo aloem lotam, vel caſiam ſumes, vel medicamentũ ex myrobalanis, quod ſuprà deſcripſimus. Similiter & clyſtere vtemur. Priuatim verò vbi materia in ventre ſit, vomitiuis vteris indicatione à natura humoris accepta, & eò magis ſi gracilis æger ſit, & facilè euomat, & ſit Æſtas. Tunc enim ſolo melicrato, vel acetoſo ſimplici procurabitur. Quòd verò ad localium vſum attinet oxyrodino frigido vteris, & eò magis, ſi æſtas ſit, vt ſæpe expoſuimus. Poſtremò verò ſedato iam malo, etiam his, quæ leniter meatus aperiant, vtemur : præcipuè verò proderit capitis ex calida aqua perfuſio, vt in ebrijs fiebat. Præter hæc autem, ſi ex ventre originem trahat, ipſi quoque firmitudinem adhibere oportebit. Quod ſanè tum cibis, tum medicamentis fiet. Primùm igitur inediam vitabis, mox ea, quæ aluum deijciant exhibebis prima menſa : vt ſpinachia, blitum, maluam, pruna, vel viridia, vel cocta. Poſtremò aliquid quod ventrem roboret: qualia ſunt auſtera poma, & cydonia, & granata, & meſpila.

Victus verò ratio tum prioribus, tum his conſimilis erit. Etenim ſcopos habet, cibos minimè calidos, & qui non facilè in vaporem reſoluãtur, offerre. huiuſmodi ſunt lactuca, intybus, acetoſa, cucurbitæ, & ſaxatiles piſces, vel ſorbile ouum. Dulcia verò, quòd bileſcant, & ſalſa, & acria, quòd euaporare faciant, ſunt euitanda. Potus acetoſus ex aqua, vel iuleb, de agreſta, vel violatus, vel roſatus. Vinum verò nunquam offerendum (quod quidam faciunt) niſi fortè ex granatis expreſſum, aut maximè auſterum: ſed in fine album cõmodum erit, quòd bilis acrimoniam frangat, 7. Metho. & eam per vrinas ducat. Motiones omnes tum animi, tum corporis euitare oportet, ſed cum cõualeſcentię eſt proximus, leuibus, lentisq; inãbulationibus vti, tum ante cibum, tum à cibo : caput enim leuant. vitent calorem ſolis, & balnearum, & ignis, omnesq; cauſas externas, à qui-

à quibus ſymptomata excitari diximus. His verò, vt prioribus, vbi alia non conferunt, arterias occipitis commodum erit abſcindere: præſertim ſi per eas calidum vaporem ferri coniecerimus. Eſt autẽ coniectura, quòd eæ maximè omnium magnos pulſus edent.

Eam verò, quæ ex crudorum multitudine euenit, id eſt frigidorum, & viſcidorum humorum (ab his enim vapor plurimus attollitur) veriſimile eſt ijs euenire maximè, qui vel ob caloris imbecillitatem id patiuntur, quales ſunt ſenes, & qui refrigeratum aliqua ratione caput habent vel etiam ventrem, qui ſerò concoquant, aut ob victus rationem prauam, qua ſcilicet multas cruditates, & crebras incidunt, cuiuſmodi ſunt vinoſi, & ventri dediti, prorſusq; in ocio degentes. Hæc ergo ad notitiam affectus facient. De hac ergo Galenus loquitur, cum inquit, 3. Aphor. Vertigines, apoplexiæ eſſe comites, ambosq; affectus fieri, cum caput pituita repletur. Et rurſus Hippo. de his loquitur cum auſtrinos flatus, vertigines facere ait: & rurſus inter hyemales morbos eam ponit, & ſeniles.

Quoniam verò tum propria capitis eſſe poteſt, tum per conſenſum ventriculi, in quo maximè pituita, & cruditates abũdant, ideo hoc diſtinguere oportet, ac primò quę in capite, vt ſuprà dictum eſt vniuerſaliter, notas alias affectuum capitis habebit annexas, vt primùm excrementa pituitoſa, per os & nares, grauitatem, ſoporem, facies decolor, caput minimè calidum, ſenſus hebetes, & exigui arteriarum circa caput pulſus. In ea quæ ex ventre nauſea, & ſine ſiti, & circa ventrem frigus, & acribus gaudere cibis, & pituitoſi vomitus demonſtrant, atq; hoc mali genus præcipuè patiuntur, qui calido ſunt capite, quoniam multum facilè à ventre ſuſcipiunt.

Num in hoc caſu ſanguis mittendus, vt Paul. ſuadet? Reſpondetur, non temerè hoc faciundum, ſed diſtinctione adhibita: num vnà ſanguis multus circa caput conſpiciatur, & ita facienda. In ea verò quæ à ventriculo, nequaquam, neque vacuationis reuulſione, neq; retractionis conueniet At in ea, vnà cum ſanguine pituita quoque educetur, ſed parciſsimè, & in vigente ætate fiat, & vbi magnum aliquod malum imminere metuis. Nam in extrema mala ſenes ſic laborantes ex venæ ſectione temerè facta, ſunt deducti. Satius ergo eſt cibi abſtinentia, & purgatione abundantiam minuere. In purgatione verò primò clyſtere fortem præmittes, mox humorem præparabis, his quæ incidant, & extenuent, ſed citra calorem multum. Vbi in ventre, ne in iocinoris venas penetrans obſtructiones difficiles faciat. Huiuſmodi ſunt oximel ſimplex: aut ſcylliticum ſine humore adiuncto, calida mane pota. Quòd ſi ab ijs vomitus proritetur, optimè erit, ſin ſecus, erit vomitu vacuandus. Quòd ſi dicatur

nō licere per ſuperna purgari in affectib. capitis. Reſpōdeo, niſi invē tre ſit. Debet enim purgatio per vias proximas fieri, ſexto Epid. 6. Quòd ſi vomitorijs vti debeas, illa eadem cum decocto raphani, aut thymi, aut origani propinato: aſtricto prius faſcia capite. Quòd ſi difficulter vomat, purgabis per inferna, ijs, quę ſtatim in abundantia in capite dicemus.

In ea igitur maiore vi eſt opus, & iterata purgatione & humoris procurata concoctione, aut præparare vt expellatur. Igitur ſtatim victu extenuante, & medicamentis vtemur. de victu verò poſt agetur. Medicamenta autem illa eadem ſunt, quæ in ventriculo. Sed vt ad caput magis vis eorum deducatur, neceſſe eſt adiungere tenuiū partium medicamenta, & calida, vt ſtœchas, amaracum, betonicam polium, nucem muſcatam, & alia de quibus ſuprà egimus in hemicrania. Potare autem nocte media, vt in ſomno euaporatione facta, vis medicamenti ad caput ducatur. Interim ſingulis tribus diebus purgabimus, primùm ſimplici hyera diluculo exhibita, mox ex hyeris magnis, & pilulis fortibus, vt in hemicrania diximus. Procurabimus etiam, vt quod vtile eſt, concoquatur, cum capitis calorem fouebimus, tum aerem temperando, tum inunctionibus, tum ijs, quæ in ore tenentur electarijs. Vbi ſatis vacuatum conieceris, ad naritiua, & apophlegmatiſmos deſcendere oportet, iuxta regulas ſupra traditas, vt à leuioribus incipientes, tendamus ad fortiora. Cantharides etiam occipiti applicitæ iuuant. Poſtrema ſunt lotiones, odoramenta, ſiccantia medicamenta, vt theriaca vetus, mithridatum, diambra & pulueres.

Victus verò ratio erit extenuans, id eſt, quæ incidat, & extenuet; & cibi abſtinentia. Nam hi eam facilè ferunt, præſertim vbi recenter cruditates inciderint. Salſa ergo & acria cōuenient, & ex aceto condita, vt cappares, & carnes auium ſicciorum, & potus exiguus. Vinum tamen dare his poſſumus, ſi multum conditam cinamomo, & ſaluia faſtidiant. Motiones, vbi vacuationes præceſſerint, vtiles fuerint, & caput confricare, vt calor excitetur. Somnus verò non iuuat, præſertim ſtatim à cibo, cum caput maximè replet. Accidentia verò animi, iræ, & clamores vbi leuior æger fuerit, non nócent. Quòd ſi quando ijs, quòd certis temporum periodis morbum incidunt, conſulere debeat: in primis cauſam morbi explorare oportet, atq; eam tollere, idq; ſeu purgatione ſeu ſanguinis miſtione, ſeu vtroq; pro natura humoris, qui exuperat, ſed & Victum omnem inſtitues, qui illi humori aceruando ſit contrarius. Quòd ſi caput ex propria intemperie malum aggreget, vt in ijs, qui ob cerebri frigiditatem pituitam aceruant, præter purgationem, & commodam vi-

ctus

ctus rationem adhibitam, etiam intemperiem tollere conaberis, quod sanè sulphureæ aquæ, quibus hîc est copia, præstare possunt. Tempus verò vacuationum erit, Ver, vt dicit Hippo. Nam tunc rectè purgatio procedit, cum neque calore externo corpora sunt exsoluta, nec contrariatur caloris motus purgationi, 2. Aphor. neque humores iam impacti, & cõgelati, velut hyeme sunt. Venæ verò sectio tũc maximè commoda, cum maximè sanguis abundat, & vires optimè valent, & maximum ex eius copia periculum impendet.

In purgatione igitur, quod aliàs diximus, initio Veris pituitam, in fine verò bilem, cum iam aceruari incipit, quòd naturam æstatis referat id tempus, purgabis. In sanguine verò mittendo solum circa venę electionem differentia est: cum præuidere est animus, vt in libro de Ven. sect. habetur: non enim ex quauis vena, vt cum sola plenitudo vacuanda est, sed ex maximè contraria, & remota, quo maximè auertatur humor. Nec enim hîc aut vacuare vnã partem quærimus, aut celerrimum auxilium exquirimus, quòd ex cephalica habebatur: Inferiores ergo venas secabimus, & aperiemus. Quòd si plenitudo ex retenta aliqua excretione adsit, eam reserabimus, vt menses, vel hæmorrhoidas. Quòd si immoderatum hæmorrhoidarum fluxum times, quòd alias eo laborarit ęger, plenitudinem ex secta vena cubiti tolles. Nam internæ potius cierent.

De Phrenitide. Cap. VII.

QVod supra de scotomate dicebamus, id modò & in Phrenitide euenit, vt scilicet nomen à symptomate, vt à re notissima acceperit, hoc est à delirio. Passim enim vulgò delirantes visuntur, sed affectus qui delirij sunt causa, latẽt. à mentis igitur lęsione accepta vox est antiquitus. Sed medici, quibus distinctione est opus, priuatim affectum quendam delirij, Phrenitim nominarunt, alios verò, alio nomine censuerunt, vt melancholiam, maniam paraphrosinin, lycanthropiam. Cum igitur ex multis affectibus corporis delirare accidat, primùm distinguere oportet, quòd alij sine febre fiunt, alij febrem habent, adiunctam Phrenitis perpetuò febrem habet. At rursus quæ cum febre deliria fiunt, bifariam sunt. Aut enim perpetuò ægri delirant vsque ad morbi solutionem, aut intermittunt aliquando resipiscentes. Phrenitis ex his est, quæ perpetuò delirio laborare faciunt. Rursus perpetuum delirium aliàs causam habet in ipso cerebro, aliàs in parte,

cui cerebrum consentit. Phrenitici delirij causam habent in cerebro. Iam igitur magna ex parte Phrenitidis naturam collegimus: nempe quòd passio sit cum febre, quæ delirare faciat, idq; perpetuò delirio ex ꝓprio cerebri affectu. Vel sic. Phrenitis est proprius cerebri affectus cum febre, cum quo perpetuum delirium est. Adhuc tamen proprium genus non explicauimus. Etenim fieri potest vt affectus hic ex humoribus in cerebro, & membranis putrescentibus eueniat. Rursus potest ex his euenire, cum tumorem præter naturam faciunt. Etenim bifariam putrescunt in parte aliqua succi, 11. Metho. Vel enim in ipsis venis manent cum putrescunt, vel etiam partis meatus, & insensiles cauitates replent, atq; extendunt, vnde fit tumor. Qualis igitur erit phrenitis? Etenim febrem putridam humor facit. Num igitur tumorum præter naturam genere cõtinetur? Respondet Paulus, à quo & Auicen. accepit, phlegmonem membranarum esse, quòd rectè explicauit Auic. id est apostema calidum. Statim enim cum aliàs à sanguine, aliàs à bile ortum habere dicat, non potuit rectè propria accepta voce phlegmonum nuncupare. Nam hoc nomen xiij. Metho. Sanguineis tumoribus propriũ est. Subdit Paul. aliquando simul pati phlegmonem cerebrum, aliquando solum calorem præter naturam sibi communicari: quòd sanè addit, quoniam cum delirare, lęsa cerebri operatio sit, necesse est vt affectum sui instrumenti significet, & id vel primariò afficitur, vel secundariò ex membranis. Interpres omnia peruertit, etiam postremus, & in eo capite grauissimè labitur.

Authoris sententia de Galeni & Hippo. opinione.

Ego verò arbitror apud Galenum & Hippo. si loca apud eos conferamus, vtranq; phrenitim nominare, siue scilicet sine tumore præter naturam putrescat, siue cum eo. Nam primò Epid. cum causas phrenitidis affert, A flaua, inquit, bile fit, cerebrum & eius membranas occupante. Et xiij. Metho. Ex vitio humoris delirium, ex calore mobilitas: inde fortè quosdam phreniticos sine forti dolore, qualis phlegmonas insequi debet, videmus, quòd sola adsit putredo. Secundò tamen de symptomatis causis, phrenitim propriè esse ait, phlegmonem, cerebrum, & eius inuolucra occupans: In alijs verò febribus deliria ex abundante in cerebro calido, & mordente humore. Ex qua verò materia phrenitis fiat, modò consideremus. Paulus ergo triplicem materiam ponit, sanguinem scilicet & biliosum humorem, & bilem præassatam, quæ iam in atram degenerat: quem etiam sequitur Auic. quanuis addat citrinam, id est pallidam: quam enim ipse rubeam appellat, flaua est. Quomodo igitur dixerat prius Paulus quòd erat phlegmone?

Galen. verò non videtur ponere à sanguine phrenitim fieri, sed

à bile,

à bile, quinimò si bili sanguis admisceatur, phrenitides non veras, sed comatosas fieri ait, primo Prorr. Etenim perpetuò phrenitim affectum calidum, & siccum ait, primo Prorr. & inde febres ardentes oriri, & proprium eius esse vigilias, quæ ab humida materia non fiunt, & multa symptomata phreniticis euenientia, in siccitatem affectus deducit. & ibidem phrenitim esse ait, cum bilis principis animæ sedem occuparit, primò Epid. Non malè igitur Auic. à sanguine bilioso fieri ait, id est, in quo bilis præcipuè dominatur. Videbat enim quòd erysipelas cerebri phrenitim esse aliquando ait, tertio Epid. 3. At erysipelas à sanguine bilioso fieri dicit Galen. 14. Meth. neque obstat quòd aliquando à bile esse dicat. Nam ibi veritatem mistionis obseruat, hìc verò apparentiam. Quoniam enim bilis notæ solæ apparent, hinc biliosus dicere affectus, non facta de humore alio, qui sibi admisceatur, mentione. Sed reuera sanguis est admistus, verùm exigua portione, vt sui notas non præferat. De bile verò distinguit itidem sexto Aphor. quoniam vel pallida bilis, est mali causa, vel flaua, vel atra ex huius vstione.

Quæ verò pars capitis laboret, quæritur, propter Paulum, qui dicit, affectum esse membranarum cerebri, & iam apud omnes confessum est, & acceptum quasi cerebro affecto phrenitis non fit. At Galen. 2. de Symptomatis causis vnà cerebrum affici ait, & membranas. Hìc verò mouetur dubium ab Auic. Num cerebri caro, vt & musculi, phlegmonem pati posit? & respondet, quòd sic, quoniã inquit Auic. quod potest extendi alimento, potest etiam extendi præter naturam: imò quòd minus quis credat, Galeno ossa quoque apostema patiuntur: quod tamen apud Galenum non legi. bene legi sexto Ther. quòd patiuntur affectum phlegmones similem. Nam in fracturis aliquando humidior eorum substantia visitur, & demũ cariosum fit ni probè tractetur. Verùm hìc tumor præter naturam non est, ideo simile ea ratione quòd temperiem tollit, & gangrenam sphacelismum in osse tandem facit.

Sed de cerebro nihil obstat: Etenim in hydrocephalis, quos infantes videmus pati, apertè cerebri substantia intumuit ex aduentante humore. Sic ergo & ex sanguine & bile fieri poterit, vt è venis in spacia exigua eius humor transfluat, & tumorem faciat. Et hoc se vidisse testatur Aetius. Verùm hæc nullius precij sunt æstimanda. Siue enim membranæ solæ, quod rarò fieri puto, seu etiam cerebrum, quòd sæpius, vnus est curationis modus, quanuis fortè discrimen maius sit.

Nunc verò propria signa ponemus, quibus scilicet tum affectus, & pars affecta deprehenditur, tum ab alijs affectibus distingui po-

test, qui ipsi assimilantur. Ea autem sunt, quæ perpetuò insunt, id est omnibus, & solis his: quæ verò neq; solis insunt, nec omnibus, reijcienda. Ea autem quatuor generibus comprehendi diximus. Nunc verò nullo quoque mostrante, habita natura affectus, & affectæ partis, possumus ex nobis signa ex natura rei, quæ erunt maximè propria assumere: quod Galenus docet in lib. de Const. ar. med. Sic igitur poteritis comprehendere ex vobis, quibus signis fidere maximè debeatis, & quæ ex abundanti afferantur. Quoniam verò affectus acutissimus est, & intra primam septimanam statum habet non intra quartam diem, vt ait Auic. (Ille enim est terminus apud Galenum 3. Epid. in historia Phrenitici) ideo principium eius breue est. Quoniam verò circa principia maximè monendum esse iubet Hippo. ideo non præsentis solùm, sed & aduentantis phrenitidis signa nobis exploranda sunt, si opem aliquam ægro ferre velimus.

Signa phrenitidis nō tantū præsentis: sed & aduentantis exploranda sunt.

Sed prius quàm hæc aggrediamur, consideranda est diuisio in species, quam quidam ponunt, & est ex facultate læsa accepta. Aliquando enim imaginatiua sola, aliquando vnà & vis ratiocinatrix, nonnunquam & memoria læsa est. Sic ergo distinguuntur læsione operationis & pręter hoc, loco affecto, quoniā anterior pars lęditur vbi vis imaginatrix læditur: posterior vbi memoria, media vbi vis cogitatiua, seu διάνοια. Hoc tanquam magni momēti rem iunior quidam inculcat, idq; obseruari iubet, & discerni: Nam multum ad curationis formam probè inueniendam facere ait. Ego verò sat scio eiusmodi euenire, & apud Galen. exempla legimus quarto de Loc. ad initium. Verùm hæ omnes nugæ sunt. Primùm enim ponere has animæ facultates loco, & subiecto distinctas, nulla cogit necessitas nec vllus veterum hoc posuit, neque Plato, inquam, qui in cerebro, nec Gal. non Arist. qui in corde animalē vim collocauit. Eadē enim illa temperies membri, cuiusq; facultatis primùm est instrumentū, & ea vitiata læduntur: seu anterior pars vitietur, seu media, seu postrema. Quod verò risu dignum est, id maximè est, quod cum hic multum exclamasset de hac partium distinctione, in curando autem nullam de ea mentionem fecit, neque quid plus vna, quàm altera indicet exposuit: quin nec potest. Nam quæcunque pars capitis afficiatur, perpetuò localia syncipiti applicanda sunt, authore Galen. xiij. Metho. Quare si esset, nullo nobis esset vsui, quo ad rationem medendi attinet, in discernenda affecta parte. Inuentum ergo hoc est iuniorum Græcorum, qui naturalem scientiam ignorabant. Hos verò Arabes sequuti temerè sunt, vt solent. Dicēt experimentum mōstrare aliam esse affectam partem, siquidem modò vna

modò

modò alia facultas læditur. Nam si eadem esset pars,& idem affe-ctus,semper eodem modo læderetur,& ita vel semper vna,vel duæ, vel semper omnes. Ad hoc Galenus ipse respondet quarto de Loc. si bene consideretis locum. Afficitur enim aliquando cerebrum solis vaporibus ascendentibus in acutis febribus,ita vt patiantur affectum similem suffusioni oculorum,cum pallida,crocea,vel nigra omnia videntur iuxta humorum, & vaporum naturam, qui oculis obuersantur:modò muscas, modò festucas quasdam videre se putant:quod & mihi aliquando contigit per tres menses in dexto oculo. Sic & vapores caput in febribus petentis,modò vnius rei,modò alterius speciem faciunt : ac similiter caput afficitur, ac si ab externis obiectis afficeretur. Hoc similiter modò afficiuntur initiò phrenitidis cum adhuc leue est malum, & exiguus est humor, qui influit,vt temperiem cerebri non prorsus lædat. Etenim statim insomniorum multitudo adest,vt Galen. in Prorr. annotauit,idq; iuxta naturam eius humoris. Vnde quanuis leuissimum,& breuissimũ somnum capiant,statim visa obuersantur,quod & omnibus biliosa febre laborantibus euenit,si quando in accessione somnum cœperint. At vbi iam malum creuit,& non velut transitu offendunt,sed intemperiem vitiant, tunc cogitatio tollitur. Hæc igitur considerasse hos viros opus erat,non superstitiones inuehere ridiculas. Contrà quæro. Econtrà fiet, vt affecta ratione adhuc maneat imaginatio bona,quod fieri ait Galenus exemplo Lanifici. Nam si maior noxa rationem lædit, ergo & minorem noxam efficiet. Respondetur,solam euaporationem suo motu turbato imaginationem sensibilium lædere,vt inquam externorum sensibilium species non clare figantur: At cum facta est intemperies,ea primam illam apprehẽsionem,quæ ab externis fit,non lædit, sed discursum solum, quãuis valde excedens omnia tollat. Videntur ergo illi,quibus tollitur imaginatio,aut per consensum ob vapores lædi, aut in valido morbo,& confirmato. Ex leuiore verò intemperie tollitur ratio,quoniã maior ad eam requiritur,& melior temperatura. Vide quæ de hoc super Techna diximus. Mentiuntur etiam cum amissionem phrenitidis,speciem faciunt,est enim ex frigido humore vt Galen. ait.

Si igitur aliqua phrenitidis distinctio capienda est, potius fit ex materijs,ex quibus diuersitas fit symptomatum, & affectus grauior vel debilior esse dignoscitur. Igitur mitissima est,quæ ex bile pallida. Est autem hæc prorsus secundum naturam, & mitior admistione serosæ,& tenuis humiditatis, vel pituitæ naturalis. Flaua verò hac calidior,& acrior est,ideo affectum deteriorem facit. Pessima omnium est,quæ ex bile præassata fit, non quòd adhuc atra bilis sit

Bilis pallida.
Bilis flaua.
Bilis præassata.
Atra bilis.

effecta, ſed in via eſt vt fiat. Nam quæ atra exactè eſt, maniam facit ſolùm, febrem non facit: neque enim quod exuſtum eſt putreſcere poteſt. Quod verò dixit Hippo. deſipientiæ, quæ cum riſu minus malę ſunt, rationem habet ex qualitate humoris, vt magis ſincerus ſit, vel temperatus. Si igitur ex bile pallida, miſta eſt ex pituita: ſi verò admiſtus ſit ſanguis, erit & mitior, ſi ei comparetur, quæ ex ſincera flaua bile fit, vel exuſta. Sæuiora enim accidentia fiunt, vnde citius ægri vires conficientur, motu, rixa, & vigilijs. Galenus verò videtur ibi exponere, quòd non à vitioſo humore, ſed ſolo calore fiũt vnde ſunt ebrijs ſimiles, cum vapor aſcendit: & non ſunt verè phrenitides, ſed deſipientiæ ſolum.

Dicebamus igitur, neceſſe eſſe medico, vt ſtatim morbum digno ſcat. Primùm igitur animaduertere oportet, quòd alia à principio ſtatim fit, alia inſequitur febrilem morbum permutatione. De qua permutatione loquitur Hippo. in Prorr. cum ait: Crebrò permutari malum eſt: Has verò permutationes circa initia fieri Galenus ait, non cum morbi traxerint multos dies: & contingere ait in affectibus, in quibus copia humorum, vel mala eorum qualitas adeſt. De qua etiam permutatione loquens, ſecundo Aphor. dixit, in acutis non eſſe certas præcognitiones ſalutis, & mortis. & hic modus ſæpe videtur, præſertim noſtro tempore, qui abundantias, non vt affectus exigit, vacuamus, vnde & multi pereunt. Sed aliquando ſtatim ab initio euenit, vt 3. Epid. in phrenitico illo, qui tertia obijt, & Eraſio, & Philiſte itidem. Plurimum verò à procatarctica cauſa quam in Philiſte annotauit, nempe poſt dolorem capitis diuturnũ, merum potaſſe. Sed quibus tempore malum ſequutum eſt, multi extitere. Hermocrati enim die quinto acceſsit phrenitis. Similiter illi, qui in Dealcis horto decumbebat. Et Philini vxor die ſexta deli rare cœpit. Philiſcus verò die tertio.

Quocunque verò modo eueniat, non ſubitò euenit, ſed ſenſim radices agit: quãquam breui principium pertranſeat, non quidem quòd certis horarũ ſpacijs deſcribi poſsit, vt ſtultè quidam imaginantur: quinimò aliæ phrenitides longius habent, aliæ breuius, iux ta motus rationem, quem morbus habet. Etenim alij velocisſimè mouentur, alij tardius, vt tertio de Criſ. ſignantur. Et quidem memini curaſſe me aliquem, qui per duos dies in eodem ſtatu perman ſit. Vnde aliqui diuiſionem quandam commenti ſunt de phrenitide confirmata, & non confirmata: quam ex verbis Raſis, & mox Me ſues habere videntur: qui ſcribit in confirmata, ſpem ſalutis non eſſe multam, quoniam pauci euadunt. Et vnde boni viri ſic diſtinxere? non quia confirmata intelligant iam factam, ita, quòd fluxus ma

teriæ

teriæ cessarit, nec amplius augeatur: sed vt euidentia passim signa præseferant, etiam imperitis. Sic enim Galenus alia signa ponit inuadentis phrenitidis, alia iam manifestæ, quod est, cum ad notabile augmentum malum peruenerit. Tunc enim verisimile est obscuras quasdam sui notas præbere, cum per venas mouetur ad caput, nec adhuc fluxio in parte aliqua firmata esse cœpit. Postea verò iam euidentes notas præ se ferre incipit: quoniam cerebri temperamentum iam destrui cœpit, vnde & actionum eius apertissimè læsiones apparent. De hac firmata in cap. fluxione, vel tendente solum ad caput, vide quæ Galen. primo Epid. cap. 2. 67. dicit. Habet autem vtrunq; tempus proprias notas, quo distinguatur, & vtile quidem est distinguere. Nam plus prohibendo influxum proficitur, quàm curando iam influxit. Hìc verò omnia sine distinctione scribi videas, præsertim ab Auic. qui tot signa scribit, & eo ordine, vt non doctrinam, sed confusionem scribere dicas. Galen. ergo legamus, qui ex natura rei hæc signa proponit accepta.

Igitur optimum medicum signa pathognomonica habere conuenit, non tunc modò, cum euidentes sui præbent notas, sed tunc cum adhuc obscuræ sunt, & ambiguæ, instar boni, & exercitati olitoris, qui nuper natas herbas distinguere, & proprio nomine appellare nouit. Ab his enim tum natura morbi dignoscitur, tum eius magnitudo, motum verò morbi, & eius morem alia significant, quæ post apparentia Hipp. nominauit, de quibus postremò agetur.

Cum igitur inflammatio sit cerebi & membranarum, in prima sui generatione notas aliquas siccitatis, & ardoris præseferat necesse est: & bilis, quæ ad caput mouetur, vt vigilias, & turbatos somnos, id est, plenos imaginibus pariat. Ferri enim prius vapores multos necesse est, vtpote leuiores, & petere cerebrum, ac sua mordacitate, & siccitate cerebrum pungere, id est membranas, & siccare: vnde vigilia. Rursus visorum turbulentia nõ secus atq; in ebrijs & in his, qui dorichnium biberunt, vel hioscyamũ, excitabit exemplo eorũ, qui oculos ex vaporibus suffusos habent, qui varias quasdam imagines rerum videre se arbitrãtur. Somnia maximè in sicca intemperie fieri ait Galenus, non in humida. 1. Prorrh. 2. Aphor. in quo morbo somnus laborẽ facit lethale, vt & phrenitis lethalis est. Quoniam verò calor, & necessitas ad motum facit, hinc lingua incontinentes sunt, quod nugari Hippo. dicit, id est plus solito, & con decenti loqui, præsertim si contra vitæ institutum sit: vt virginem aliquando ego obseruaui, quæ prima die cum febre acuta premeretur, nugari cœpit, ac carmina quædam poetica recitare. Quòd verò iræ materia adsit ob calorem, hinc audacter respondent, qui aliàs

Vigilia unde, & quomodo oriatur.

timidi essent, & implacidè, qui mites, quanquam alia ratione id accidit, quòd iam turbari mens incipit calore, & vapore, non secus, atq; in ardentib. febribus fieri contingit. Verùm hîc continuæ sunt affectiones, vt & dolor. Mores autem ægri hîc perspectos habere oportet, vt Hippoc. ait secundo Prorrh. In composito, & modesto ferox responsio, malum.

Signa morbi in augmento existentis.

Continua dixi hæc necessariò euenire, quoniam affectus capitis proprius est: hucusq; morbi initia, postmodum omnia augeri incipiunt. Nam dolorum obliuisci incipiunt mente læsa, & aliò auersa ex continuo imaginationum motu. Vnde symptomata ex symptomate nascitur, & signum ex signo. Nihil igitur mirum, si de his non queruntur, nec de siti, nec de vesicæ grauitate, & vrinę morsu, & spirandi necessitate, quam ex febre habent vehementer adauctam. Hinc igitur, vt à postremo incipiamus, fit spiritus magnus, & rarus. Cum enim creber esse deberet, & velox in ardenti morbo, cum necessitatem non percipiat, raram efficit: & pro crebritate magnitudinem adauget: cum vltra continere non potest. Tales etiam respirationes eueniunt amantibus, & ijs, qui aliò intenti, diu respirationẽ cohibent. Hinc quoq; Brachipotæ 6. Epid. dicuntur. & 1. Prorrh. ab Hippo. id est parum bibentes, non quòd non multo egeant potu, vt multum quidam scribit, & interpretatur: sed quia non expetunt, sitim non sentientes. sic & vrina eadem causa retinetur. Lumen quoque refugiunt, quod omnibus capite dolentibus commune est, ob diminutionem quam facit in spiritu & humoribus. Iam malum in vigore est, atq; accidentia in extrema fæuitia sunt, squalidi oculi, id est sicci, aridiq;, ni aliquando tenuis lachryma distillet. Squalidi quidem, ob siccatas membranas, & cerebrum vnde aluntur, & humorẽ suscipiunt. Lachryma verò quarto Aphor. ob partis imbecillitatem euenit, à qua velut non continente sponte excrementa defluunt. Lingua etiã aspera fit; Pulsus quoq; durus, paruus, velox & frequẽs. Iam ratio vndiq; abolita est, facta maiori ex parte intemperie. Clamant igitur, rixantur, iactant sese, neque quietem habent. Quòd si corpus mouere nequeant, saltem linguam, & oculos mouent. Rubore oculi suffunduntur, attracto à calore sanguine ad caput. Inde etiam nares sanguinem stillant, inquit Galenus, quod sanè non proprium signum affectus, qui ex bile, sed naturam excernere conantem significat, & mali moris morbum: Ideo potius prauę phrenitidis est signum. In salubri enim largè fluit sanguis, vt dicemus. Iam etiam febris magnas mutationes non habet, id est exiguam inclinationem, neque maximè consentit cordi cerebrum, vnde pulmonis erysipelata, vel iocinoris. hæc Galen.

Spiritus magnus, & rarus cur fiat in phreniticis.

Brachipotæ dicũtur parum bibentes 8. Epid. & primo Prorr.

Rases

Rases itaq; accuratè profectò rem transigit, ac primùm incipientis phrenitidis signa, mox consistentis ponit. Melius ergo se gerit, quàm Paulus & posteriores, qui ferè Paulũ transcribunt: qui vtraq; signa confundunt. Ne de Auic. dicam, quem si quis legerit profectò multo plus dubietatis, & confusionis afferet, quàm agnitionis.

Animaduertendum tamen circa signa quòd sæpè quiescunt, aut taciti sumissa voce loquuntur, adeò vt astantes quiescere putent, & somnum cœpisse, sed admoto lumine vigiles esse cognoscuntur. Talem ego phreniticum Pistoriensem Lucæ curaui, ex alterius morbi acuti recidiua factum. Hoc verò est ex ijs, quæ non phrenitim solùm significant, sed lethalem, & eam morti proximam. Hanc describit Hippo. 1. Prorrh. vbi obscuras, & blandas phrenitides appellat. hoc enim resolutis viribus euenit, non morbo.

De vrinis hìc quispiam verba facere volet. Sed Galen. cum Hippoc. prognostica quidem signa ex vrinis accepit, quarto Aphor. albas, & tenues prauas esse dicens, præcipuè in delirãtibus, quòd magnitudinem morbi significent, & morem prauum, vt ibi Galen. ait. Sed secundo Prorr. 2. apertè dicit, ex vrinis nihil haberi de indicijs phrenitidis, id est demonstratiuis, contra ea, quæ author ibi dicit. Vis enim vrinarum, inquit est, vt de vesicæ affectibus, & renum, & venarum: præterea de robore facultatis, quæ humores gignit significet. Non igitur ad affectus capitis significandos inspiciantur: Contra quosdam, qui non capitis modò mala, sed & calcanei volunt distinguere ex vrinis. sed mittamus hos impostores. Quòd si præsentem, aut futurum dolorem Hippo. nunciat ex turbidis vrinis, Aph. lib. 4. Respondeo, non primo & immediatè, sed per discursum quẽdam coniecturalem, quoniam multitudinem humoris crudi, & vehementiam caloris exagitantis significant, vnde & multum euaporare ad caput est necessarium.

Cum verò multi sint affectus phrenitidi similes, qui tamen neq; phrenitides sunt, neq; eandem curandi formam requirunt, necesse est (siquidem probè vis signa colligere) vt per ea distinguatur. Sunt autem hi, vel quia ab exacta illa phrenitidis ratione degenerant, vt quòd exquisitę non sunt: vel quia non proprio affectu cerebrum in ijs læditur, sed ꝑ cõsensum. Primi generis sunt, vbi multũ sanguinis vel pituitę admistũ fuerit, de quib. loqui Hipp. & Gal. diximus, vbi de phreniticis comatosis, id est somnolentis docuerũt. Quomodo enim exquisita phrenitis erit, vbi sint ad somnum procliues, & quieti? Sed mista quædam affectio est ex phrenitide, & lethargo, quam nomine composito nominare possumus, vt & morbi natura composita est: & symptomata composita. Hos ergo affectus facilè

ab exquisitis distingues, atq; multum in maioris, & minoris differentia, varietatis inspicies, vt & in tertiana notha, & alijs non exquisitis morbis. Cæteri verò per consensum sunt, cum ad alterius affectum delirium sequitur, qui etiam magis, aut minus veræ phrenitidis naturam sapiunt, quantus scilicet est consensus. Consentiunt autem maximè cerebro neruosæ partes, post eas verò, quæ multas euaporationes possunt transmittere. Prima ratione à ventriculo malum procedit, seu vitiosi humores infestent, seu (quod magis euenire credo) cum inflammâtur. Similiter & septum transuersum: sic & pleuritis. Sunt enim neruosarum partium affectus. At vterus & pulmo videntur euaporationis ratione malum impartiri. Promptè enim à pulmone in caput effertur vapor, promptè & ab vtero ob arterias & venas, vt Galeno placet.

Communis ergo omnium, quæ per consensum fiunt nota est, quòd subito eueniunt, vbi phrenitim paulatim fieri diximus. Statim enim hi morbi in suo vigore consistunt, deliria excitant, vbi prius nullum in cerebro malum sentiretur. Quòd si in summo vigore hoc faciant maximè, superest, vt antea multo incœperint, & ita necessariò manifestus erit affectus partis, cui maximè cerebrum consentire solet. Cum enim in vigore est, manifestas sui notas præbet.

Commune quoq; esse solet, quòd in his, quę per consensum, in febrium declinationibus resipiscunt, & cessat delirium: sed hoc non in omnibus euenit. Fallit enim in eo, qui per septum communicatur, & fortè, qui ex ventriculo: ideo, inquit Galenus, hîc maximè laborandum est, vt discernatur: atq; in priore signo insistendum: hoc addito, quòd non fiet hîc respiratio magna, & rara: quoniam ob dolorem non potest pectus multum extendere, sed velox, parua, & inæqualis. Huius morbi historia habetur primo Epid. in ægro, qui Silenus est dictus, vbi nota quòd ridebat, & canebat, perijt tamen: moritur autem die vndecimo.

Eius quoque acuties consideranda, hoc est, in quo genere morbi comprehendi debet. Sunt enim acuti simpliciter, qui ad decimumquartum: alij non exquisitè acuti, qui ad vigesimum, alij rursus valde acuti, qui intra primam hebdomadam tertium habent. Moderni nihil dicunt. Innuit aliquando Auic. Summũ vigorem circa quartum diem esse. Quomodo igitur statim victus rationem præscribũt nulla distinctione adhibita, quasi celerem terminum habeat, & volũt statim oximelle nutrire? Attamen, quod plurimum euenit, septimum pertranseunt. Ego vidi septima statum habuisse, alium verò ad decimum quartum obijsse. Et quidem si legamus historias, videbimus præsertim lib. 3. Sec. tertia diuersimodè habuisse. Nam

Dealcis.

Dealcis vxor vigesimoprimo obijt: & alia puerpera decimoquarto: alius vndecimo. Sed & Galenus aliquos quarto & quinto interijsse ait. Vt igitur in ardente febre non statim dicere possumus terminum ex sua specie, sed solùm quòd breuis erit, etenim alia pensitare oportet, sic & in phreniti, ex specie breuem fore morbum conijcimus, qui tamē ad xx. posit produci. Hoc autē contingit, eo quòd leuis est morbus, & motum tardum habet: sicut contrà, graues, & acuti velociter mouentur. Cognoscitur autem velox motus tertio de Cris. ex veloci augmento symptomatum, si diem diei comparemus. Itaque nullus præscribi terminus potest, nisi quòd intra acutorum terminos terminantur.

Num ex phrenitide euasurus sit ęger, ex vniuersali methodo deprehenditur. Hæc autem est, quæ primùm vires morbo comparat: Nam magnis vires imbecillæ succumbunt. Quantum verò morbus naturam superet, ex coctionibus, & cruditatibus sæpius dignoscitur. Cæterùm morem morbi in primis spectare oportet: ex eo enim maximè de morbi exitu iudicamus. Hic autem ex superuenientibus symptomatis dignoscitur, de quibus Hippoc. in libris Prorrh. Quæ omnia in nostra methodo collegimus, atq; in debitum ordinem deduximus. Nam ex speciei natura hoc secundum habetur, quòd toto genere lethalis est morbus, id est, ex quo plurimi pereunt.

Priuatim verò in phrenitide quædam morem significant, vt flere, & perpetuò studio rixandi teneri: quæ enim cum risu fiunt, inquit Hippoc. 6. Aphor. 53. Securiores, id est, minus malignæ sunt. Eas verò Galenus 6. Aphor. dicere videtur solo calore fieri, id est, cum cerebrum calore est intemperatum. Nos autem, & mistos esse affectus dicemus ex sanguine & bile: quocirca, & mitiorem morbum, vt de pleuritide testatur Galen. 3 de Cris. Furor enim ex mordacitate magis, quæ sanguinis benignitate temperatur, & tale delirium fit, quale ebrijs quibusdam humidioribus euenire diximus. Rursus vrinæ albæ, & perspicuę, id est aquæ similes, exitiales prorsus, inquit Galen. 4. Aphor. 72. quoniam magnitudinem erysipelatis significant, & rapi, trahique succum omnem biliosum ad caput, quo vrina tingebatur. Quod verò ab vrina signa non pathognomonica, sed moris demonstratiua sunt in hoc morbo, suprà diximus. Stillare quoque nares pessimum est: quòd si mera sit stilla, id est nigra, & sincera prorsus, lethalis est, ex Epidemijs: exustum scilicet sanguinem, qui in cerebri venjs continetur, significans, nec posse à natura pelli, sed frustra tentari. Cum verò antea furerent, & mox quiescunt, adeò, vt ni quis probè aduertat, verè dormire eos existi-

met, iam mors est proxima. Significat enim debilitatem, & hoc aliquādo vidi in Pistoriense quodam phrenitico. Nam proximis morti diebus, cœpit adeò summissa voce secum loqui, vt ab astantib. nō audiretur, perpetuò tamen oculos versabat, & loquebatur, reliquo corpore immobilis. Hanc, obscurā Phrenitidē Hipp. 1. Prorr. vocat.

Fit autem ex phrenitide in alios morbos permutatio, vt in lethargum, errore medici, qui plus iusto refrigerantibus diu est vsus: non quòd bilis pituita fiat, sed quòd protracto malo venæ cerebri calore priuatæ, alimentum in pituitam vertunt; vnde sensim malum in lethargum vertitur: sed potius succedere dicas, quàm conuerti. Huius meminit Galen. tertio, Epid. 3. An potius mista erat affectio, & resoluta bile facti sunt lethargirici. Galen. lib. de Comate ad finem. Dicunt etiam verti in hecticam, & marasmum. Hoc à Galeno dictum nō legi. Et sicut ait ipse, ex septo non aduenire hecticam, decimo Metho. sed prius ægrum mori, ita & de cerebro dico. Non potest enim adeò siccari, quin prius moriatur. Succedit quoque conuulsio, præsertim faciei, exitiali phrenitidi, mox morituris. Si verò sanitati est restituendus, & fit acuta valde, aut sudoribus id fiet, aut sanguinis largo profluuio, 3. de Cris. Hæc igitur de phrenitide considerandà erunt.

Cura methodica phrenitidis affectus.

Curatio verò sic methodo procedit, si curationis scopos, vti par est, in omnibus primùm ab affectus natura sumamus, atq; eos iuxta ambientis temperiem, & corporis naturam moderemur. Hic igitur affectus, id est phrenitis, duo dicit, nempe tumorem biliosum in cerebro, vt vnà membranas comprehendat. Quare communem curationem biliosi affectus habere conuenit, atque eam pro natura affectæ partis, id est cerebi, moderari. Tumor igitur præter naturam in quauis parte fuerit, vacuationem indicat. Etenim malum ex repletione est. Quòd si etiam sua qualitate calida nimium infestet, vt in erysipelate accidit, etiam multa refrigeratione opus erit. Sed cū adhuc fit, etiam sui inhibitionem indicat, & est operatio mista ex curatione & præuisione. Quare statim vacuatione facta, adhibenda sunt ea, quæ refrigerant, & repellant. Vbi verò nihil iam influit, ad factum iam morbū descendimus, & materiam in membro iam comprehensam vacuamus. Vel sic melius scopos inuenies.

Morbus hic compositus est, vt omnis tumor ex solutione continui, & alteratione, solutio verò continui copia fit. Cum itaque hic morbus sit, qui causam habet: necesse est eam abscindere, ac postea ad id, quod ipsius est factum, deuenire. Inde enim curatio ordiri debet, vnde est origo mali. Cum ergo causa sit bilis, quæ partim in exiguis venis spargitur, easq; distendit: partim verò exudans, cum cō-
tineri

tineri nequeat,ſubſtantiam partis irrigat, & vacuitates replet: rurſus reſoluere in alias cauſas oportet,id eſt humorem,qui influit per magna vaſa,& hanc rurſus in aliam,bilem ſcilicet in corpore redundantē: neceſſe eſt, vt omnes has cauſas tollamus,eo ordine,vt quæ poſtremò reſoluendo eſt inuenta,ea ſit curationis nobis initium. Hæc igitur totius corporis vacuationem indicat. Quæ verò iam ad caput rapitur,retractionem: Quæ rurſus in parte eſt,vel exiguis venis impacta,vacuationem partis: Intemperies verò annexa,contraria intemperie tolli. Hi ſanè ſunt curatiui ſcopi, quos tamen,& ex natura partis,& ambientis aeris conditione,moderari oportet,huc uſq;, enim parum eſt, quod inuenimus, id eſt, quid faciundum ſolum,& quando faciundum,id eſt,quo ordine. Sed qualibus inſtrumētis vti debeamus, vel quo modo ijs vtamur, adhuc non conſtat.

Primùm igitur videndum, quomodo per medicinalia præſidia his ſcopis ſatisfiat:poſtea quomodo per accommodatam victus rationem: Nam ex ea quoq; nonnihil auxilij petendum,vt Galen.11. Metho.ait.Vacuandum igitur vniuerſum eſt,ſed ſi vnâ ſecundo ſcopo ſatisfieri poſſet,reuellamus,id erit optimum. Nam quo plura eodem auxilio conſequimur, eò magis expetendum: Sed quod erit inſtrumentum?num venæ ſectio?an purgatio?an vtrunq;? Hæc enim generoſa ad vacuandum præſidia exiſtimantur.Atq;hic ſtatim hæſitat medicus,ſentiens contraria indicari.Cum enim acuti morbi omnes quantum in ſe eſt,ſanguinem mitti poſcant,4. de Vict. acut.Et rurſus magnitudo morbi id ſuadeat, virium perpetuò conſtantia ſuppoſita: at contra cauſa ipſa, quæ vacuari poſcit, potius purgationē exigit,quòd bilis in hoc affectu ſuperet:vnde & 14. Metho.in phlegmone quidem ſanguinem mittit:at in eryſipelatæ purgante bilem pharmaco vtitur.

Hic verò multa iuniores deblaterant: nos verò dicimus facilè poſſe vtroq; ſcopo ſatisfieri,ſi vtrunq; adhibeatur:& quidem vtrunque ambas vires habet, nempe vt vniuerſum corpus vacuet, vtque à capite reuellat. Cum verò dicis bile ſuperante purgationem debe ri. Reſpondeo concedendo; ſiquidem non aliud monſtraret affectus:Etenim celerrimum, & facillimum auxilium exigit; quod vacuet,& reuellat:idq; eſt venæ ſectio,quæ tametſi non æquè vt purgatio,bilem tamen, quæ in venis vnà cum ſanguine neceſſariò vacuat. Succedit verò purgatio, quæ plus vacuare poteſt, ſed non eſt ſubitum eius auxilium. Præterea purgationes non niſi leues propinari poſſunt, ob febrem vehementem adiunctam, quæ maximè ijs proritatur,ideo multa tum vacuatio, tum reuulſio, quæ exquiritur duplici inſtrumento compenſatur. Quòd ſi in eryſipelate ſangui- Venæ ſectio phrenitidi debet.

nem non mittit, hoc est, quia tuto quantumuis magna purgatione vti poterat. Contra id facit, quod 4. de San. tuen. scribitur, nempe, sanguinem mittendum non esse, vbi humores à natura sanguinis valde recesserint. Sed in crudis concoctionem procurandam ait, in biliosis verò purgationem. Præterea sanguis quasi frenum est bilis: ergo eo vacuato effrenitabit. Respondetur, aliud est in sanitate tuenda, aliud in acuto morbo præsenti, vel imminenti pugnare. Ibi enim neq; in plenitudine sanguinis, necessaria erit venę sectio, cum posit alijs ingenijs copia tolli: sed in acutis nō licet: quoniam celerrima, & promptissima, & tutissima præsidia quærimus. Quòd verò frenum dicebas, rectè inquis, si sanguinem solum exhaurires, sed vnà & bilem: imò plus multo ex bile, quoniam in illis venis plus bilis abundat.

Sanguis ergo ex cephalica mittatur: quantitas verò ex ætate, robore, corporis natura, & ambientis conditione mensuranda est, vt suprà docuimus; & hæc in omnibus affectibus communia præcepta sunto. Minus tamen detrahitur multò, quàm si ex sanguinis plenitudine malum foret. Quòd si mediocritatis exemplum aliquod statui debeat, sit libra vna: Etenim & ad particulares quoq; capitis vacuationes sanguinis missione vtimur, vt mox videbimus.

Purgatio verò leuis noctu fiat, præsertim æstate: itaq; propinare poterimus nobis vsitatum syrupum rosatum ex infusione solutiui, quantitate ℥ iij. quòd si manè ℥ j. velis adijcere, optimum erit. Si verò aut venæ sectio aliqua de causa fieri nequeat, vel purgatio, quia non obsequitur, clystere lene infundes, in quo tum floris cassię ℥ ij. dissoluantur, & violati mellis ℥ iij. decoctum verò sit frigidum & humidum cum oleo violato: sat tamen erit violas, & maluam assumere. Pro venæ verò sectione, cucurbitulis vteris, atq; ab imis incipiens, vsq; ad collum permeabis, semper auferendo sanguinem pro vt commodum visum fuerit.

Ab his proximè causæ satisfacere oportet, illi scilicet quæ in paruis venis. Quòd si vnà possimus, & illi, quę iam membrum obsedit, vnico remedio satisfacere, id erit optimum. Hoc autem erit, si ea, quæ repellunt, adhibeamus. Nam adstricta parte, & sic roborata, nō modò posthac non recipiet, verùm & si qua receperit, protendet. Refrigerata verò tollitur intemperies: qua etiam ratione, & fluxus inhibetur: Etenim duplici ratione fiebat attractio antea, scilicet dolore, & calore, vnde malum augebatur.

Verùm hîc dubitatio incidit; quoniam alij tepida hæc adhibere volunt, vt Ætius: alij actu frigida, imò procurata etiam frigiditate ex niue. Rases dicit solùm, oxyrodinum admouendum, qua quali-

tate

tate non dicit. Hinc multa apud modernos cõcertatio; quam etiam, vt consueuimus, rei naturam spectantes, dissoluemus. Qui igitur tepidum amant, non ferre aiunt inflammatas cerebri membranas frigidi occursum. Sed quid intelligant, non ferre, non declarant. Num quia dolore tententur ab eo? vel quia natura earum, quòd frigidæ sunt, lædantur? Ego verò si affectum intueor, cum erysipelas sit, quomodo optima actu frigida non erunt, cum propria ratione multum refrigerari poscat? Nam 9. Metho. verùm erysipelas non aliter curabis, & 14. Metho. maiori egere ait refrigeratione, quàm phlegmone, quòd multum ardore molestat. Si verò affectam partem, quæ natura frigida est, cum iam ad ardoris intemperiem deuenerit (siquidem in sui naturam reuerti debeat) multa refrigeratione opus habet. Multum enim per caloris excessum à propria natura distat. Nihil enim aliud est ipsam sanare, quàm refrigerare. Adde quòd refrigeratione ea retunditur acritudo bilis, vnde minus infestat, & euaporare prohibetur. Galenus quoq; in sese vsum testatur frigido, vt sentiret apertissimè penetrasse, 13. Metho. Quòd verò nõ lædat, nonne in æstuante capite, seu ex solis ardore, seu ex ardente febre experimur? Et nos suprà diximus. Aliter igitur distinguendum est ex Galeno, qui dum hoc remedium capiti applicat, rationem habet temporis anni, & naturæ corporis, & causæ, id est, materiæ noxiæ. Primùm enim æstate frigidum exhibet: id enim æstas indicat per se, quoniam causa nobis morbifica est, & ex accidenti, quatenus nobis affectus biliosiores demonstrat. Contrà hyems, & medio modo media tempora; natura etiam corporis, mollis, atque humida, non exigit valde refrigerantia, vt Eunuchi, pueri, albidæ mulieres: hoc enim monstrat, neq; affectu adeò bilioso capi, vt iuuenes calidos. De humoris natura patet: quoniam in exquisita phrenitide alia conueniunt, quàm vbi, aut senguinis multum, aut pituitæ admistum esse videatur.

In summa à principio, frigido vtemur, si exquisita sit; quòd si secus, frigiditatem temperabimus, quantum ab exquisita illa distare videbitur. Idq; inter initia statim, quod tempus, si morbus mediocriter moueatur, duos aut tres dies occupabit. Quòd verò Aetius ait, prohiberi difflari excremẽta ex frigido, nihil est: tunc enim aliá vacuationem quærimus per repellentia, vt simul inhibeamus augmentum, non autem digestionem per halitum. His igitur vtẽdum est, donec morbus augetur, sed maximè inter initia, id est exquisitissimis. Postea vel de frigiditate temperabis, vel aliquid discussorium adiunges, vt chamæmelini nonnihil. Dico autem inter initia, donec morbus consistere videatur: Nam semper influxum prohibe

re & refrigerare conuenit ob intemperiem: quæ si non sedetur, nec morbus sedari poterit. Semper tamen animaduerte, vt vbi remissa caloris signa videris, ab his desistas.

Cum verò morbus consistit, ijs, quæ leuiter resoluant, & somnum inducant, vtendum. Huius generis erunt decocta ex capitibus papaueris, & violis, in aqua, & oleo, & tepida affusa per embrochas, vel spongias, sic composito capite, vt antea de dolore capitis diximus: deraso inquam syncipite, & corona ex lanis, aut bombice facta. Oportet enim nonnihil contra symptoma pugnare. Hoc tempore etiam inquit Galenus, hæc eadem naribus, & temporibus, & fronti admouenda, scilicet quæ somnum concilient, vt violaceum, vel vnguentum populeon: in quibus etiam, si opus sit, nonnihil addere opij oportebit. Sic & aliquando à cibo Diacodion propinare: aut ex papauere syrupum. Aliquando etiam adiecto iosciami semine. Iuuat quoq; & calido ab vbere lacte caput perfundere, vel muliebri, vel caprino, vel alterius animalis. Iuuant & quæ scissa per dorsum animalia apponuntur, vel recentis iugulati pulmo: miti enim calore resoluunt, & transpirare faciunt, humectant etiam naturali sua humiditate. Iuuat, & perfusa capiti tepida aqua eadem ratione, aut etiam oleo adiuncto: sed hæc magis in secunda parte status, vbi etiam de salute certiores esse cœpimus.

Iam cum maximè symptomata consistunt, & vigent, ea, quæ partim vacuant adhibere oportet, non quidem omnia (nam resoluentibus vti in tanto ardore, & periculo fluentis materiæ adhuc tutum non est) sed ijs, quæ partem sensibiliter vacuant: Vnde & vena frontis incidetur, & sanguisugæ venis post aures applicabuntur, & nares scarificabimus, vnà adhibendo, quæ sopire principem partem possunt, & refrigerare, quanquam moderatius multò, quàm ab initio, ne perpetua refrigeratione materiam compingamus: quãquam & tepida perfusa humectare, & frigefacere possint, atq; vnà nonnihil euaporare, vt & lactis tepor, & discissa animalia. Quibusdam igitur vena frontis eminens est, & facilè inciditur, &c.

Cum verò remissa omnia sunt, cum scilicet tenuior bilis discussa est, partim per repercussiua, partim resoluentibus leuibus, & calore ipso loci exhalauit, iam ad reliquias paulò contumaciores deuenimus; quando, vt Galenus inquit, iam phrenitis, & lethargus communem curam habent, id est discutientia sola. Sic igitur herbas, quæ vim euaporandi habent hydreleo incoquemus, & olea calfacientia adhibebimus, & calidæ aquæ perfusionem, & omnino ea, quæ citra magnam siccitatem discutiant: aliquando verò & castoreum addimus, si diuturnior morbi solutio fiat. Iam enim erysipelatis non

tis non amplius naturam habet, sed crasi humoris reliquiæ supersunt, quæ malum fouent. ideo hæc adhibenda Galenus ait, si malum protrahatur.

Nunc de victus ratione agendum : Ac primo de aere dubitatur, cum aliqui lucidum quærant, alij vetent; rursus alij refrigeratum exigant, alij temperatum. Quòd igitur ad lucem attinet, potius luce nimia offenduntur, & irritantur. Si qui tamen tenebris exterreantur, modica lux adsciscí debet, vt inquit Paulus : Aerem verò vult temperiem mediam seruare. Ætius æstate, frigidum, ait. Ego verò si rei naturam intueor, cum pasio cerebri calida, & sicca sit, non video cur modis omnib. refrigerāda nō sit, vt & in febre ardenti. Etenim tum quia febris magna adest, eo egemus ad cordis refrigerium tum quia cerebrum ipsum refrigerandum est ob multam intemperiem. At potissimus modus est ex attracto aere: qui si sponte sua frigidus sit, vt primo Vere (neq; enim facilè Hyeme eueniunt) sic dimittatur, quanuis ad frigidam euaporationem cerebro impartiendam, optimum fuerit violas, rosasq;, & Pampinos spargere, & reliqua frigidarum plantarum germina. At æstate non hæc solùm, sed & cubiculum irrorare oportet, tum simplici aqua, tum rosata: & fontes lentè cadentes struere, & aquas è vase in vas transfundere: sic enim tum frigiditas, tum humiditas comparabitur : vnde & somnus quoque conciliatur. Quòd verò dicunt, prohiberi euaporationem nimis superstitiosum est. Etenim in materia biliosa plus alterare, quàm euacuare est animus. Præterea non facilè ijs cutis densatur, vt vapores remorari posint in capitis æstu : præsertim cum mediocribus tegmentis noxam hanc effugere liceat. Sic enim respondet Galenus libro decimo Method. de refrigeratione aeris in febre ardenti.

Cibus verò, vbi intra septimam conijcis cessaturam vim morbi, exiguus ptisanæ succus sat fuerit, vel lactucarum tyrsi cocti, aut crudi, ex oleo, & omphacio, vel panis multoties dilutus: sed ipsius exiguum, vt puta ℥ iij. mane, & vesperi. Emulsiones seminum communium frigidorum. Oximelle verò vti, nulla necesitas videtur: neq; enim vt medicamentum iuuerit, nec vt alimentum confert. Mulsa ni admodum diluta sit, biliosis morbis est aduersa, diluta, pro potione vti possumus. Potio verò, aqua ex iuleb rosato, aut violato sit. Dulcia quoque, malarancia dicta, & cucumeres offerri possunt, & hæc vsq; ad statum. **Cibus qualis phreniticis debetur.**

Motus verò vniuersos tum animi, tum corporis cohercere, vel amicorum potentia, eorum præsertim, quos in honore habere sani consueuerant, vel vinculis, si opus sit, sed quàm blandissimis, id est

latis,& ex materia molliore. Vacuationes autem quotidianas proritare conuenit, clysmate aluum quotidie ducendo, & vrinam fotibus, & compresione pubis proritando. Si verò phrenitis non incipiat, sed morbos insequatur ex permutatione, statim prorsus exitialis est morbus: præsertim si vires iam inualidę, vt plerunq; euenit. Si ergo aut omissa sit venæ sectio ob medici inopiam, siue facta parcior sit, quàm eguerit, quòd sæpe euenit, à fronte statim erit detrahendus, & oxyrodinum adhibendum, & leuis purgatio, & cætera, quæ in altera dicta sunt, exequenda. Si verò mista pasio sit, & notha, curam quoque mistam habebit, vt in capite de Lethargo statim dicemus.

De Lethargo: quod Rases capite de Subeth comprehendit. Cap. VIII.

QVi Lethargum primi nominarunt, affectum significare voluerunt ex notisimis sibi accidentibus. Sunt autem ea maximè obliuio, & pigritia. Quoniam verò obliuionem, & pigritiam alios quosdam affectus comitari videmus, vt cataphoram, carum, apoplexiam, epilepsiam, catochen, & quæ propriè deperdita memoria nominatur: necesse est hos omnes affectus inter se distinguere, vt vnicuiq; propriam curationem adscribamus. Alij igitur cum somno præter naturam fiunt, alij circa somnum & vigilias nihil sunt affecti. Lethargus ex his est, quæ somnum habent annexum. Somnus altus, & inexpugnabilis, vel per consensum, vt ab vtero, & ventre, vel proprius in quo genere lethargus. Ex his, rursus alij cum febre fiunt, alij febrem non habent: & si cum febre, vel cõtinua est, vel intermittit: ex priori genere lethargũ esse dicimus. Est enim illi febris continua adiuncta. Rursus vbi febris adest, vel solùm in ipsa accesione inuadit, mox cessat; vel perpetua est febris in omni tempore: & ex hoc genere lethargum dicimus. Quòd igitur cum febre est, à Caro distat. Hìc enim sine febre est affectus; à febriũ verò Comate, seu Cataphora differt, quoniam ea maximè in accesionib. adest: declinat verò, & tollitur cum ipsa accesione. Sed nũ humor ille tumorẽ faciat, vel intemperiẽ solùm, adhuc nõ habetur.

Carus est affectus sine febre. Cataphora præcipuè in accesione adest.

Quæ verò causa sit, quæ hunc affectum creet, facilè monstrabitur, si causas naturalis somni, & morbosi, in quo sanè genere lethargus, inuestigabimus. Igitur in hoc Galen. Arist. consentit, irrigato humiditate cerebro, somnos prouenire. Quod enim ex alimento sursum

ſurſum aſcendebat,loci frigiditate coactum,per arterias regreditur ad venas. Vnde & calorem innatum retundit,& loca obſtruit, vt liberè cerebro impartiri cor nequeat, ſed multus in viſcera, vbi eſt alimenti ſedes, colligatur, Vnde & dormienti interna calent, dicebat Hippo. Et rurſus caput contegere iubet, quòd calore deſtituatur eo tempore,donec rurſus euicto aliméto,&cōcocta humiditate omni,rurſus in omnes partes feratur, quod ſanè vigilia eſt. atq; hic ſomnus naturalis eſto, qui vigiliarum laſsitudinem & ſiccationem ſequitur : vnde & requiem, & humectationem cerebrum requirit. At morboſa humiditas quæ ex vitio humorum frigidorum, & humidorum cerebrum irrigantium oritur,ipſa quoque ſomnos facit, ſed morboſos. Nec enim calor ad alimentum retrahitur, in eum finem, quem diximus, ſed potius detinetur, & opprimitur humidi multitudine,& obſtruuntur eius viæ, ne poſsit in extima ſenſoria fundi,& corpus euigilare.Eſt ergo vna ex cauſis pituitæ multitudo vel etiam pituitoſi ſanguinis & crudi:idem enim efficit. Frigus verò,non ſicut humiditas,aliquando naturales, morboſos aliquando ſomnos facit, ſed perpetuò morboſos,vt Galenus ait. Facit enim torporem,& ſtuporem quendam, quod ſpiritus animalis temperiē vitiat, vnde & torpidum,ſegnemq; reddit,non ſecus atq; opium, & mandragora. Quòd ſi ambæ hæ intemperies iungātur,magni morbi fiunt. Carus,& Lethargus,non materia,nec loco differentes, ſed hoc ſolùm,quòd in altero frigidus humor putreſcit,& febrem facit, vnde periculoſus magis fit affectus,in altero verò citra febrem irrigat. Cataphore autem,&comata,ſymptomata ſunt febrium, euapo ratione multa caput petente, vel etiam (quod in principio magis euenit) cum caloris fit multa ad interna retractio, multaq;, & cruda materia opprimitur, vnde ſomni profundi, & difficiles fiunt in pituitoſis febribus,& ſemitertianis.

Fit autem aliquando lethargus ſtatim ab initio,nonnunquam verò permutatione ad alios morbos ſuccedit, in febribus quas diximus. Num verò per conſenſum fiat, vt multi imaginantur,& nunquid perpetuò à pituita,conſiderandum. Ego igitur Caros per con ſenſum fieri video à vētriculo & ab vtero,lethargos non video. Eſt enim,vt diximus,propria ea cerebri affectio. Quòd verò Cari per conſenſum fiant, & experientia monſtrat, & nos infrà cum de eo malo agemus,demonſtrabimus.Dignum quoque inquiſitione eſt, num tumoris præter naturam genere cōprehendatur,qualem phrenitim poſuimus.Auic. apoſtema phlegmaticum appellat:in hac verò re nullum Græcorum habet authorem. Ideo potius dicendum eſt, eſſe intemperiem frigidam & humidam cum materia, ita vt pi-

tuita cerebro, vt parti similari, non vt instrumentali, officiat, obseruando cerebri sinus epilepsia est, vel apoplexia, vt capite proprio monstrabitur. Quòd autem aiunt, aliquam melancholicam esse, accipiendum non est. Quanuis enim ab humore melancholico lædatur memoria, non tamen somni fiunt inexpugnabiles. Sola ergo eius causa est pituita, quæ cerebri substantiam primam, mox & mẽbranam irrigat, & venas, & arterias. Ad omnes enim has partes inintemperies pertingit. Causa ergo proxima pituita est in cerebro. (Nihil autem refert, an pituitam, vel sanguinẽ pituitosum dixeris.) Huius autem proxima causa est, quæ per venas cum sanguine est admista, quæ morbum fouet, atq; auget. Huius rursus alia, quæ in corpore præcedit, nempe pituitæ copia in toto. hæc autem quomodo aggenita sit, satis patet, si in omnibus rebus non naturalibus discurramus. Frigidus enim aer, præcipuè vbi humidum iunctum est, pituitam abundare facit, mox cibi, & victus ratio omnis, quæ multa & cruda aceruat, qualia sunt crassos, & frigidos cibos comedere, multumq; vinum potare. Frigidos enim morbos facit, vt de apoplexia dicemus: multi somni, præsertim non longè à cibo: & quies immodica, & excretionum dimissio, præsertim vomitus. Nam in ventre pituita gignitur, atq; vnà cum alimento iecur, & venas subit.

Pituitã generantia quæ sint.

Cum verò alius quoque morbus sit iunctus, scilicet febris, patet quòd febris causa est putredo. Putredo verò illi euenit ex causis vniuersalibus putredinis, nempe prohibita transpiratione: quoniam impacta, & inculcata est pituita in calido loco. Erit autem necessariò continua ob loci naturam, quæ tamen accessiones quotidie habeat, idque ad noctem. Euenit verò anni temporibus, Hyeme, aut Verè primo: ex ætatibus, senili potius: ex temperamentis, pinguibus, & pituitosis,

Signa lethargi.

Signa verò statim ex operationum læsionis modo habentur, qui ex morbi natura oritur. Cum enim pituita putrescens in cerebro sit quæ ad similem intemperiem cerebrum traxit, necesse est somnos graues fieri ex his, quę diximus, & inexpugnabiles, è quibus omnia signa pendere videntur, vt symptomata ex symptomate nascitur. Vt enim qui alto somno oppressi sunt, vix vocati respondent, & si respondent, balbutiunt, nec norunt quid respondeant: quid mirum igitur, si & in his hæc accidunt, vt & pigritia extrema ad motiones, ac tanto maior, quanto etiam hic affectus est maior: siquidem motionis initium pessimè afficitur. In pedes verò delabi, ac proiecto corpore iacere, hæc pathognomonica sunt, non epiginomena: ideo non prorsus lethalia, vt in alijs acutis.

Quæ magis consideranda sunt, hæc sunt: quæ de vrina dicuntur, & pulsu.

& pulſu. Hæc enim extra ordinem eſſe videntur, cum affectæ parti non attineant. Vrinã igitur aiunt, veterinorũ vrinæ ſimilem reddi, id eſt craſſam, vel turbidam. Huius cauſam alij aliam dicũt: nos verò ex Galeno turbidarum cauſam habemus, primo de Criſ. Et 4. de San. tuen. crudorum multitudinem in venis à calore agitatam, & veluti feruentem. Hanc ergo cauſam hîc eſſe, eſt exiſtimandum: nihil tamen obſtare videtur, in ſolo cerebro pituitam adeſſe, proinde & nihil totius venas immutari, & ita ſignum cum ex natura morbi nõ proueniat, pro pathognomonicis habendum non eſt, ſed potius ex his, quæ affectus difficultatem, & magnitudinem monſtrent.

Pulſus verò quales ſint, Galen. deſcribit, magni ſcilicet & rari, & tardi. Quòd enim febris adeſt aucta neceſsitate, & inſtrumento obſequente, & vitali robore conſtante, neceſſe eſt magnos fieri: quòd verò cerebrum, in quo putreſcit à corde diſtat, ideo tardiores ſunt, & rariores. Sed Galenus ſolùm dixit hoc comparatione pulmonię, non quòd abſolutè tardi ſint, & rari, reſpectu ſanorũ, conſidera, molles verò neceſſariò erunt humecto cerebro.

Reſpiratio rara eſt & imbecilla, virtutis ratione, vt docet Galen. 3. de Loc. affec. In omnibus enim his diſpoſitionibus frigidis, læſio virtutis animalis fit, vnde & reſpiratio læditur: contra eos, qui dicunt eſſe inſtrumentorum affectum. Ab excrementis quoq; ſigna propria ſumuntur. Omnia enim pituitam expurgant, oculi, nares, os: A qualitate verò, mutata. Tumet enim facies, præcipuè oculi, exemplo eorum, qui multum dormierunt, aut, quibus multum pituitæ eſt in capite.

Signa autem ipſius inuadentis, ſic ſumentur, quod ſanè obſeruare oportet. Nam tunc maximè opem ferre poſſumus, non cum iam ad conſiſtentiam deuenit: Nam præter alia, etiam remedia non admittunt. Igitur ſtatim febris comitatur, lenta quidem & tenuis, id eſt, cuius calor minimè acris eſt, & mordax, qualem ſcilicet pituita putreſcens inuehere ſolet. Neq; enim ſentitur, ni diutius manum admoueas, ſecundo de Criſ. Adeſt etiam capitis grauitas potius, quàm dolor: Et iam in ſoporem facilè delabuntur, niſi continuè excites. Pigri etiam ſunt ad reſpondendum, & ex ore, & naribus pituita defluit. Facies decolor eſt, & tumet, præcipuè oculi. His adde, & procatarcticas cauſas, de quibus ſuperiore lectione diſſerui. Signa inuadentis lethargi.

Porrò valde exitialia in ea ſunt tum vrina, quam diximus, & omnia, quæ magnitudinem morbi demonſtrant, id eſt, aucta ſymptomata valde: præcipuè verò Galenus reſpirationem obſeruari vult 3. de Loc. affec. Nã ex ipſius difficultate magna, vel parua, de affectus magnitudine & more ſignificatur. Tertius verò eius intra de

cimumquartum eſt,vt acutorum omnium. Modus verò, quo ægri ſaluantur,in primis eſt,ex abſceſsibus poſt aures.Etenim in adenes non longè materia abſcedit ob frigiditatem, ſed ad proxima loca. Vrinis quoque raró indicantur. Neſcio cur quidam quartam diem terminum ſtatuerint.

Curatio lethargici.

Curatio verò hac methodo inuenitur.Etenim quæ præter naturá,hęc ſunt ſymptomata,vt ſopor,tepor,morbi intēperies,& febris. huius cauſa proxima quæ putreſcit in cerebro:remotior, quæ in venis magnis,& fouet,& auget:remotior plenitudo in toto.Hęc enim difficillima omnium lethargia erit, quæ plurima pręter naturam habet,quæ omnia tolli ſe poſtulant.Itaq; ſymptomata excitari, intemperies calfieri, & ſiccari; febris refrigerari : cauſa proxima à capite vacuari,quæ in venis reuelli,quæ in toto,à toto vacuari. Hinc ergo inchoanda curatio,Videndo quibus præſidijs id fieri poſsit:& ſi eodem multis vnà ſcopis inſeruire poſsimus,vt ijs, qui ſimul vacuent totum,& auertant humores,ne ad partem fluant. Vacuatio verò totius,num per venæ ſectiones hîc quoque fiet,& auerſio? Galenus hoc aſſerit,& omnes eum ſequuntur. Quòd ſi dicas, humor, qui eſt cauſa morbi,crudus eſt, non eget ergo vacuationis, ſed coctionis. Præterea enim frigido affectu ſi ſanguis mittatur, eò magis refrigerabitur. Præterea non ſicut in bile, facilè poterit pituita vnà cum ſanguine vacuari : eſt enim craſſa plerunq; & viſcida, vbi ea fluida erat,& tenuis.Reſpondetur,ſanguinis mittendus,quia morbus magnus eſt,& vires robuſtæ.id enim ſupponimus. Vnde neceſſe eſt, inopiam ſanguinis non eſſe,neq; magnum humorum vitium. Nam in cacochymo vires non valent,neq; eſt tanta cruditas,ſtantibus viribus, quæ venam ſecari prohibeat. in lib. de Ven. ſect. Præterea acutus morbus eſt.Quod verò dicebas,non egere vacuari, intelligitur,ſi ſolùm ſanitas ſit ſeruanda, non ſi prohibendus, aut tollendus magnus morbus.Cum dicis refrigeratur affectus. Reſpondeo, ſi multa eſſet, ac non de materia tolleretur, quæ calorem innatum ſua copia præfocet.Quod dicis non vacuari,falſum eſt.Etenim fuſa eſt, & liquida in venis, vt ſæpe videamus multum viſcidi humoris vena ſecta vacuari.Alia ratio cur venam ſecamus eſt, quia facilè, & celere remedium eſt:quod hîc exigimus : parca tamen erit, præſertim Hyeme, non ſic Vere. in alijs temporibus non euenit morbus. Conſidera etiam faciei colorem,& calorem ſi adſit. Hæc enim omnia hortantur venam ſecandam.Non tamen tuta eſt, ſi iam morbus proceſsit:ſi ſenſim incœpit:ſi ex alio morbo ſucceſsit:vt falſæ phrenitidi. De purgatione verò, potius vt auerſio,quàm vacuatio iuuerit:quòd multum vacuationi eſt rebellis per pharmacum.Hîc ve

rò

rô indicationes dissident: Nam febris proritari non vult. Ratio vacuandum exigit, qualitas causæ non sinit. Ideo potius clysmata deligunt, quòd minus torquent viscera, quæ sæpe plena sunt. Proderit verò, & vomitus, præsertim si signa adsint materiei contentæ in ventriculo, quæ facilè educatur. Fiat autem oximelle squillitico, & synapis, vel nepitæ decocto, vel Thymi. Clysmata verò ex horũ decocto, & melle multo, & colocintydæ, centaurio, stœchade, agarico, hieris: & hæc semel, aut etiã bis per diem fiant. Nam sopita est vis expultrix naturæ. Aliquando verò, & per os catapotia exhibere conuenit ex Fœtidis, vel Cochijs, vel agarici potio. Succedit statim secũdus scopus, qui partim perficiebatur ex reuellentib. partim verò ex repellẽtibus. Acetum autem plurimũ admiscere oportet, quod siccat, & extenuat, & incidit crassos, & glutinosos humores: & tepidũ apponatur. eo autem eovsq; vteris, quousq; conijcis nihil amplius influere. Quod verò tardè influit permittendum statim non est, vt citò à reuulsorijs præsidijs desistamus, quin potius multò tempore adhibenda sunt, præsertim quę dolore, & calore reuellunt. Nam prę ter hæc etiam ad scopum symptomatum peragendum nos iuuant, excitando. Itaq; & cucurbitulæ dorso, & frictiones, cum asperis, & calidis linteis, & madefactis manib. ex pyrethri, & synapis decocto & sale, & aceto, vel linteis ipsis confricare.

Acetum siccat, incidit & extenuat crassos, & glutinosos humores.

Sed in vsu oxyrodini dictum est, quoniam frigida apponi non debent, vbi frigida intemperies est, quæ vrget. At hæc mistio frigida est: quare hoc loco indicationes dissident, vt in præcedenti scopo. Consilium ergo est, vt vtrisq; quantum fieri potest, satisfiat: vt si ea inuenirentur, quæ robur capiti adderent, & repellerent absq; frigore. Etenim facilè hic reprimitur, id est inhibetur, ne influat, quòd tardi motus est, non validi, & vehementis, vt bilis. Itaq; & si non statim castoreum admiscerem, vt Mesues consulit, quoniam apprimè discutit, atque aperit, & calfacit, ita nec oxyrhodino solo vtendum, sed eas herbas adiungerem, quæ etiam firment, ac roborent, & modicè calfaciant: qualis mentha, absynthium, stœchas, aut nostratis spicæ flores, aut gariophilatæ herbæ radices, aut ciperi; similiter & mastix.

Tertius scopus causam proximam respicit. Hanc verò vacuare tentandum, & vnà parare. Eadem enim medicamenta id faciunt, nempe, quæ in ore tenentur vt pituitam ducant: Acria enim sunt, calida, & sicca. Sic & quæ palato illinuntur, eius generis. Sic & quæ naribus admouentur. Suffumigia ex aceto, & thymo, vel rutha, castoreo, galbano, assa, & quæ sternutationem mouent. Hæc omnia in statu. quibus autem fiant suprà diximus. Contrà in statu quie-

tem habere est melius. Respondetur, si esset status cum concoctione. Præparatur autem humor continuè dissecantibus, & calfacientibus, electuarijs, potionibus, tum medicamétis, tum etiam quibus in victus ratione vtimur. In hoc casu vsus castorei optimus est: vbi irridenda est iuniorum dosis, qui ad grana deuenerant. Demum post hæc, his, quæ resoluant multum, ad caput vteris. Nam prius leuioribus est vtendum. Ea erunt castoreum, maximè cum herbis calidis adhibitum, & sinapismi, quo etiam tempore, & purgatione vtendum erit, cum iam promptos se ad eam exhibeant: quam sanè Paulus facit admisto scammonio, castoreo, & omnes eum sequuntur. Nos autem ex hiera, ex colocyntide vtemur, & Cochijs pilulis.

Victus ratio lethargicis.

Victus ratio, & tenuis admodum, & extenuans esse debebit, id est ex his, quæ incidere, & extenuare, & calfacere frigidam, & crassam pituitam posſint. Hoc enim velut altero auxiliorum vtendum nobis est. Primùm igitur ambiens aer ad calidum vergat, & luminosum sit: illud aduersus morbum auxilium est, hoc aduersus symptoma, cui hoc loco intendere debemus: quoniam causæ rationem obtinet. Somnus enim humectat, vigilia siccat, & calfacit: Calefit verò tum igne, tum odoramentis, quorum etiam vis est excitare, extenuare, etiam & dissecare, vt storax, bengiui. Sint tamen leuia, ne multum dissoluant ante vacuationem. Post verò fortia, vt in tertio scopo diximus. Cibus verò sit ptisanæ succus vnà cum porro & sale, cocto hordeo: mox etiam pipere adiecto. Si mádat, biscoctus panis iuuat, & si leuior sit affectio, vt longè abesse statum speres, etiam paruarum auium carnes, & cappares, & salitæ oliuæ: & potum hydromel, in quo saluia, & cinnamomum, & passa vua sint excocta: Nam affectum iuuat, & ventrem, & causam etiam præparat. hæc vsque ad statum.

Somni verò tantillum permittendum, vt sufficere posſit viribus recreandis, non tamen longum somnum, aut profundum dormire sinendi: sed sæpe excitandi, modo, qui dictus est. In motione verò plus iuuat moueri, quàm quiescere, seu animi seu corporis motus sint; vnde ad iram sunt irritandi.

Cum verò iam sedari accidentia incipiunt, motione est opus, & omnibus quæ calorem excitent innatum, & caput fricare, & vino vti calidiore, & aromatibus, & cæteris, quæ intemperiem derelictā sanent, cùm cibis, tum potionibus, tum odoramentis, tum electuarijs. Hanc curam eandem ponit Rases in Suberth. id est in sopore, quasi non distinguat lethargum à sopore: ideo & de oxyrhodino meminit, &c. Differentiam autem inter hos affectus ponere oportet,

get, quanuis cura sit similis, vbi similis sit affectus, & causa.

Igitur Cari nomen, quod Latinè soporem vertunt, somnum lethargicis similem signat. Hic autem cum multis de causis fiat, nihil mirum si diuersæ naturæ est, & diuersam quoq; curationem exigit. Primùm enim eandem cum lethargo causam habet, & est intemperies cerebri propria, & primarius eius affectus: sed hoc differt ab eo, quoniam sine febre est: prouenit verò ex sola intemperie, quod lethargo non accidit, 3. de Loc. Hæc autem intemperies ex causa procatarctica gignitur, vt in his, qui per frigida loca iter fecerunt, vel qui frigida medicamenta sumpserunt, vt opium, & mandragoram. Fit etiam ex consensu, quod lethargo non accidit, sed semper primarius est affectus. Hic autem febrium accessiones insequitur reuocatione spiritus facta, vt contingit: & præsertim si multa, & cruda materia sit. Tunc enim non expanditur calor, sed opprimitur. Vnde somni longi, & inexpugnabiles, non tamen lethargus est: quoniam non cerebri primarius affectus, nec cataphora: quia hæc euaporatione & maior in statu; quoniam multa tunc est. Insequitur quoque febres prauas cum vermibus, sed erit potius cataphora dicenda. Cum verò cum febre est, differt à lethargo, quoniam hunc febris sequitur: at Carum præcedit febris motus. Præterea, inquit Paulus, si cum Caro febris adest, ea erit vehementior. Fit etiam compressis ventriculis cerebri, vt in fractura cranei, seu ipsum os sua sponte cõprimat membranam, seu minister chirurgico instrumento, quod appellant membranæ custodem, eam comprimat imprudenter. Loca hæc omnia apud Paulum interpres pessimè vitiarat. Cari nomen.

Ex his patet esse earum aliquando intemperiem seu cum materia, seu solam; aliquando verò instrumentarium morbum: cum scilicet aut vapore, aut humore frigido replentur cauitates. Cum verò spirituum defectu fit, & caloris innati, videtur ad instrumentũ pertinere, quoniam caua, quæ repleta esse debent, vacua sunt. Cum vẽtres comprimuntur, obstructio fit caui tantùm, cum à vermibus, vel alia venenosa qualitate: illa destruit animalem spiritum, hæc intemperiem vitiat.

Vt igitur diximus, non vnus curationis modus nobis sufficit, sed si alterum morbum causam habet, vt febrem, remedijs febris curatur: quanuis nos modis omnibus symptomati opponamus, euitantes præfocationis periculum, excitando, vt Galen. ait 2. Aphor. primo. Sic si à mala vermium putrefactione, tum excitabimus, tum ea, quæ vermes necent, & educant, auxilia afferemus. Si à medicamento epoto, proprijs remedijs instabimus, seu fungi sint, seu opium, seu mandragora. Si ventres comprimantur, compressa membrana,

curatio relaxatio eſt. Si ab intemperie ſola, non eſt vacuatione opus, ſed contraria qualitate. Refrigeratum igitur caput ita curabimus, vt ſuprà de capitis dolore egimus. Si ex materia frigida, vt pituita, tunc maximè lethargo ſimilem curationem habet. Nam repellentibus vtitur Raſes, vacuantibus quoque, & ſiccantibus caput, & corpus vniuerſum. Si verò per conſenſum fiat, vt ventriculi, vel vteri, illis partibus propria curatione prouidere oportebit. Hîc verò venæ ſectionis non meminerunt, niſi ex faciei notis ſanguis abundare vnà videatur. Et ratio eſt, quoniam frigidior eſt materia cari, quàm lethargi: neque enim putreſcit. Vnde & Galenus lethargos decrepitis aduenire non dicebat, hac de cauſa, tertio Aphor. cum tamen ſomni hi adueniant. In reliquis verò eadem curandi ratio eſſe videtur.

Cum autem affectus hic tum lethargo, tum apoplexiæ ſit ſimilis maximè febre à lethargo diſtinguitur. Quòd ſi carus etiã cum febre ſit, eo diſtat, quòd carum febris præceſsit, ad lethargum ſequitur, inquit Paulus. Præterea alios paroxiſmos huic ſimiles es contemplatus, & quomodo ceſſat apud ſtatum febris, qua ratione differt à cataphora, quæ tota acceſsione perdurat. Diſtat verò ab apoplexia quoniam hac affectus nihil mouetur, & nullis excitatur ingenijs, & cum excitatur, habet aliquam partem reſolutam: hoc verò affectus à paroxiſmo ſanus exurgit. Præterea quia reſpiratio non impeditur. Diſtat à ſyncope, vt ait Auic. pulſu, qui hic ſecundum naturam eſt, ibi paruus admodum, & inęqualis: ſed & facie, quæ hîc etiam nõ diſtat à naturali. Diſtat ab vteri præfocatione, etiam reſpiratione quanuis & poſt acceſsionem mulier ſe audiſſe, quæ coram dicebantur, narret. Diſtat & pulſu. diſtat, & quia ea prorſus immobilis ſæpe eſt, & conuellitur.

Carus quo nam pacto differt ab apoplexia.

Eſt autem affectio quædam media, quam plurimum ſuccedere videmus prauis febribus, quando fit decubitus, & abſceſſus materiæ peccantis, hanc ſignificarunt per accidentia oppoſita quibus participat, volentes ſignificare affectum ex contrarijs cauſis conflatum, vt tertiana notha fit, & tumores præter naturam miſtæ materiæ. Dixerunt ergo eſſe Coma, ſeu Cataphoram vigilem, quod quo modo accidat, Galenum audiamus. Tertio enim de Pul. cau. ſymtomata quædam ponit, quibus dignoſcatur: attamen affectum innominatum dimittit. Omnia autem ſunt partim phrenitidi attinentia, partim lethargo. Quòd enim ſtertunt aliquando, & ſoporatis iacent ſimiles, lethargicos imitantur: quòd verò rurſus excitati incõniuentibus oculis aſpiciunt, contrarium affectum monſtrant. Sic

delirare

delirare phrenitidis eſt:at pigrũ eſſe in reſpondendo, lethargi. Hoc ergo vitium Galenus ait,miſtum eſſe,vt & cauſa miſta eſt:nempe bilis, & pituita, vt inquit 3. de Loc. affec. & appellari ibi ait, Vigilantem ſoporem. Hi ſunt, quos phreniticos comatoſos appellant, primo Prorrh. vt ibi Galenus euenire ait:ſeu humida vna, & ſicca materia ſit admiſta,ſeu frigida,& calida. Affectum hunc veteres Catochen appellabant. Sed & vera,inquit Gal.catoche alius affectus eſt. de hoc meminit Paul. cap. de Phrenitide.

Cæterùm apud Paulum turpe eſt,cum huius mali generationem ex materia miſta faciat, & ita affectum quendam medium lethargi, & phrenitidis proponat,tum capite de phrenitide,tũ capite de peruigili Comate. Attamen cum eum per ſigna diſcernat, non quidem ſigna huius affectus miſti,ſed eius,qui propriè catoche dicitur, apponit,id eſt congelationis dictæ:itaq; & affectus, & curationes cõfundit. Sed quid Auic.qui hos affectus diſtinguere poſitetur; & diſtincta capita facit? Attamen ſigna poſita à Paulo, quæ propriè congelatorum ſunt, ſcribit ex Paulo,tanquam ſigna ſint vigilantis ſoporis : quanuis etiam ex Galen.3. de Cauſis pulmonis,ſigna etiam adiungat, quæ propriè in vigilante ſopore inueniuntur. Hæc igitur eſt affectio media,quæ ſæpius euenit hoc anno,ex qua multi periere, & ex hac facilis deſcenſus in lethargum patet,reſoluto ſcilicet tenui, & bilioſo humore, ſicut & in febrium permutatione fieri videmus. Catoche.

Cura verò miſta erit ex vtraq;:Nam & ſanguinem mittes,& oxyrhodinis veteris,non tamen actu frigidis, præſertim hyeme, & purgantibus vtrunque humorem, & reuellentibus. Sic etiam victus rationem ad eoſdem ſcopos inſtitues, & digerentibus ad caput veris, & per nares purgantibus, non tamen adeò acribus, vt in lethargo,vel caro.

De Apoplexia. Cap. IX.

SEquitur vt de Apoplexia agamus. Hic verò morbus maximè omnium lethalis eſt, vt dixit Hippo. ac noſtris regionibus non rarus,frequens verò in locis frigidis, ſeu ob ſitum terræ, vt Florentia,& Luca,& Bononia; vel ob regionis naturam, vt Germanis, & Britannis. Hoc ergo nomen ab accidente ſumptum eſt. Signat enim τὸ ἀποπλήττειν.percutere,& ἀπόπληκτος grauiter percuſſum. Cum enim animalia,quæ ante aras cęderentur, viderent vno ictu vniuerſum corruere, ab hac ſimilitudine,& hos percuſſos nominarunt. La

tini morbum attonitū dicunt, quòd viuant quidem, qui eo detenti sunt, sed ita viuant, quasi ecstasim patiantur, quòd neque sensu, neque motione, notas vitæ præ se ferant. Cùm ergo symptomata sint. natura morbi vestiganda, & generationis causa, quoniam difficilis est inuentu: eo præsertim, quòd hac repente opprimi ægros videmus; & rursus repente absolui: cuius rei causam intelligere facilè non est. Multa quoq; quæ his eueniunt, occultas causas habent, vt cur cum omnes musculi motu priuentur, soli, qui pectoris, & diaphragmatis, motum seruent. Et rursus, cur similiter stertant, hi qui graui somno sunt oppresi.

Quæ igitur sit natura morbi apoplexiæ, sic inuestigabimus: siquidem causam vnam, vel plures inuenerimus, à quibus tum sensu, tū motu voluntario vniuersum corpus priuari potest. Primùm igitur quòd affectam partem sit necessarium esse cerebrum, nemo dubitarit. Siquidem cum eorum munerum in toto corpore sit author, non potest totum quoque his priuari, nisi primùm illud principium patiatur: non autem solùm pars aliqua. Sed quis sit affectus cerebri, vel cuius partis cerebri, an scilicet substantiæ, an cauitatum, non satis constat. Galenus igitur morbum instrumentarium esse ait, non intemperiem, primo de Symptomatū causis. & tertio de Loc. affec. Quòd enim subitò eueniat, & subitò recedat, intemperies esse nequit: nec enim ea tam subitò fieri potest, aut tolli. Simile est de Epilepsia. Dico autem subitò, id est, in non perceptibili tempore. Tolli verò dico, non quòd eger necessariò statim sanitati restituatur (hoc euim nunquam vidi) sed quòd sensus, & vis motrix in membris omnibus, vel parte saltem restituatur. Necesse ergo inquit, est, vt obstructione aliqua fiat, qua animalis facultas ad partes extimas peruenire prohibeatur. Prohibetur autem obturatione viarum, & obumbratione, non secus ac lumen, cui maximè assimilat animalem vim Galen. lib. de Plac. Hinc est, quòd subitum accessum habet ablato impedimento, & subitum recessum eo posito. hæc ille. Et nos anno superiore de his contrà Aristotelem disputauimus.

Supponendum igitur est, in cerebri cauitatibus animalem spiritum, velut in fonte quodam contineri: atq; inde neruis subministrari ad motum mediantibus musculis perficiendum: cæteris verò omnibus sensitiuis partibus, ad sensum. Hic igitur substantia tenuissimus cum sit, quolibet momento dispergitur, nisi continuam, iugemq; habeant generationem, vt xij. Metho. habetur. Vnde fit, vt duplici ratione obstructione facta in cauitatibus, motus, & sensus tollatur: tum quia facultas illustrans, à cerebro non potest permeare crassam illam, & turbidam substantiam, quæ obstruit: tum quia

spiritus

ſpiritus à cerebro diffundi in ſenſoria, & neruos non poteſt. Talis verò erat facultas, vt continuò in fluxu, & continua generatione à ſuo principio egeret, vt & pulſatiua vis à corde in arterias. Hæc ſeptimo de Plac. Vnde & ſubitò tollitur, vbi adeſt impedimentum in parte, per quam fertur, & eo ablato ſubitò reuertitur. Sic in vitali facultate euenit: ſic in animali. Spiritus verò quamuis non ſubitò pereat, non tamen in parte ſeruatur, niſi tempore imperceptibili: quin imò niſi à primo illo fonte influat, breui deſtruetur vniuerſus: vnde & denſis tunicis ea ratione hunc natura cohibuit. 6. de Vſu par. quales ſunt arteriarum: & ex eo, qui in his continetur, velut ex materia, animales ſpiritus generatur, qui etiam primùm eſt animæ inſtrumentum. Vnde fit, vt à corde aſsiduè neceſſe ſit in cerebrum calorem influere, vt de For. fœtus Gal. aſſerebat, & à cerebro motus ratione ad pectoris muſculos vim animalem defluere, & ita officijs mutuis partes has concertare. Cor, & cerebrũ mutuis officijs concertant.

Si igitur hæc vera ſunt, relinquitur, bifariam poſſe apoplexiam contingere, vel ſcilicet quia tum facultas, tum ſpiritus animalis ad neruos deferri prohibentur: vnde ſubitò functionibus ſenſus & motus priuantur; aut quia cordis influxus in cerebrum præpediatur, repletis ſcilicet tam arterijs, quàm venis, per quas calor innatus, id eſt, ſpiritus in caput fertur: & ſunt iugulares, dictę ab Arabibus, Giudez, vtrinq; vna. Impeditur autem eadem ratione, nempe obſtructione in ijs facta, vel à ſanguine multo, vel craſſo, vel viſcido. Apoplexia bifariã cõtingere.

Erit autem hæc duplex apoplexia, non quidem genere proprio differens (vtraq; nanq; obſtructio eſt) ſed parte affecta: & quæ velut differentia proxima eſt, vt in altera ventres cerebi afficiantur, in altera venæ, & arteriæ iugulares. Prior illa notiſsima eſt, & ab omnibus explicata: ſecunda non ita: ſed eam apertè ponit Hippo. 4. de Vict. & eam fieri ait congelato in venis ſanguine, per venas intelligens iugularia vtraq; vaſa, vt mos illi eſt, venas, vtraq; dicere. Sic & in lib. de Aere, aquis, & locis, Senioribus, inquit, diſtillationes accidunt, ſubitò interimentes à cerebro, nimirum has innuens. Hoc etiam Ariſt. de Somno innuit, venis illis apprehenſis corruere, dicẽs vniuerſim corpora, non alia ſanè ratione, quàm quòd à corde influxus tollitur, vt diximus. Hanc Hippo. venarum interceptionem dicit, 4. de Vict. quòd ſanguinis figitur in ijs, & coaleſcit immotus, viamque ſpiritus obſtruit, vnde interceptio dicta eſt. Hinc etiam vulgares, guttam cadere dicunt, defluxionem illam in venas ſignificantes.

Igitur apoplexiæ definitio erit, obſtructio vehemens ventriculorum cerebri omnium, vel iugularium vaſorum, quæ veteres Caroti [handwritten: De'finitio apoplexiæ.]

das seu soporarias appellabant 7. de Plac. Id igitur secundum substantiam est hic affectus.

Verùm circa hæc dubitatur: primùm, quoniam vna ex speciebus soporis erat obstructio ventriculorum cerebri, quare eadem erit secundum substantiam, atq; apoplexia: siquidem eadem quoq; est definitio. Præterea comitialis quoque morbus obstructione fit, vt videbimus. Qua ergo ratione differet ab apoplexia? Si dicas symptomata diuersa sunt. Contrà, Hæc distinctio per posteriora est, quoniam per accidentia. At nos substantialem definitionem exquirimus. Rursus videtur aliam quoque speciem morbi apoplexiam statui posse, vt intemperiem frigidam tantùm, vel etiam cum materia in corpore cerebri: Hæc enim cum proprium cerebri temperamentum destruat, itidem & actiones. Nam esse hoc primo instrumento fiunt, authore Galeno. Præterea & spiritum destruit, quod est instrumentum alterum. Iterum cum dicat quarto de Loc. Apoplexiam offendere corpus cerebri magis, quomodo potest offendere, nisi vt intemperies? Erit ergo intemperies morbus, vel non magis obstructio, quàm intemperies. Contra id quoq; tertio libro dixerat, non esse inquam, intemperiem. Galenus quoq; 2. Aphor. 42. non obstructionem modo causam ait, sed & affectum phlegmonis naturam habentem, qui in cerebro consistat. Erit ergo & phlegmone cerebri, apoplexia. Respondetur, soporem naturam apoplexiæ sapere, vnde & sępius eam antecedit: & talis est circa sensus affectio qualis apoplexia circa motiones. Est ergo velut leuis apoplexia sopor: quòd tametsi obstructio est, attamen leuis est, si ad eam comparetur, quæ apoplexiam facit: Vnde & excitatur nonnihil, si vim inferas. Distinguuntur ergo maioris, & minoris ratione. Morbus verò comitialis, obstructio vnà est, & astrictio, vt videbimus, cum de eo sermo erit: Ideo obiectionem quoque vehementem non habet prima ratione: sed quatenus cerebrum motu vitioso conuellitur, eatenus quoq; meatus claudit: ideo periculum nominatur, vt apoplexia, & ex pauciore materia fit: vnde illi paralysis non succedit.

Argumenta probantia Apoplexiã esse cerebri intẽperiem.

Responsio ad argumẽta.

Frigida verò intemperies, quæ inter affectus apoplexiæ ab Auic. numeratur, numeranda non est: Nam quanuis & torpor, & stupor & mors ab ea fiat; attamen obstructio non est; vnde neque subitò euenit. Erit ergo carus, morbus solùm; quòd si adeò vehemens, vt æger posthac non expergiscatur; affectus erit apoplexiæ similis: primo de Morb. differentijs. Sed reuera carus lethalis erit. Cum verò dicit Galenus, Apoplexiam corpus cerebri magis offendere, ergo vt intemperies. Conceditur, necessariò hanc intemperiem comitari, vel plurimum. (Vix enim aliter imaginari possumus) sed non ea

ratione

ratione subitam obstructionem facit, sed qua multa confertim in vẽtrem defluit materia: quare ea obstructio affectus est apoplexiæ, nõ intemperies. Nam sine hac, accidentia apoplexiæ non facit, sed cari vel lethargi. Ad postremum difficile est scire, quid per dispositionem phlegmonosam intelligat, nisi velit, cerebri substantia phlegmonem patiente, occludi astrictione circumstantium partium, ventres.

¶ Mox ipsius causæ inuestigandæ sunt: ac primùm proxima quæ ventres cerebri, vel soporaria vasa replet confertim. Inquit Galenus, Sanguis pituitosus est, & in summa humor omnis crassus, & viscidus; vnde & melancholica potest causa esse, 6. Apor. Erit & tumor præter naturam, siquidem eum affectum phlegmones admittamus. Huius rursus causa est eius abundantia in cerebri corpore, & in venis. Hanc verò mouet, & in ventres fluere facit subitò, vt externus calor, vel frigus, vel vini potus, plaga ingens: & huius rursus causa est, quæ per venas cerebrum petit: & quæ hanc mouent externæ, sol, ebrietas, frigus. Huius verò rursus causa abundantia eiusmodi humoris in toto: atq; hæc sanè tum externas causas originem habet, tum internas, de quibus modò agendum. Dicere verò vt Auic. quòd causa aliquando sit astrictio, quam facit cerebrum cum dolorem percipit, est miscere epilepsiam cum apoplexia. An potius affectum phlegmonis naturam sapientem intelligit, vbi multus cõfertim sanguis in caput feratur, & inde in ventres proruat? Potest id permutatione alterius mali fieri: potest & aliqua causa sursum multus trahi, vel duci: cuiusmodi solis occursus facit in repleto corpore. Inde enim morbi plethorici, id est plenitudinis, eueniũt, de Ven. sect. & 1. Aphor. 15. & 3. Aphor. 20. nempe fusione humorum, qui cõcreti prius erant. Ideo etiam Vere fiunt, cum primùm frigus brumę molliri cœpit, neque adhuc calore ambientis corpus est exhaustum. Ex his patet, verùm esse quod diximus, non esse intemperiem cerebri apoplexię affectum, sed potius comitari vt causam mediam & fouere affectam.

Apoplexię causæ inuestigantur.

Causæ verò generationis eius humoris in toto, internæ sunt, naturale temperamentum, quod multos, & viscidos humores gignat, vel etiam crassos; & in summa pituitosum, vel melancholicum sanguinem: vel ætas, vt declinans, vel senilis: illa melancholiam, hæc pituitam aggregat. Sed cur pueris cum abundet pituita non euenit, sed comitiales magis? An quia natura excretrix, valida non sinit in cerebro multum congregari, sed sæpe in comitialibus accessibus expurgat? An effluuij copia plenitudinem non congregat? 9. Metho. & primo de Vict. Iuuenibus verò, non nisi à fortissima causa,

Causæ.

mulieribus rarò ob mēstruas purgationes, vt videlicet podagra, sexto Aphor. Vidi tamen nonnullas ociosas, & diuites hoc passas, cum iam menses eas defecissent, vt & podagra laborantes non rarò vidi.

Victus ratio maximè etiam facit. Primùm quod ad ambientem attinet: nam frigidum ad pituitę generationem facit, primo Aphor. 15. Calidum verò, quicquid Auic. dicat, per se causa esse non potest, sed ex accidenti, fundendo, ad fluxum parat, & trahendo ad superna, caput replet, sicut contrà frigidum densando, in cauitates exprimit. Cibi verò omnes, qui crassum, aut pituitosum succum gignunt ad hoc faciunt, præcipuè si & multi assumantur: ita vt sæpe cruditates homo incidat. Et multus vini potus, tum propria ratione neruosas partes lædit, tum quia caput replet, præsertim crassum, & dulce.

Motus intempestiuus.

Motiones quoque intempestiuæ, id est, ventre repleto multifariam nocent, primùm quòd concoctionem vitant, & tardant, quæ quiete perficitur; secundò quòd euaporare faciunt ad caput, & replent; tertiò quòd venas crudis replent, quādo crudi humores motione extenuati in venas deducuntur; dimittere verò exercitia, calorem debilitat, vnde crudi succi gignuntur: preterea corpus excrementis replet, vt & somnus nimius. Largo enim somno detinentur excrementa, & viscera grauantur. his ergo de causis apoplexia gignitur.

Apoplexię imminentis signa.

Signa autem eius imminentis in primis consideranda sunt, vbi in alijs incipientes affectus deprehendere enitebamur. Etenim velocissimè viget, & breuissimum, imò imperceptibile habet principium & augmentum, vt tota status esse videatur. Sunt autem maximè hæc obseruanda, propterea quòd tunc opem aliquam ferre possumus; vbi cum iam adest, exigua est spes salutis. Dicam verò pro exemplo, quemadmodum in viro quodam qui quadragesimū quartum agebat annum, euenisse vidi. Erat hîc calidi capitis natura, ac potius sicci, multis vitæ incommodis actus, tum ventis, & pluuijs, tum nocturno aeri se diu temerè exposuit, sic negocijs exigētibus: tandem obliuiosus eorum esse cœpit, quæ subinde faciebat: at præteritorum tamen recordabatur satis: sed neque prorsus mente constabat, cum loca, in quibus morabatur non bene dignosceret. Tandem diutino capitis dolore vexari cœpit, flatuum scilicet ratione, atq; ita medicum post menses ferè sex accersiuit. Quòd ad somnum attinet, aliquando admodum procliuis erat: purgatus verò quieuit dolor, & somnus. Itaque cum iam melius habere videretur sibi, curatio tandem in victus ratione permissa est. Circa Februarium mensem, adhuc obliuiosus, & tardus persistens, rursus doloribus afflictus

ctus eſt: & tandem attonitus effectus, obijt citiſsimè. Huic ergo obliuionis ſymptoma, multum humorum frigidi aceruatum arguebat: ſimiliter & capitis grauitas, & dolor. Præterea ſenſus obtuſi hoc monſtrabant imminere malum. Alia ſigna ab Hippo. poſita, à quo Paulus, & ab eo Auicenna. Similiter etiam & tremores præcedent, & ſomni longi, & grauiores. Hi enim cauſam frigidam, & humidam adeſſe monſtrant, præſertim in ſene, qua ętate, cum ſe habẽt ſecundum naturam, potius ſicci ſunt, & inſomnes: ſic & diuturnæ vertigines monſtrant.

Signa verò ipſius præſentis facilia ſunt: Nam ſubitò corruit facultate mouente abolita. Nam tam moti, quàm iacentes muſculorum opera vtimur, vnde & defatigamur, & ad latera vertimus. Dignum verò admiratione eſſe Galenus ait 2. Aphor. 42. quomodo feriatis omnibus muſculis, ſoli, qui pectoris, moueantur: etenim reſpirant. Reſpondet, Reſpirationem adeò neceſſariam eſſe, vt multa vi, neruorum facultatem excitet ad motum, quoniam ſine ea animal non viuit: ideo de ea maximè natura ſollicita eſt. Contrà dubitatur: Actio muſculorum voluntaria eſt, hîc verò nullum voluntatis imperium, quomodo ergo mouebitur? Secundò diximus tolli facultatem, & ſpiritus prorſus: Nulla ergo vis neruis aderit, qua agant. Reſpondeo, quanuis actiones animales à voluntatis imperio fiant, nihil tamen vetat, quin & ſine conſilio, & electione fiant, vt in his, quibus alicuius motionis habitus contractus eſt, vel quæ natura ipſa cogente fiunt. Sic & vigilantibus motus ex conſuetudine, ſic reſpiratio ob vtranq; rationem profundè dormientibus, & nihil quoque cogitantibus nobis. Dicuntur autem hæc, motus voluntarij inſtrumenta: quoniam quæ ſolius naturæ opera ſunt, his nõ peraguntur, nónne fœtum in vtero calcitrare, & muſculis vti videmus? Attamen non deliberat.

Ad quæſtionem reſpondet Galenus ſecundo de Motu muſ. Multa nos cum deliberatione agere, quæ poſtea deliberaſſe non meminimus: quòd imaginatiua quæ, inquit, eadem & memoratiua eſt, quoniam leuem, & obſcuram impreſsionem in eam fecerãt, eorum non recordatur, ſed ſolùm inſignium motionũ recordatur. Quòd verò leues hæ motiones fiant in deliberando, cauſa eſt, vel quia anima tota ferè aliò auerſa eſt, vt cum cogitamus quidpiam intentius, vnde & manus mouemus, & deambulamus à voluntate quidem, ſed non aduertimus; vel quia anima vigore actionum ſuarum, multum remiſerit, vnde quæ imaginatiuæ obijciuntur, quaſi per nebulam quandam, & obſcurè mouent. Sic igitur in ſomnis vocati, ſæpe reſpondemus, & tamen reſpondiſſe obliti ſumus. Sic & phrenitici,

Imaginatiua eadem cũ memoratiua.

eorum, quæ gesserint, obliuiscuntur, sed propter priorem causam. In summa recordamur actionum, quæ voluntate effectæ sunt, cum egregiè mentem adhibemus. Altera etiam causa poni potest, quoniam videntur consueta opera, & exigua deliberatione egent adeò, vt nō aduertatur. Sic palpebras mouere, sic pectus in respiratione. Quòd enim omnes voluntariæ actiones sint, hoc declarat, quòd sistimus, vrgemus, tardamus eas ad libitum. Iuxta hæc ergo & de respiratione in apoplexia respondebit; non esse adeò destitutam operæ animam, quin necessitatem illam respirandi sentiens, vrgeat exiguam illam facultatem, quæ in musculis superest. Contrà, Abolitas dicebas has vires. Respondeo, Abolitas dicimus cum adeò exiguæ perstāt, vt vix ad exiguum motum peragendum sufficiant. Vel igitur ita dicendum est, vt Galenus: vel quòd non est semper necessaria deliberatio animæ in actionibus, quibus assueuimus: præsertim vbi vsus ipse actionem vrget. Sic etiam de mictu non deliberant, quoniam irritantur musculi, & erit tunc quodammodo naturalis ea actio. Non tamen dicendum, vt stultissimi expositores, quòd motus ille fiat à corde sine cerebri influxu. Hoc enim omne medicinæ principium peruerteret. neq; sequitur, vt ille arguit imperitè, Cor mouebatur ante cerebrum, quia primo viuit: hoc quoque admisso, ergo musculos sine cerebro mouebit. Nam motus cordis, & arteriarum prorsus naturalis est, non vt musculorum, voluntarius.

Ad secundum non priuamus adeò, quin tanta vis superfit, quæ saltem respirationē possit efficere. At fit tamen quomodocunq; fiat magno labore, vt videbimus, cū de prognosticis agemus. Similiter & sensus, & omnes principes facultates abolitæ sunt, non vt in somno graui imminutæ. Vnde inquit Rases, Et cum pungitur, non sentit. Distinguitur verò ea, quæ in cerebro, propterea quòd in paralysim transit, non ea, quæ in iugularibus, & ideo est leuior. Hæc sunt essentialia signa, & quæ ipsam rei naturam insequuntur. His quoq; ab alijs omnibus distinguitur. Nam à sopore, quoniam neq; subitò aduenit, neque prorsus sine sensu, & motu iacent. Ab apoplexia verò, motibus, qui illi insunt, spasmosis. A syncope verò, his quę notæ eius sunt, facie & pulsu, quę in hoc non admodum alterantur. A Catalepsi, quoniam apertis oculis, vt rigidi manent, neque necessariò iacent: A præfocata muliere, ex pulsu, & motibus conuulsionum, si adsint.

Prognostica verò signa, primùm ex respirationis vitio habentur. Necessariò enim in quocunq; vitiata est: Nam rara, & tarda admodum fit. Est autem vitij causa vis imbecilla, qualis etiam profundo somno oppressos adoritur. exigua enim est, quæ influit. Inde ergo lethalem

lethalem esse deprehendemus, prorsus iuxta affectus magnitudinem, quę inde significatur. Eadem enim sunt hoc loco signa, quæ affectus magnitudinem & morem significant. Si ergo leuis sit respirationis lęsio, signum est, multam vim defluere, & ita affectum leuem esse; leuis autem est, quæ parum distat ab ea, quæ secundum naturá: vt si soli musculi medij thoracis concurrant ad inspirationem faciendam, elato pectore. Grauior, vbi omnes vsq; ad iugulum, quæ & sublimis spiritus ab Hippo. dicitur. Grauis inspiratio etiam accidit vehementer motis, aut his febricitátibus, qui proximi sunt morti. Hi enim conueniunt imbecillitate facultatis, vbi priores, solùm ex eo, quòd necessitate aucta, magnam respirationem moliuntur. Cognoscitur autem & ea debilitas facultatis, stertore. Nam quo hic maior, eò est magis debilis in mouendo. Similiter & qualitate eleuationis. Considerando num omnino prohibeatur, vel multo conatu vix fiat, vel intermittat vnum motum aliquando, id est, tempus vnius motus, vel inæquales motus faciat. Hinc enim magnitudo distinguitur, secundo Aphor. 42. Hìc incidit dubium, qui stertor fiat. Etenim non videtur simpliciter admittendum fieri ex motricis debilitate; sed potius obstructione meatuum, per quos spiritus fertur, id est, eorum, quibus nares faucibus communicant, qua solùm via, qui bene habent, respirant. Præterea cum dicat, aliquando prorsus prohiberi respirationem, quæret quis, Quomodo viuere ij possint, si non respirent? Quod sanè eò magis in quæstionem venit, quoniam multos huiusmodi sanitati restitutos dicat. Quomodo ergo erit impossibilis curatu eiusmodi apoplexia? 6. Aphor. 51.

De stertore igitur dicamus asserere Galenum, ex imbecillitate motricis fieri, secundo de Motu musc. & 6. Aphor. 51. Sed modum non scribit, quo thorace à debili facultate moto, stertor accidat. Nam & multos nos videmus debilissimè respirare, vt in syncope, & præfocatione matricis, & in his, quibus ex debilitate sublimis respiratio fit: attamen non stertunt, quare hæc causa necessaria non erit. Quòd verò stertor fiat obturatis faucium meatibus, & naribus ita vt spiritus transumptioni, via ea non suppetat, experientia monstrat; in his, quibus vel natura, vel ex accidente aliquo, caput præhumidum est, & fluxionibus facilè tentantur. Cum primùm enim dormiunt, defluēte humore aliquo, fit stertor: At vigilibus non fiebat: tum quia per os poterant eo aperto, quod satis est, inspirare; tum quia nó adeò grandis est respiratio vigilantibus, vt dormientibus. Vnde & maiore vi tum inspirant, tum expirant, & cum sonitu ferè, id faciunt. Causa autem est, tum quia circa viscera multus tunc calor colligitur, & quia in somno concoquitur: multa fit euaporatio,

& fuligo multa, quæ excerni debet.

Hæc igitur causa communis esse videtur omnibus stertentibus, seu ebrijs, seu soporatis, seu apoplecticis, seu pituitosis hominibus. Aliquando etiam viæ per naturam angustæ sunt, vt simis: & hi quoque stertunt. Sic & crassi valde stertunt, cum primùm conniuent, & non ex facultate. Iuuatur verò maximè stertoris causa, cum thorax non attollitur, sed sublimis sursum in iugulum fertur: vnde angustæ viæ spiritus remanent, & cum sono multo spiritus accipitur, & redditur. Hoc autem propter motricis debilitatem accidit. Quare hæ duæ causæ stertoris sunt statuendæ, obturatio & astrictio, & ambæ in apoplectico eueniunt: tum cerebri humiditate defluente, tum motricis debilitate. Sic concidunt musculi, & ita ossa, & partes omnes, motrice ablata, vnde stertor. Ergo stertoris qualitas, id est magnitudo, difficultatis magnitudinem sic sequetur, & ita signum erit magnitudinis morbi; & ita salutis aut mortis.

Quòd verò de respiratione querebatur, sic soluit Galenus: Verisimile esse respirare ea corpora, attamen latere respirationem sensum nostrum. Nam, & sæpe sane degentibus talis respiratio fit, quæ neque visu, neq; auditu sentiatur, vt si graciles sint, & lati pectoris, cùm quiescunt prorsus, hyeme præsertim. Sic & animalia, quæ latent hyeme, pectus non mouent: sed hæc ob aliam causam, quòd scilicet adeò refrigerata sint, vt exigua, & insensili pectoris eleuatione sint contenta; sic sanè, & præfocatis mulieribus accidit. Etenim cor, & spiritus veneni vi refrigerantur, & vniuersus corporis habitus, adeò vt & pulsus exiguos, & respirationes insensiles faciant. Præterea quòd deest respirationi, supplent interim per totius corporis transpiratum, qui ex motu arteriarum exercetur. Sic ergo dicemus apoplecticos, qui superuixerunt, non fuisse prorsus respiratione priuatos, sed eam exiguam fuisse. Sed quoniam tales vnquam apoplecticos, cum adeò exigua respiratione, seruatos ego nô vidi, nec Galenus se vidisse ait; suspitio est, ne hi probè distinxerint præfocatas ab vtero, ab apoplecticis; cum præsertim huiusmodi historias eorum qui superuixerunt in mulieribus narrent. Galenus enim ait, omnes, in quibus respiratio prohibetur, aut multa cum difficultate fit, diem obijsse. Sic & Hippoc. impossibile esse ait, vt reuiuiscant.

Spuma est lethale signum. Spuma quoq; si appareat, lethale extremè est signum, id est, à quo euadi non potest. Nam simpliciter apoplexia toto genere lethalis esse censenda est. Fit autem spuma, 2. Aphor. cum ob difficilem respirationem, & tardam, & raram, detinentur fuliginosa excreméta; quę vnà cum pulmonis humiditatibus sursum feruntur in os; vnde expiran-

expirando ex ore, ſpuma, id eſt ex vapore, & humiditate admiſtum corpus effertur. Cur verò in comitialibus malum non ſignificet, proprio capite dicemus: hîc verò & violentum admodum pulmonis motum, & incendium cordis ſignificat. Ideo non per ſe ſignificat, ſed quatenus vitiatam multùm reſpirationem ſignificat.

Volunt quidam ſigna ſalutis ponere paralyſim, id eſt cum abſceſſum in partem aliquam natura facit; vt crus, vel brachium, atq; iam exuſcitari ęger incipit, id eſt partem aliquã mouere, vel ſentire. Verùm hæc omnia fallacia ſunt, vt experientia vidi: quanuis omnes, qui conualuerunt, ſic conualuerint, vt & Raſes teſtatur. Attamen non prius in tuto ægrum exiſtimabis, quàm reliquis omnibus partibus ſanus fuerit: Etenim ſæpiſsimè recidiuam facere vidi, vt cum ex abſceſſu facto parũ leuati fuerint, rurſus morbos inuadat, aut etiam ſopor grauis; à quo non euadant. Etenim his, qui longioris tẽporis apoplexijs pereunt, euenit vt pluries in melius euadere videantur, & rurſus concidere, quod ferè euenit ſenibus valde: vt aliquando etiam ſeptimã vſq; diem perueniant audientes, & intelligẽtes, & partes quaſdam corporis mouentes, & cibum ſumentes: mox ſubitò concidant rurſus, & pereant: quæ etiam ab antecedente cauſa, quæ non facilè tollitur, reſtitui poteſt.

Itaq; in multum tempus curatio his producenda, nec temerè ſuo conſilio ſunt dimittendi, ſed & qui ſemel ea correpti ſunt, facilè, id eſt, leui de cauſa rurſus corripiantur. Tantam enim eo morbo debilitatem ſubit cerebrum, vt non poſsit, niſi longo tempore integrę ſanitati reſtitui: prçcipuè in ſenio; quod & adnotabimus, cum de paralyſi agemus. Optimum verò omnium cenſendum, ſi reſolutio in partes valde remotas inciderit ſpinæ: ſic enim robur naturæ ſignificat, & cauſæ eam dominari. Contra verò ſi facies, aut manus, aut lingua reſolui videatur.

Qui ad huius mali curam accedit, primùm cõſideret, qualis nam ſit apoplexia. Nam ſi fortis ſit, cum mors ferè indubitata expectanda ſit, vt Hippo. ait, nullum generoſum remedium eſt adhibendum, non venæ ſectio, non pilulæ. Sed vt gratificeris aſtantibus prædictione munitus, leuiora facies, vt frictiones, clyſmata. Si verò prorſus deſperata non eſt, enarrata periculi magnitudine curationem aggredieris: non vt quoſdam imperitè facere vidi, vehementi motu corpus omne agitando: Nam ſi in pleno corpore, & capite, morbũ poteſt motus cauſare, tertio Aphor. 20. quanto magis iam cœptum augere? Sed ſic ordieris. Quoniam enim affectum in cauſas ſuas reſoluendo (de internis loquor) ad plenitudinẽ totius corporis peruentum erat, ideo inde curatio auſpicanda. Quòd igitur ſectio con- Cura.

ueniat, vis maximè morbi, cui celere auxilium debetur, demõstrat, adhibita consideratione virium, in qua, & ętas comprehenditur, & modi plenitudinis, id est, nũ simpliciter plenitudo sit, an phlegmonica, an melancholica: & plenitudinis magnitudinem, quam conijcies ex præcedente victu, ex suppressis vacuationibus, & demum ambientis conditione. Sic enim mensuram adhibebis. Oportet autem, (vt Hippo. docet, quarto de Vict. acut.) partes corporis interim fricare, & calfacere, id est brachia, crura, spatulas, idque quàm celerrimè antea, & dum fluit, sequi. Quòd si etiam calfaciente oleo id fiat, optimum erit. Sic enim frigidus sanguis fluidus redditur, & calfacto corpore excitatur, & ad discussionem plenitudinis iuuat.

Eligunt verò saniores cephalicam; Nam stultum esset à saphenis auxilium expectare. Eligunt aliqui iugulares, in quibus secandis est obseruandum, vt per rectam longitudinis fiat incisio: aliàs non facilè coalescit vulnus: & vt medicamentum adhibitum ex leporis pilis, & oui albo, diu digitis detineatur.

Vt autem venæ sectio nobis tum vniuersum corpus vacuabat, tum humores, si quid ad caput impetum facerent, reuellebat: ita, & purgatio. Quanuis à primis his remedijs, si in iugularibus malum sit, statim quiescet, neq; paralysim faciet. Potest enim tum varios humores vacuare, atq; ita plenitudinem mĩnuere, tum reuellere. Itaq; siue simpliciter plenitudo sit, & potissima, seu ea, quæ vnà alterius humoris abundantiam habet, hanc exigimus ob duplicem vsum. Igitur Rases, opportunè sanè, eam per clysmata molitur. Multum enim à capite reuellunt, & totum corpus vacuare possunt, si plurimùm niteris, primo Catatopus: hoc autem est, quia medicamenta quauis parte corpus ingrediantur, eandem vim habent. Nam & extrinsecus ventri admota aluum subducunt, vt patet de linimento, ex cyclamino, & colocyntide, quo & vermes necantur, & per aluum vnà cum deiectione ducuntur. Multus autem fit nixus ijs iteratis. Vnde non semel eijciemus, sed sæpius, donec (inquit) humorum multitudo deijciatur: Vnà dicens, quoniam vehementissima medicamenta inijcit album veratrum in primis, mox centaurium, tertiò colocynthim, quartò cyclaminum: quod facit, non modò vt celerrimè opem ferant, sed etiam vt admodum naturam proritent ad expellendum. Purgant autem varios humores: quoniam expedit omnes humores vacuare, & reuellere, licet præcipuè frigidos, & crassos respiciant.

His igitur prima die vtemur, tum vacuandi gratia, tum reuellendi. Quòd si à proximo ventre vacuatio fieri possit, iuxta præceptum

ptum Hippo. 6. Epid. id eligetur. Hoc autem erit, si post phlegmonam, vt aliquando euenit, nonnihil æger resipiscat. Nam interuallo facto temporis, quod minimum est sex horarum, pharmacum soluens propinabis, neglecta horæ obseruatione. Sunt autem grauia quoq;, quæ exhibentur, præcipuè pilulæ de assa fœtida: hæ enim non solùm vacuant, & reuellunt, sed calfaciunt, siccantq; vehementer. His similes sunt, & Cochiæ: præsertim si Castoreũ addatur. Dosis erit ʒ j. s. Vt autem clysmata ad operis vehementiam iteranda diximus, ita & purgatio. Nec inconuenit, si duobus diebus iteretur, præsertim si vires validas videris, & pulsus, & conferre vacuationẽ, & facilè corpus purgari. Nam & scimus veteres elleborismos multis diebus potasse: interim tamen & clysmatis vti, donec morbus sese remittat: non quidem leuiter, vt sponte sua aliquando fit, facto à natura abscessu; sed multum, idq; post peracta remedia, vt non sine ratione leuatio esse videatur.

Interim tamen dum à medicaméti opere desistitur, alijs ingenijs diuersorijs est vtendum. Hic tamen non sicut in secta vena, confricare expediebat & alijs vti, quæ deorsum trahant: Nam hæc quoq; ab intimis ad extima trahunt. At non ita hic, vbi motus esset medicamento contrarius, & impediens, ideo tunc desistendum; cum verò opus perfecerint ea, facienda ea ratione, qua diximus, vt cutis quoq; rubore suffundatur; tum frictionum fortitudine, tum medicamenti acritudine, vel olei, quod illinitur. Fricando verò partes, ad quas vel naturam tendere abscessu conieceris, vel quas natura imbecillas in eo noueris. Huc spectant cucurbitulæ, & vincula, & alia, de quibus suprà diximus. Remedia diuersoria quæ sint.

Iam igitur tum humorum copiam abstulimus, & humores influẽtes inhibuimus reuulsorijs: Et erat secundus scopus. Sed nunquid ea quoq; quæ repellant, sunt adhibenda? Rases ea proponit: medicorum nullus vtitur. Quid igitur rei natura dictat? Videtur hic scopus, qui sumitur à materia fluente, in hoc morbo exiguam indicationem præbere: propterea quòd morbus statim peruenit ad statum, & est factus. Si ergo illi inseruire volumus, fiet hoc vnico remedio, nempe reuulsione, non duobus, id est, vna & repellentibus, vt in prioribus morbis. Etenim his duplici de causa vtebamur, prima ad augmentum inhibendum, secunda, ne foueret proximam causam. Pro prima non est opus, quoniam statim consistit: pro secunda sat est vti reuulsorijs. Repellentibus vtimur & ad inhibendũ augmentum, & ne foueret proximam causam.

Citò ergo factis vacuationibus reuellentibus, & continuatis alijs reuulsorijs remedijs, vt in morbo præcipiti, ad partem affectam post primam diem accedendum est, id est, ad causam tum proximã

obstructionis, tũ antecedenté in cerebro. Primùm igitur sensiles vacuationes excitabimus, naribus, & palato medicamenta illinendo; quæ qualia sint, & quæ sit vtendi ratio, suprà docuimus: eaq; iterabimus assiduè. Mox insensiles procurabimus irrigatione, fotu, illitione, emplastris actu calidis, semper vim eorũ intendẽdo; quo magis tum corpus vniuersum, tum præcipuè caput vacuatum nouerimus: & adhuc passio non mitescat. Fotus verò, & irrigationes acerrimæ erunt, vt ex acerrimo lixiuio incoquantur, quæ rubificantia dicuntur. Illitus verò fient ex oleo costino, cui etiam euphorbium recens, & ceræ parum sit adiectum. Quæ omnia & spinæ quoque sunt applicanda. Postremò verò, & sinapismi toto capiti applicentur pilis deraso. Huius generis est cãdens ferrum; quod eovsq; capiti, non toti inquam, sed sat est syncipiti admoueatur; vt capilli comburantur: vnde conijcere possimus multam calidi vim in caput penetrasse. Hæc enim sopitum calorem innatum excitant: materiam coactam eliquant, fluere faciunt, & euaporant, & siccant.

Quæ etiam potantur, aut odoramenta huius sint generis, qualia & in lethargo diximus. Anacardinum inquam, & theriaca vetus, & mithridatum. Cum verò iam æger apertè conualescit, remittenda est hæc materia, non tamen scopi dimittendi: sed malam intemperiem derelictam diu persequi oportet, remedijs tum medicamenti naturam habentibus, tum quæ ex quotidiano victu desumi queũt: de quibus mox dicemus.

Victus ratio quo ad cætera capita, eadem esto, quæ & lethargo: solùm in cibo euariabit: quoniam cibo prorsus abstinemus, donec morbus se remiserit. Quòd si ex his sit, quos facturos recidiuam suspicamur, & ita in longius spacium protrahi; tantillum in remissionibus dabimus, quantum sufficere æger possit ad integram, & veram conualescentiam. Quòd si rursus recidat; itidem erit in abstinentia seruandus. Potus verò, aliquando potius medicamenti, quàm alimenti gratia exhibetur oximel, aut mulsa, in quibus aromata incocta sint, vt suprà descripsimus: & diu à vino abstinere cogemus: vel id exiguum, & austerum propinabimus.

De Paralysi. Cap. X.

Quòd verò ad apoplexiam sæpe succedere Paralysis solet, hinc opportunè de ea statim agemus. Adde quòd affines admodum sunt morbi, si symptomata spectemus, quòd vtrobique sensum

ſenſum, & motum auferri videmus; ibi quidem in vniuerſo corpore, pectore excepto; hîc verò in vna, vel plurib. partibus. Mirũ igitur ni & remedia affinia ſint. Dixi plerunq;, Galenum ſequutus, primò de Symptomatũ cauſis. Neq; enim disiungens illa oratio Raſes eſt admittenda, Quòd aut apoplexia interficit, aut in paralyſim tranſit. Sunt enim & quæ neutro modo eueniant, vt non rarò vidimus. Eſt autem Paralyſis, non vt quidam ſtultè dicunt, partis læſio, ſed à verbo παραλύω deductum, nomen, quod diſſoluo, vel reſoluo ſignificat. Acceptum ſanè vocabulum à motu abolito. Vt enim quæ mouentur rigida ſunt, & intenta, ita diſſoluta, vel reſoluta videntur, cum moueri nequeunt. Et quidem prius quàm id ægri aduertant, riſu digna res eſſe ijs videtur. Mirantur enim, ſi vti conſueuerant, ad voluntatis imperium motus non ſuccedat; ac verò quaſi re aliqua retinente, aut graui quopiam pondere detenti impediantur. Nomen igitur à motus læſione eſt acceptum, ideo tertio de Loc Galenus inquit, propriè reſolutos dici, quibus motus aliqua parte perit, quibus verò ſenſus, non eo nomine dici ſolere. Attamen ſi placet, & hos quoq; reſolutos dicere permittimus.

Partes autem, quæ ad oculum affici videntur, aliàs aliæ exiſtunt. Aliquando enim ſub facie partes affectæ ſunt, quando & proximus eſt apoplexiæ affectus: & neceſſe eſt reſpirationis defectu hos perire. Accidit autem ijs, quo crucientur magis, vt principes facultates vel illæſas, vel non adeò læſas habeant. Similiter & ſenſus omnes, qui in capite, non tamen loquuntur, ob cauſam, quã dicemus. Rurſus aliquando dimidium corpus affectum eſt, dextrum, vel ſiniſtrũ, non aliter ac ſi à capite ad plantam pedis, linea diuideres. Viuunt quidem hi, ſed ægrè, neq; diu, niſi malum cedat. Nonnunquam crura ambo reſoluta ſunt, nunc vnum. Sic & de brachijs. Aliquando faciei partium aliqua, vt maxillarum muſculi, nunc lingua ſola afficitur, nunc oculorum alter, nunc ſenſus auditus perit, nunc olfactus. Fit etiam nonnunquam vt motus pereat, ſeruetur verò ſenſus: non nunquam contrà euenit, vt ſenſu pereunte, motus ſeruetur: ſæpe vtrunque perit vnà: quod etiam difficilem quæſtionem habet.

Quoniam verò ſæpius membra ipſa nullo proprio affectu tenentur: attamen actiones ſibi peculiares non edunt: ideo quęrendum ſtatim venit, quæ ſint affectæ partes, ad quarum paſsiones per conſenſum iſtæ quoque lædantur. Id enim contingere in animalibus actionibus dixit Galenus primo de Loc. vltimo. Et nos ſuprà monſtrauimus quomodo id fieret. Dicendum igitur animales actiones deperdi, id eſt ſenſum & motum, ſeu cerebrum afficiatur, ſeu ſpina-

lis medulla, seu neruus, seu membrum, cui moueri, & sentire conuenit, vt musculi, & membranæ. In parte verò, vt quia ob grandem aliquam intemperiem frigidam, inepta est sensui & motui, vt musculi non amplius idoneum sint instrumentum, vt in Gangrenis mortificato calore innato, aut vehementi externo frigore, aut medicamento, quod stuporem inferat. Quòd si nihil horum adsit, signum est ad alia pertinere. Num igitur ad neruos, an ad medullam, an ad cerebrum, hac methodo distingues. Distinguere verò exactissimè est operæprecium, aliàs nihil prorsus proficies, nisi affectam primariò partem noueris. Stultè enim faciunt, qui ad resoluta membra operam ponunt, origine ignorata. Considerabis igitur, num omnes partes sint resolutæ, an incolumis sit inspiratio: Artus verò omnes sensu, & motu priuentur: an potius vnum membrum solùm, vt brachium, aut crus, aut lingua. Nam si vt prioribus exemplis visitur, multa sint membra, quæ eo affectu communicent, signum est commune aliquod principiũ affici, à quouis motrix, vt sensitiua influebat. in primò quidem cerebrum, in secundo spinalis medulla. Illud enim vniuersale omnium principium, hæc omnium partium, quæ sub cerebro sunt. Quoniam verò spinalis medulla extensa est per omne dorsum ab occipite, ideo adhuc quærendum, quænam ipsius pars afficiatur.

Hîc verò dissectiones probè callere oportet, & scire à qua natura vertebra spinæ, quæq; pars neruos suscipiat. Si igitur respiratio superstes est, reliquis omnib. partib. affectis, signũ est paulò post sui initium, id est, in collo ipso esse affectum. Sic cui crura solùm resoluta sunt, vitium in postremis vertebris accidit, qualem duos vidi, ex ictu cum in terram impegissent, fuisse affectos. Quòd si solùm brachium, aut crus patitur, itidem in communi aliquo principio læsionem esse monstratur, non quidem spinam, quoniam ad omnes infernas partes malum attineret: sed circa neruorum originem, qui ad crus tendunt, priusquàm scilicet in partes diducantur. Nam si in altera diuisionum sit malum, haud quidem membrum totum, sed aliqua eius pars afficitur, altera manente illæsa. Vbi verò vi ipso communi caudice, necessariò totum afficitur. Facilè ergo per anathomen erit discernere affectam primariò sedem, in paralysi.

Iam igitur quæ sint partes affectæ primariò monstrauimus, primò sub disiunctione: postea quomodo discernerẽtur methodo tradidimus. Superest vt videamus, qui nam affectus sint, quorum ratione paralysis euenit. Ac primùm diximus partis intemperiem esse, quando etiam proprio affectu affici dicetur, alios verò, ad neruos vel medullam pertinere. Sunt autem in genere omnes, quibus

afficiun-

afficiuntur, vt non sint idonea instrumenta ad vim animalem deferendam. Hanc suprà luci ex Galeno assimilabamus: neruos verò, & medullam medio, id est aeri vel aquę. Vt igitur, si aer nubiliosus fiat vel quauis alia ratione obtenebretur; si aqua cænosa, non possunt admittere, & in vlteriores medij partes solis lucem deferre: non secus sanè, & hîc euenit, vt exposuimus, seu comprimantur, seu coarctentur in loco, vbi siti sunt; seu obstruantur, seu grandem intemperiem patiantur, vt frigidam, aut simul & humidam; seu corrumpantur, vt in phlegmone; seu abscindantur. In summa affectus neruorum, & medullæ, aut illis officiunt, vt similares partes sunt, vt intemperies, vel vt instrumenta, vt coarctatio, obstructio, vel communes vtriq;, vt diuisio.

Ex his igitur iam naturam resolutionis morbi vestigabimus. Nec enim vnus affectus statui potest, vt neq; si de iocinoris dolore differeres. Quomodo enim vnus est morbus, qui ab intemperie calida, & frigida, & solutione continui fieri potest? ita hîc communem aliquem affectum non possumus inuenire: sed disiungere oportet, & seorsum intemperiem, seorsum coarctationem & obstructioné definire. Quòd si communem quandam rationem afferre velis, dices Paralysim esse vel intemperiem, vel obstructionem, vel coarctationem, vel diuisionem alicuius principij, à quo animalis facultas producitur.

Quòd verò ex vnoquoque affectuum horum sequatur symptoma, illud in sensu & motu, manifestè experientia monstrat. Exorto enim scyrrhoso tumore circa eam originem, vel phlegmone, statim coarctatione sensus, & motus perit. Sic si vinculo excipias, vel manu comprimas, vt in cubitis patet, vel situ contorto detineas, statim torpet: quæ leuis paralysis est. quod verò ex obstructione, nemo dubitat.

Causæ verò sigillatim dicendæ. Nam intemperiei causæ frigidæ, & humidæ, notæ sunt ex lib. de Morb. differentijs: vt humores influentes, aut caloris innati destructio; vt in Gangrena accidit; vel externum frigus: vel medicamenta. Causæ solutionis vnitatis sunt notæ, scilicet externæ: Causæ verò obstructionis sunt humores, qui influunt in medullam, vel neruos, plerunq; pituita, vel qui tempore aggenerantur: quoniam ex sanguine pituitoso nerui aluntur. Influxus verò causę; aut natura transmittens in crisibus: quales euenit ex apoplexia; aut defluentem à cerebro pleno pituita excitans: sicut etiam tentani eueniunt; & qualem in febre maligna nos vidimus; aut vini dissoluentis potus. Causæ verò coarctationis vel externæ sunt, vt vincula, pondera, manus ipsę, distorctio confertim fa Causæ paralysis.

cta: vt in spinæ luxatione, quinto de Loc. & de Articulis. Nam si sensim fiat, vt in gibbis, sensim etiam cedit medulla, nec contorquetur. ideo nihil mali euenit in sensu, & motu. Interna etiam comprimentia, vt manus, sunt tumores omnes duri circa ea principia facti.

Circa hæc verò dubitatur, primùm, quî fieri posit, vt aliquando altera pars afficiatur solùm, altera manēte incolumi. Etenim quòd in alijs partibus hoc eueniat, quas binas natura effecit, nullus miretur, vt in oculis & auribus, vel etiam in his, quæ licet continua sint aliqua ex parte, magna tamen sui parte sunt diuisa intermedio velamine aliquo, vt anterius cerebrum, & posterius dextrum, & sinistrum. Vnde aliquando hemicraneæ dolor fit, sic & pulmonis morbus. At in spinali medulla, nulla prorsus diuisio apparet, vnde affecta dextra, posit sinistra seruari incolumis, eius ratione. Sed necessarium videtur, vt omnes simul partes affectum participent. Hoc motus Auicenna, ausus est contra ipsum sensum pugnare, & eo dimisso potius imaginationem sequi. Dicit enim, medullam diuisam esse perinde, ac cerebrum, & separatas etiam duas eius partes velamine quodam, qui tamen præ tenuitate lateat. Quoniam verò non apparebat prorsus, conatur argumento monstrare, id esse necessarium. Nam si, inquit, ex duabus cerebri partibus, quæ diuisæ sunt, medulla hæc componitur; quomodo fieri poterit, quin & ipsa diuisa, eadem ratione dextram sui partem, ex dextra cerebri deducat, ex sinistra, sinistram? Ego diu cum vitulorum, vel arietum medullam esitarem, id intuitus, nunquam eam diuisionem conspexi; sed nec in cruda adhuc. Non debet ergo quis argumentis coactus falsa statuere; sed potius naturam mirari, quæ in continuis quoq; corporibus alteram partem sine altera potest afficere. Quod verò ipse assumit, falsum est. Etenim cerebrum priusquam in medullam desinat, sua inquam basi vnum fit corpus: & cerebellum, ex quo ea oritur, quis non videt vnum esse corpus? nec vllam prorsus diuisionē habere? Sciendum itaq; ex 6. Epid. 2. abscessus fieri semper per rectum, ita vt affecta dextra cerebri parte, ni dextram corporis partem materia decumbat; sinistra verò, in sinistram. Quòd si dicas, in apoplexia omnes ventres, & corpus cerebri afficiuntur.

Respondeo: Quanuis ambæ partes, nihil tamen prohibet plus affici vnam, quàm alteram; vel esse solùm vnam; licet ventriculus communis sit ambabus. Credendum quoque est abscessum non fieri totius humoris ad medullam; sed ad hanc, partim per posterius cerebrum; partim verò per venas, & arterias ad inferna trudi; partim per capitis partes, venas scilicet & musculos, & cutem. Vnde

sæpe,

sæpe,& insensilis cutis redditur,& maxillæ resoluuntur. Itaq; materiam illam potest aliquando regere sagax natura: vt solùm alteram partem afficiat obstruendo; cui parti nerui quoq;, qui in directum siti sunt, respondent.

Altera dubitatio est, Quî fieri posit, vt sensu deperdito, aliquando motus seruetur. Quòd enim contrà eueniat, vt abolito motu, sensus in parte seruetur, nihil est mirum, vt Galenus ait: quoniam sensus minore negocio fit, cum in pasione, & susceptione consistat, vt dixit Arist. At mouere actio est: plurima ergo hic facultate est opus. Sæpe ergo id eueniet, cum exigua vis accedit. Sed quid de altero? Respondet Galenus, In his partibus, quæ per diuersos neruos habent sensum & motum, nihil est mirum; vbi vno affecto, alter nõ afficiatur, vt in lingua euenit: amittit enim aliquando motum, vt vitium sit in aliquo neruo: non sensum, qui sibi ab alio prouenit. Sic & in oculis euenit. Sed vbi idem neruus vtranq; vim præbet, quid dicemus? Respondeo, de vno membro verum esse, sed de vna parte signata fieri non posse. Exemplum, cum cutis, quæ sentit, aliunde sensum habet, à neruo scilicet, qui malè est affectus, aliunde verò totum membrum mouetur. Non ergo est, vt tu supponis. Quòd si musculum nudaueris, nunquam hoc fieri poterit, vt seruato eius motu, sensus pereat. Hæc primo de Symptomatum causis. & quarto de Loc. affec.

Vbi igitur membrum paralysim pati noueris: & vtrum proprio affectu, an per consensum patiatur, distinxeris; distinguendus postea est affectus, cum sint plurimi: alij, scilicet ad intemperiem pertinentes; alij ad obstructionem; alij ad continui diuisionem. Qui ergo intemperies sunt, propria signa habent frigidæ intemperiei: vt si ad tactum veniamus, pars propriè affecta frigida sentitur: & causæ omnes præcedentes id monstrare possunt, tum externæ, vt frigus, frigida medicamenta, frigidi cibi. Sed & internæ, id est, considerando humores, qui in eo corpore abundant, præcipuè verò in cerebro: & ętatem, & naturale robur neruorum; quod ex crebris eorum morbis cognoscitur; vel omnino neruosarum partium, vt articulorum doloribus, tremoribus, &c.

Esse verò obstructionem morbum, declarat primùm subitus euentus post solem, aut vini potum, aut febrem prauam; aut apoplexiam. Nam intemperies subita non est. deinde quòd nulla alia causa adest, vel externa, vel interna, quæ coarctationem, vel astrictionem in neruo, vel medulla fecerit, vt nec plaga, vel casus, Vnde tumor quidam durus sit ortus, non luxatio vertebrarum. Quando etiam ex solutione continui clara habet signa ex præcedentibus,

quòd vel prauus abſceſſus putris euenit, vel cum chirurgus incide-ret, neruus eſt diſciſſus, vel quis in medulla vulnus accepit.

Prognoſticum de patiente paralyſim.

Signa verò mortis ſolùm in ea apparēt, in qua reſpiratio vitiatur multum; ſed de alijs, quædam curari non poteſt, vt quæ in ſene, & natura frigido, vt neque catharri, nec alij morbi frigidi curantur. Contrà, ex morbis minus periculoſi ſunt, qui ætati conueniunt. Reſpondeo, minus periculoſi, ſed incurabiles. Vel dic, quantum ſit ex ætate indicante, minus periculi monſtrant: at ſi valde ſenes ſint, aliud ipſis aduenit periculum ex calore deperdito, quo mediante natura morbos concoquit. Rurſus quæ ex luxatione ſubitò orta, ni citò ſuccurratur, eſt inſanabilis; vbi ſcilicet tumor ex materia fluente eſt obortus. Contrà, ſalubris ea eſt, quę non prorſus abſtulit; quæ in vigente adhuc ætate contigit; & vbi membra temporis diuturnitate non adeò extenuata ſunt. Significat enim calorem adhuc ad membrum peruenire, quo concoquat, & aſsimilet: quanuis ratio, cur gracileſcunt ex 6. Epid. ſit, quoniam quieſcunt, vnde & refrigerantur, quoniam motus eſt, qui calorem attrahit copioſum. & eandem ſententiam habet ſecundò de fracturis. Cum verò iam incipit ſentire, magna ſalutis eſt ſpes. Id enim prius, quàm motus reſtituitur.

Iudiciū luxationum.

De iudicio luxationum, hæc ex libro tertio de Articulis habentur. Quibus caſu ex alto loco præcipiti, gibba fit ſpina, raro dirigitur; ob naturam, inquit Galenus, eorum oſsium, quibus fit, vt reductio ſit difficilis; rarò tamen, & nō niſi magno adueniente caſu, euenire ait; quòd chartilagine inhęreant; ſed in anteriorem partem ſi fiat, eſt incurabilis. Quòd verò ex caſu euenire videmus, ſæpe eſt; quoniam percuſsis & attritis circa oſſa ligamentis, & neruoſis partibus, inflammatio primùm fit; mox non rectè curata, in durum tumorem ttanſit; qui eſt inſanabilis. Ego mulierem meretricem ſic affectam vidi, & dolentem circa vertebram læſam: Erat verò in muliere prominens vna. Alios vidi ſine dolore læſos; duo diu ſuperuixere. Cum verò ſecum alias trahit, & gibbum non ad angulum, ſed velut ſemicirculum fit, vt intortæ ſunt vertebræ multæ, non læditur medulla, vt neq; in gibbis: propter eandem cauſam.

Igitur ad curationem excluſis his affectibus, qui curationem nō recipiunt, qualis eſt ad interna luxatio, & quæ diuiſio eſt ſpinæ, vel nerui, ad aliorum curationem accedendum. Primùm verò ſimplex intemperies occurrit, quam externa cauſa intulit. hæc ſanè contrarijs curatur, id eſt, calorem inducentibus. Eiuſmodi erat is, qui iter faciens, madidum diu pallium collo obuolutum geſtauit; Vnde manuum muſculi reſolui cœperunt. Laurinum igitur his confert, &

quod

quod ex lateribus, & aqua vitæ, & ex costo, quibus partem inungere optimum erit; vt si communicata sit intemperies, tollatur: communicatur autẽ neruis partis à communi illi principio. Sic & à multi humidi occursu, siccantibus curabitur, vt sulphureis balneis.

Quæ verò materiam adiunctam habet, insuper & obstruet, ac duplici affectu nocebit, sed qui curationem eandem exigant. Est autem pituita, vel pituitosus sanguis. Nam necessariò crassa est materia, & viscida, vt capite de Spasmo monstrabimus. Hæc ergo materia vel ad neruos defluxit aliunde repente, vel sensim in illis aceruata est. Quòd si repente defluxit, vel à natura, crisis ratione id factum est, vt in apoplexia, & quibusdam febribus, quæ per abscessus finiũtur: vel ex liquefaciente, & fundente causa externa, seu interna; seu omnino erit procatarctica, atq; hæ concausæ, vel occasiones. Si ergo ex crisi fiat, inhibendus influxus non est, sed iuuandus: non alia sanè ratione, quàm, vt iubet Hippo. 2. primi Epid. iuuari à medico abscessus. Vbi locus ille corrigendus est, quo interpres hallucinatur in fine commenti. Si ad aluum excrementa ferantur, clystere iuuabis; si ad renes, ijs quę vrinam ducunt: si verò, inquit, ad colum, acribus medicamentis illud calfacies. Est enim equiuocatio in verbo κῶλον, quod alia scriptura per ω, artus significat. Sic ergo iubet nos iuuare naturam, vt scilicet maximum malum euitemus: cum materia ad ignobiliora loca, & longinqua trahetur. Cur ergo Auic. his vtitur, non video: & tamen eum sequitur Gradius, ijs inquam, quæ reprimant materiam. Sed distinguere oportuit: si influat alia occasione, non ex crisi; tunc enim optimum erit ijs vti; sed quæ cum leui calfactione astringant, vt cyperus, stœchas, & nuces cupressi, & myrtus, & gariophyla. Antea tamen vacuationem vniuersali erat vtendum, scilicet vena secta, & purgatione valida, cum malum fit; nempe ad scopum vacuationis & reuulsionis: qualis verò ea sit, suprà de sopore, & apoplexia diximus. Si verò sensim genita sit, & iam facta, alia ratione procedendum erit. Nec enim venam secare conueniet, neq; forti purgante vti statim. Nec enim reuulsorijs auxilijs egemus in facto malo, & tardissimi motus, neq; sanguinem mittere in morbo adeò diuturno: in quo, licet alia ratione multiplici, abũdantiam minuere, & corpus siccare. Præterea ne vires destruamus, quibus validis in morbo diuturno indigemus. Purgatio verò in iam firmata materia, & suaptè natura cruda, quid poterit efficere? Ideo sat erit ad plenitudinem minuendam, & non nihil reuellendam à partibus, leuibus statim purgationibus vti. Sunt autem leues purgationes, quæ per clysmata mediocria, vel leues potiones. Clysmata ergo ex herbis sunto calidis, siccisq;, & his liliaceum oleum, vel

laurinum inijciatur, & hieræ compositæ. Potio verò agaricus. è cõpositis verò, hiera ex agarico, adiecto castoreo.

Succedet mox tertius scopus partis vacuandæ: Quòd si malum apoplexiæ successerit, iam diximus, quæ in conualescentib. ab apoplexia, & in paralysim permutatis, sint agenda; his ergo vtendum. Quòd ad caput attinet, quod prima causa extitit, ipsum vndequaq; siccando, prius quàm ad paralysis curam accedas. Si verò sensim sit facta; curam partis post ea, quæ dicta sunt, aggredieris. Hic verò omnibus communis est scopus, partis vacuatio primo affectæ: mox derelictam intemperiem tollere. Si ergo pars quoq; ad oculum affecta, morbum pati videtur, huic quoque vnà prospiciemus. Vacuamus verò sensibili vacuatione prius præparato corpore, atque humore, iuxta Hippo. præscriptum. Id verò fiet ijs, quæ incidát, & extenuent, & calfaciant. Oximel ergo scylliticum, sed rosaceo melle temperatum, proderit: vel decoctio stœchadis, & saluiæ, & chamepityos, & betonicæ. Omnes enim hæ vires, quas exigimus, his insunt.

Decoctio incidẽs extenuans, & calfaciens.

Postquam corpus paraueris, purgare oportet, fortibus medicamentis quidem, sed non adeò, vt in apoplexia, sed iteratis vicibus. Sunt qui in huiusmodi capitis affectibus medicamentis exhibendis horam à cæna eligant: rationem non adhibent, sed solum authoritate Auic. innixi. Videtur quoq; Paulus ijs vti, cum 1. lib. cap. 1. ait, ponticam radicem tum ante, tum post cibum exhiberi, & ita medicamenta à cibo propinat. Ac libro septimo ait, Ieiunis, & vbi probè cibus in ventre est concoctus, esse exhibenda. & capite de aloe, corrumpere cibum ait, si à cibo sumatur. Sed si rei naturam consideremus, si leuia sunt medicamenta, & quæ solum molliendæ aluo idonea sint, ea etiam in ptisana incoquit Galenus xiij. Metho. Polipodium, Vrticam, Mercurialem, Cnicum. Ea verò, quæ valentiorem vim purgandi haberent, non admisceret. Quæstio ergo duo habet capita, primùm, num sint vesperi cum æger it dormitum exhibenda ad caput vacuandum, & superiores partes: secundò, nunquid post cænam, vel ieiunis. Galenus xiij. Metho. pilulas vesperi exhibet in eo, cuius lingua intumuerat; & forte hac causa posset plus proficere, quòd in somno diutius retinentur medicamenta, vt etiam omnes excretiones, sudore excepto, retinentur. Vnde medicamentum non citò deijcitur, & diu si operetur trahendo, à remotis quoq; partibus attrahere poterit. Sed cum primùm mouere incipit, à somno est euigilandum. Num verò à cæna? Dico quòd nunquam: nam forte, cibũ corrumpet: leue verò nihil efficiet; ideo melius est prius cibo ventrẽ esse vacuum. Quòd si leniens sit, aut paulò ante cibum, aut

Excrementa omnia in somno retinentur præter sudorem

Medicamẽta nunquã debẽt à cæna propinari.

aut in ipso primo cibo datus, opus suum probè efficiet; sic casſiam damus, & pruna, & huiusmodi. Quòd si Hippo. à forti medicamento ptisanam exhibet: in primis exigua quantitate est, & vt quoddam detersiuum medicamenti, non vt cibet; ac mulsam, vel tale aliquid ad ablutionem sumeret. Hoc tamen non facit, quòd melius operari putet: aut quòd inde regula sumenda sit, vt cibis medicamenta misceamus. A purgatione verò tentandum vniuersum corpus, si pituita abundare videatur; aut caput, si in eo maximè abundat: vel vtrunque siccare. Id fiet quod ad totum attinet, primùm potionibus, vt anacardina confectione, theriacæ, & præ omnibus sale theriaco dicto, quod hoc casu mirificè valeret. Eius compositio à Paulo, & omnibus antiquis habetur. Oleis quoq; spinam omnem, & occiput inungere; præcipuè neruorum propagines membri læsi. Quibus etiã omnium est epithema adhibere cerati forma, vt ex chalbano, & gummi elemi, quæ est antiquorum cedria. Inest enim vis siccandi absque eo, quòd materias indurent. Membrum verò totum, siquidem mane nõnihil ad id fluxisse conieceris, laurino, vel vulpino est inungendum. Consueuimus etiam siccas stuphas ex lateribus conficere, iniectis herbis calidis, & forti vino, vel aqua vitæ: similiter & membra dimouere, & confricare.

Postremum auxiliorum, & quo multi opem inuenere, sunt embrochæ ex sponte natis aquis, sulphuris naturam habentibus. Qua verò ratione eas exhibeas, audietis: Etenim his vero modo materiam vacuare valemus, & tollere intemperiem iam contractam: quę sanè non modò in hoc morbo, sed & in conuulsione, & tremore, & stupore, & in quibus metus est, ne apoplexia recidiuam faciat, vtilli me vtimur. Embrochę ex sponte natis aquis

Primùm igitur Ver expectandum est, quo tempore, & fortiores purgationes adhibebimus, vt ad balnea hominem paremus, neque vniuersum modò corpus, sed priuatim caput multis diebus purgabimus; nares medicamentis proritando: & per os pituitam ducendo. Ab his in balneum mittendi, eius aquæ, quæ sulphuris naturam habet; qualis in nostra hac regione, & in agro Lucensi, & Volaterano, & Bononiensi inuenitur. Balnei verò ratio sic erit: mane ingrediatur, ac dum ibi moram trahit, partis lęsæ dimoueantur, & cum per horæ spacium permanserit, mox pannis inuolutum, & siccatum in lectulum deferant, atq; ibi opertus sudet, donec sese calor remiserit: mox leui cibo alatur: mox vesperi probè confecto iam cibo, etiam circa primas venas, rursus ingrediatur, idque per dies decem, quod minimum est, procurata semper alui deiectione, quę facilè ab hoc auxilio sistitur. Modus balneãdi qualis.

Aquarum qualitas unde habeatur.

Qualitas verò aquarum, vt & aliorum simplicium medicamentorum, ex odore primùm & sapore, & colore habetur. Nam ex tactu non nisi de qualitate, quæ actu, iudicare possumus. Sulphuris igitur odor facilè sentitur, sapor non facilè. Neq; enim saporem euidentem habet, vt nitrum & alumen. Color verò in ipsa non sentitur, sed in adnatis petris sæpe sulphuris ramenta adhærent. Quòd si salsa sit, vel amara qualitate, optima erit. Ab indigenis præterea loci de viribus nonnihil experientia erit compertum; vt quòd epota asthmata curet, & hydropicos, & iuncturarum dolores, & frigidas membrorum intemperaturas: seu ebibita, seu affusa. Hac igitur audacter vti poterimus, quanuis nullum antea vsum vidissemus. Hac ratione, & in cœno membra resoluta obuoluimus, quod sedimentum eiusmodi aquæ est, vt in agro Patauino vtuntur.

Post hæc ad Embrochas accedant, quibus primùm ex alto sinciput irrigandum est, manè, & vesperi, atq; æger itidem optima ratione victus vti debet. Tempus verò circiter hora fit; quod sanè per dies viginti agere conuenit: postea manè ad sinciput, vesperi ad occiput: demum ad solum occiput accedendum; cauendo semper aeris intemperantias.

De Stupore. Cap. XI.

NVnc de stupore agendum. Causæ quæ paralysim faciunt, 4. de Causis symptomatũ eędem, & stuporẽ faciunt. Et est sensus diminutus ab ijs ipsis sanè affectibus eueniens. Vt enim nerui astrictio paralysim facit, ita & leuis astrictio Stuporem: vt cũ diu super duro corpore sedemus; aut crus distortum diu componamus. Euenit enim vt torpeat; sic & frigidum externum facit: seu aer seu etiam aqua occurrat; sic & obstructio leuior. Itaque & quibus paralysis periculum imminet, multo antea tempore stupore occupantur. Igitur symptoma, ait Galenus, eiusdem generis est: differt affectus magnitudine. sic & curationem statuere oportet, quæ eosdem quidem curatiuos scopos habeat, qui in paralysi erant, seu intemperies sit, seu obstructio, insuper, seu astrictio. Nam à solutione vnitatis non fit. Remedia verò & minus negocij habebunt, vt & causæ, & curatio facilius procedet.

De

De Tremore. Cap. XII.

TREmoris verò affectus motricis facultatis est symptoma. quòd scilicet debiliter agat, & est actio imminuta. Est enim quædam velut pugna ipsius, & naturalis membri motus. Hoc enim qua graue est, eleuari contrà naturam est, quando non sine vi contra ipsius impetum ferri potest sursum; sed cum valemus, satis eius inclinationi obsistere possumus, non secus ac, qui onus leue facilè gestant. Qui si imbecilli fiant, aut grauiore onere premantur, debilius agent. Si verò extremè succumbent, & immoti manebunt: ita & in membris nostris euenit. Nec enim cum bene valent, tremulus motus euenit, neque cum prorsus resoluta sunt, & nihil mouentur: sed cum debiliter agunt. Ita vt moueant quidem nonnihil, sed partim etiam à grauitate resistente membrorum vincantur. Est enim veluti pugna quædam attollentis virtutis, & deprimentis grauitatis, succedentibus sibi inuicem contrarijs his motibus, sursum, & deorsum; sed adeò exiguis, & confertis, vt vix sensu dijudicari possint.

Tremor est symptoma motricis facultatis.

Talis quoque affectio est, quæ arterijs euenit in formicante pulsu; vtrunque verò motricis accidit multa debilitate: sed diuersa est facultas, quæ mouet: hic cordis, ibi cerebri. Quòd verò ex mouentis debilitate eueniat, & eius sit symptoma, apparet, si cõsideres corpora, quibus Tremor euenit. Tremunt enim senes, & ebrij, & valde refrigerati; & omnino, qui ex aliquo accidente membra debilia habent, cum ea sursum mouere volunt, vt in resolutis ex morbo. Similiter & qui multum repleti sunt; grauante plenitudine, vel si pituita multa in cerebro, vel neruorum origine collecta sit; seu solum intemperiem frigidam faciat, seu etiam obstruat: ita vt exigua facultas ad membra perueniat.

Sed quis est affectus morbi? Respondetur, varius, vt in paralysi, ita vt causæ paralysis sola magnitudine differentes, hunc morbum excitare videantur. Etenim non sat est dicere, causam esse imbecillam facultatem, vt Galenus aliquando videtur dicere: sed necesse est, semper instrumenta aliqua esse affecta, vel cerebrum, cum propriè dicitur imbecilla: vel neruosum genus, quando non propriè dicitur imbecilla, sed in determinato membro: quoniã ad id multa nõ influit ex aliquo affectu. Etenim, vt Arist. inquit, si senex haberet oculũ iuuenis, videret vt iuuenis: sic de motrice facultate dicatur. quare semper instrumentũ aliquod afficitur. Neq; bene moderni distingũt aliquando vim animalem affici dicentes, aliquando instrumenta.

Contrà dices, si sit resolutio sanguinis & spirituum, quòd instrumentum afficitur? Respondeo, cerebrum, cordis consensu. Hoc autem oris ventris consensu aliquando. Sed quis affectus? Respondetur, frigida cerebri intemperies. Contrà, non est mutata. Respondetur, influens est mutata, quæ nihil minus exigitur ad actiones, id est hæc portio caloris innati. Vel dicitur, cauitates eius spiritu, & sanguine viduari, & ita morbum esse in cauitate. Dubitatur rursus, quis sit affectus, cum ex plenitudine grauante fit tremor, & cum ex vino? Respondeo, irrigato cerebro ac neruis, leuem fieri obstructionem. Spiritus alioqui animales caliginosi sunt & crasi, ac lux in eis semiextincta.

Quòd verò ad curam attinet: qui ex resolutione, instauratione corrigitur; qui ex vini potu in ebrijs, ebrietatem arcendo: vt suprà de dolore capitis diximus; qui ex plenitudine, eam minuẽdo, quantum aucta esse videtur, si vires ferunt. Qui verò ex obstructione, & intemperie ex pituita facta, medicamentis paralysis, vt dicit Rasis. aliqua parte, id est mitioribus, tum vacuationibus, tum omnibus, quæ extrinsecus applicantur, & quæ intro ad corpus siccandum sumuntur. Qui verò ex frigiditate senij, est incurabilis, & ad mortem comitatur.

De Conuulsione. Cap. XIII.

Spasmi, seu Conuulsionis nomen à symptomate est deductum: Græcum quidem à trahendo quòd σπᾶν dicunt. Latinum verò à soluendo vnitatem, cuius vnus modus conuulsio est, 3. Metho. Conuelli enim de partibus dicitur, quæ in longitudinem & latitudinem distendi possunt: idq; violenter adeò, vt rumpi periclitentur. Cum ergo in hoc malo duo hæc symptomata adsint, & contrahantur partes, & breuiores fiant, & vt soluatur earũ vnitas: hinc alij spasmum, alij conuulsionem dixere. Nam si verbum verbo reddere velis, spasmum contractionem dices. Duobus ergo symptomatis describitur optimè, contractione, & diuulsione. Ex eo nanq; quòd nerui & tendines breuiores fiunt, necesse est contrahi membra, quibus adligantur, & ipsos neruos vehementius distendi, nõ secus ac Lyræ funes seu fides cum ambiente aere madescunt, breuiores fiunt, & corpora contrahunt his alligata, & distenduntur eadem ratione, adeò vt rumpi periclitentur.

Est ergo spasmus symptoma virtutis motiuæ: conuulsio verò morbum dicit, id est, vnitatis solutionem. Motus verò ille deprauatus est,

tus est, quoniam secundum voluntatem non est. Vt enim musculi, si secundum electionem moueantur, se contrahunt versus sua initia: quæ etiam musculorum capita vocantur: contrahuntur autem sui medio, quod ventrem vocant: Vnde & tendinem tandem contrahunt, à quo os, vel membrum aliud contrahitur. Eius ergo caput est, qua parte neruus inseritur, & vnà cum ligamento coit, à qua duplici substantia tendo fit, in quem musculus desinit: qui etiam sensu nerui ratione participat; qua verò ligamento intexitur, sensus est expers. Vnde & longè minore sensu est præditum, quàm ipse neruus, 5. Metho. Sic quoque cum non ex voluntate, sed morbosa causa authore, membrum contrahitur. Et in hoc similis est conuulsio motui secundum naturam: dissimilis verò quatenus non musculus sese in ventrem contrahit, sed à neruo trahitur præter naturam & sine voluntate, primo de Motu muscul. & lib. de Tremore ad finem. Cum verò pars, quæ mouetur tum antrorsum, tum retrorsum moueri potest, vt manus, & vniuersum corpus, & solum caput: fit vt aliquando alteri musculi. qui antrorsum mouebant, conuellantur, & dicitur, emprostotonos, id est, ad anteriora distentio. Fit rursus, vt qui ad posteriora: & dicitur Opistotonos, id est, retro tensio: Nonnunquam & vtrinque distentio fit, quem Tetanum appellant. Latini rigidas partes, seu simpliciter distentas dicunt: quod sanè & in omnibus sub facie partibus euenire potest, & aliquando priuatim in membro aliquo. Priores, simpliciter tetano affectos dicere solebant; quos etiam intra quartam perire aiebant. Nostrates pulcherrimè appellant, Mal del tiro. Sic igitur symptoma motus euenit.

Emprostotonos. Opistotonos. Tetanus.

Solutio verò continui accidit, quoniam non solùm eousq; membrum contrahitur, quò & secundum naturam voluntas mouet, sed multò valentius, & plurimum. Vnde & capita musculi, & tendines diuelluntur. Etenim vidimus rigentes tendines colli adeò, & contractos, vt nulla vi per naturam, ne ad dimidium quidem contrahi possent. Sic alium, calcaneis vidi clunes attingere; quod quacunq; vi nunquam efficies. Hinc dolores acerbissimi fiunt, & citò vigilijs, & dolore corpus conficiunt, & ad syncopem primùm, mox mortem miserabilem ducunt. quarto Aphor. 49. Mouētur violentius quàm secundum naturam. Sed quî fit, inquies, vt non semper dolor adsit conuulsis membris? Etenim multos contractis cruribus cernimus nihil dolère. An altera de causa fit, vel quia sensim adeò hæc contractio fiat, vt dolorem non inferat: non secus ac ea, quæ sensim admodum continuum soluunt, aut alterant? Vel quia non trahunt membrum, vltra eam mensuram, ad quam etiam voluntariè traheretur,

ſed ibi ſiſtunt: vel tertio, quoniam tendo eſt materia defluxa, durus factus, & ſcirrhoſus, inſenſibilis eſt redditus. Nam & ſi enitaris contra membrum tendere, dolebunt admodum.

Mox videndum quæ ſint affectæ partes; & in ſumma neruoſum genus, cuius mouere eſt, hoc patitur. Patiuntur verò & muſculi, ſed neruis mediantibus. Nam ex nullo muſculorum proprio affectu conuulſio fiet, ſiue tumorem præter naturam patiantur, vel alia ratione inflentur; ſed ſolum ſi neruos paſsio attingat, vel ſolos vel ligamentis iunctos, vt muſculorum dicta capita, vel ipſos tendines ex his conflatos. Affectus verò quibus neruoſæ partes conuelluntur, non facilè eſt exponere. Sicubi enim Galenus varius eſt, & parum ſibi ſimilis, eſt hoc loco. Aliquando enim duabus morbi differentijs contentus eſt, quas refert Hippo. conunlſionem, dicens, repletione & inanitione fieri: & præter has tertiam cauſam ſe inueniſſe negat 8. Catatopus. Rurſus alibi ex frigiditate fieri ait, cum Hippo. quinto. Aphor. frigidum conuellere dicente, & xij. Metho. Præterea & aliàs fieri per aliarum partium conſenſus ait, 5. Aphor. primo. In hac igitur varietate, à rei natura ad affectus inueniendos procedere debemus.

Omnes igitur cauſæ, quibus nerui, vel in ſuam originem contrahi, vel breuiores effici poſſunt, hæ omnes conuulſionem facient. Primùm igitur à facilioribus inchoantes, de repletionis affectu agemus. Hæc ergo inde breuiores efficit, quòd eos replet, & tumeſcere facit, non ſecus ac funes & cytharæ chordæ: Multùm enim breuiores fiunt humore, adeò vt & rumpantur. Sed hîc ſtatim difficile oritur dubium. Nam quam rationem induces, ob quam humor ille potius ſpaſmum, quàm paralyſim efficiat? Si vtraque, paſsio neruorum eſt humore repletorum, vt diximus: Igitur Auic. difficultatem vidit, & ſic reſpondit, vt à nemine intelligatur: innuit tamen ſpaſmi materiam eſſe viſcidam, & craſſam, proinde inhærere impactam, nō diffundi: cōtrà verò in paralyſi, fundi, & veluti humectare neruum. Quod verò hæc ſit materia ſpaſmi, Galenus quoque teſtatur libro Aphor. 5. ad librum poſtremum vbi ait, Cōuulſionem fieri ex materia lentiſsima, craſsis ſuccis parti neruoſæ impactis. Et tertio Progno. Euenit conuulſio in copia crudi, & craſsi ſucci. Ego tamen non video, quomodo craſſa, & lenta materia, ſubitò, id eſt, citiſsimè in neruorum corpora, quæ ſolida ſunt imbibi poſsit. Nec id, quod Auic. dicit, conceſſo quòd hæc ſit materia, verum eſſe poteſt. Nam ſi vno loco impacta ſit, & non fuſa, non faciet ſpaſmum. Neque enim neruum breuiorem reddet, niſi aut totum, aut multam eius partem repleat, & inflet; quin potius eius initium obſtruet, & fiet paralyſis.

Hæc

Hæc ergo potius causa videtur contraria, scilicet vt in spasmo imbibita sit, in paralysi non ita: Et ita, quòd crassior materia paralysis sit, quàm spasmi. Quanuis Galenus quoque dicat, eam esse lentam, & crassam, vt in paralysi, neque diuersam materiam assignat: sed nec Auic. Quòd si tu concedere velis, materiam hîc quoque viscidam & crassam esse, necesse erit dicere, quòd à forti causa dissoluitur externa, vel interna; & extenuatur adeò, vt fluxilis, & fusa reddatur. Nihil tamen obstat quin tenuis quoque per vniuersum neruum fusa spasmum efficiat: cum præsertim conuulsionem ex vini potu sua humiditate fieri dicat, quæ planè tenuis est, 5. Aphor. & ibi Galen. præsertim si tenuis substantiæ sit vinum. Quendam ego vidi, qui cum humi dormiuisset sub dio, manè conuulsionibus acerbissimis captum in varijs membris. Fieri verò & à phlegmone Galenus ait, primo de Motu musc. & quinto de Causis symptomatū: cum partes neruosas occupat, xij. Metho. & in eandem causam reducitur: phlegmone enim morbus ex repletione est sanguinei humoris. Et hinc patet, quomodo à sanguine, vt à materia, possit fieri spasmus ex repletione; cum scilicet phlegmone euenit: Fieri etiam à flatibus tendentibus eas partes. Et nos aliquando vehementes dolores circa musculos sentimus, & conuelli partes quasdam: sed citò cessant ob tenuitatem materiæ.

Alius affectus siccatio est. Nam & ea causa neruosa corpora breuiora fiunt, vt chordæ, cum ad nimiam siccitatem ducuntur; vt in aquilonio statu, vel æstu forti, vel igni admotæ; quò fit, vt si tēsa sint, id est, vtrinque validis corporibus alligata, vt in cytharæ chordis euenit, & in neruis, & tendinibus, vt tum ea corpora retrahant: si cedunt, tum conuellantur, & soluatur continuum: adeò, vt quandoque rumpantur chordæ: æger verò ea conuulsione vehementer crucietur.

Causæ verò, à quibus talis siccitatis affectus producitur, sunt in primis febris ardentissimæ. Sic & phrenitide vehementi euenit, siccatis ardore cerebri membranis; & ita per consensum omnibus neruis affectis. Sequuntur etiam immodicas excretiones omnes, vt in choleræ morbo, in mensium profluuio, vel è naribus, vel vulnere. Similiter ad diuturnas vigilias: quoniā vehementer siccant. sic multa & vehemēs exercitatio. sic inedia, ex cauterijs temerè adhibitis, & rubificantib. Sic & medicamenta vehemēter purgantia, 5. Aphor. Fit & ex frigore vehementi, quod quasi gelu duret, & contrahat neruos, inquit Galen. xij. Metho. ad finem. & 4. Aphor. 49. & Progno. Vnde & 9. Metho. in frigidæ potu ait, quibusdam conuulsionem, & difficilem respirationem excitatam. Sic lib. de Consuetudine,

Inanitionis affectus causæ quæ sint.

Est & tertius affectus modus, cum cerebrum secum neruosum genus in consensum trahit. quod sanè bifariam accidit: vel quia cerebrum ipsum primariò est affectum, cætera verò per consensum afficiuntur: vel quia aliqua neruosarum partium primariò affecta, cerebrum priùmm in consensum trahit; mox ab ipso, conuulsionis affectus in vniuersum corpus deriuatur. Exemplum primi est epilepsia, aut phrenitis pituitosa; & omnino exiccati cerebri: inde enim conuulsiones toti corpori accidunt. Quòd si non in cerebro, sed in spina sit malum: vt inflammatio, solùm ad eas partes conuulsio pertinebit, quę à spina ortum suum ducunt. Exemplum secundi est, cum ex aliqua parte cerebrum per consensum læditur. Sunt autem eæ ventriculus maximè & vterus: vt experientia mõstrat. Nam de ventriculo sæpe videntur hi; quibus vitiosis succis est repletus corruptis, aut mala qualitate indicibili affectis: qualis est ferruginea bilis, pati conuulsiones has: signum, quòd statim ijs euomitis, sedatur symptoma. Similiter & vtero consentiens cerebrum conuulsiones facit, 6. de Loc. Et præcipuè videntur in virginibus, & viduis; quæ etiam sanato vtero, sanantur, vt sæpisimè nos experti sumus. De hac conuulsione per consensum, loquitur Galen. 5. Aphor. primo. & 12. Metho. ad finem. & 5. Aphor. 5. Ex quo etiam colligere est, melius sentire eos, qui vterum, cerebrum per neruos in consensum trahere dicunt, quanuis hoc reprehendat Galenus. Quòd verò neruis promptè consentiat cerebrum, nerui substãtia causa est, quę ex cerebri, & membranarum substantia constat, vt de Plac. dicit Galenus. Sed circa hæc dubitatur: Si tres affectus positi sunt, quomodo duos solum numerat Hipp. 6. Aphor. 39. Et Galen. 8. Catatopus tertiam causam repperisse non dicit? Respondetur, quæ per consensum est, affectum permanentem non facit, sed qui facilè exoluatur, vt puta qui aliunde dependeat. Rursus dubitatur, si Spasmus motus est similis motui secundum naturam musculorum, vt semper dicit Galenus, cur fit dolor? Etenim dolor exitus est à propria natura. Respondetur, Dolorem fieri, quoniam plus mouentur, & violentius, quàm eorum natura ferat, ideo & capita musculorum breuiora, & rigidiora sentiuntur, vnde & conuelluntur, & fit circa ea vnitatis solutio. Rursus queritur de conuulsione ex vulnere, ad quod genus pertineat. Respondetur, per consensum fieri, & hoc quando vulnus partem neruosam attingit, vt 5. Aphor. 2. dictum est. Modus autem declaratur, quo consentit cerebrum 6. Metho. quoniam scilicet inflammatio neruos attingit, vnde & putredo, & intemperies oritur, quæ per partium continuitatem cerebro etiam communicare potest malam qualitatem putredinis. Sed vt Galenus ait, quinto

Aphor.

Aph.2. Cum malum ipsum principiū attigerit; & deliria, & cōuulsiones fieri ait, vt & in lib. de Motu musc. 1. Cerebrum enim noxam sentiens inordinato motu mouetur ad excutiendum, quod noxam infert: ipsius verò affectui omnes aliæ partes neruosæ compatiuntur, vnde & malum, & consensus in orbem redit. Siue igitur materia sua acritudine lædat, siue venenosa qualitate, conuulsiones eadem ratione excitat. Quæstio etiam est, Num semper spasmus ab helleboro eius ratione sit. Et cum dico helleborum, fortia omnia pharmaca intelligo. Cui rei videtur Galenus satisfacere, negando vnum semper affectum esse, sed aliquando inanitionis, & siccitatis, cum nimia purgatio fuit; aliquando per consensum, cum os ventris à pharmaci qualitate, aut humorum, qui per pharmaca trahuntur læditur.

Cum igitur iam de affectu, & causis dixerimus, superest, vt de signis agamus: & primùm eius, qui per consensum neruis adest, mox de eo, qui ipsorum neruorum est proprius. Igitur vti Methodus vniuersalis monstrat: si cerebrum alteri parti consentiat, necesse est affectus illius notas apparere. Neque enim in consensum trahet, ni iam satis euidenter afficiatur. Sic igitur si vterus sit, cui consentit, labores circa vterum manifestantur; tormina inquam, & flatus, & tensio circa pubem, & prius circa crura motus inordinati, & cessarunt menstrua, & abstinuit à coitu, antea consueta eo vti; & motus vteri manifesti sentiuntur, quales Plato in Thimęo describit. Mox capite dolere incipiunt, & paulò pòst delirant, & conuelluntur. Quòd si à ventriculo sentitur nausea, & morbus, & dolor circa ipsum, & acres ructus, & malè olidi. Contrà verò vbi affectus proprius est; seu totius corporis, quando cerebrum omnino: seu partis, quando medulla, seu priuati cuiusdam membri ceruicis: necessariò ea pars affectus prius monstrat. Nam si ex plenitate sit, distenduntur prius, & dolore multo vexantur eæ partes. Si ex inanitione aliquid præcesisse causarum necesse est, quarum ratione siccatæ sint partes neruosæ.

Vteri male affecti signa.

Sic præterea & inter se distinguntur eæ causæ. Nam quę per cōsensum fiunt, continuę non sunt, vt Galenus de epilepsia ex consensu tradit, libro de Loc. affec. Et plerunq; facilè dissoluuntur, vt de epilepsia patet, & conuulsione ex vtero, vel ventriculo. Sponte enim paulò pòst quiescunt. At non ita in alijs euenit: sed multa vi vix sanantur. Distinguitur autem causa ex plenitudine, ab affectu siccitatis, maximè ex his, quæ præcesserunt. Finge enim aliquem Martio mense repletum, ac pridiè bene potum in sole deambulasse, & statim obriguisse, nemo est, qui dubitet hunc ex plenitudine laborare.

sic si post ebrietatem eueniat. At contrà si post febrem ardentem, aut grandem vacuationem, certum est inanitione fieri. Adde quòd hæc sensim accedit: at repletio breui fit tempore.

Prognostica verò signa sunto. Etenim magnitudinem affectus considerabis ex symptomatum magnitudine. Nam si deprauati motus toto corpore visuntur, plus periculi monstrant; quàm si in parte solum: præsertim si ea pars longè à cerebro sit sita, vt crura. Præterea si præcipua aliqua actio impeditur, vt respiratio conuulsis vel musculis septi, vel pectoris. In summa leuius malum est, si ex consensu afficiatur cerebrum & inde nerui; quàm si proprius esset affectus. Ratio, quoniam illi faciles, & breues sunt solutu: hi verò difficiles. Excipe tamen, si is affectus, qui cerebrum attingit pertinax sit, neq; breui solubilis, vt si ex vulnere inflammato neruo eueniat, ideo Hippo. lethalem esse dixit, id est, plurimos perire. Causa est symptomatum vehementia, dolor inquam, vigiliæ & syncope, cum quibus non potest æger diu perdurare: at breui ea affectio solui nō potest, nisi statim neruus præcidi posſit. Ego verò exectos multos noui hunc morbum incidisse, atq; omnes prorsus perijsse; quoniam nihil illis opis afferri poterat. nec enim solui phlegmone in tam abdita parte poterat, nec neruus præcidi. Si verò ex proprio affectu neruorum euenit, quod ad mortem: vel salutem attinet: illum mortalem iudicato, qui vel totū corpus, vel dimidium attingit; vel partes aliquas præcipuas vt pectus, gulam, os ventris. Minus hoc vbi in parte ignobili. Quòd si superuenisse febrem noueris, nonnihil spem augere ait Hippo. Et quidam ciere conantur calidis potionibus. Quòd verò attinet ad sanabilem esse, vel nō esse; id ex affectus difficultate conijcitur. Nam qui ex siccitate, aut prorsus, aut vix sanabilis est, vt & Rases ait, potest tamen diu sic viuere. Qui verò curati sunt, ijs alia de causa erat conuulsio, id est, per consensum cerebri. Vel dic neruos, cum confertim siccantur, conuelli vt noxam intemperiei excutiant, & ardoris, prorsus verò siccatos non esse. Nos igitur multos vtrauis de causa laborantes, diu superuixisse nouimus: & quidem sine dolore, alios brachijs retractis, alios cruribus, alios inuerso collo ad latus. Quòd si quæras nónne hic morbus acutus est? imò acutissimus. quomodo ergo diuturnus fiet? Respondetur, acutus est cum magna inuehit symptomata, & periculum minatur. Hoc autem est dum dolores, vigilias, & animi defectus cit. Hoc facit dum fit conuulsio; non dum facta est: Quando enim soluta vnitas partis est, dolorem non facit, sed quando soluitur: Vnde fortè quæ ex siccitate, sine dolore fuerint, quoniam sensim factæ. Quæritur si conuulsio ex siccitate neruosarum partium est, quî fieri potest

vt in

vt in eo, qui marasmum patitur, statim & conuulsio non sequatur? Hæc enim maxima siccatio est, quæ & ad mortem ducit. An siccitas illa marasmi, est in viscerum aliquo; cui totum corpus consentire potest: decimo Metho. & libro de Tabe. Non in parte neruosa, ideo priusquam siccitas ea, quæ contractionem facere potest, neruos attingat, necesse est antea ægrum perire, ob extremam scilicet cordis siccitatem.

Postremò de curatione agendum. atque hæc tot capita habet, quot sunt curandi affectus. Primùm igitur de his, qui per consensum, agamus, quoniam sæpe & leuiores affectus sunt, & facilius curantur, quoniam fixam causam nō habent, sed facilè mobilem. Cum igitur hi affectis neruosis partibus primariò eueniant, vnde per cōsensum cerebrum afficitur, nihil est dubiū, quin si morbi illi primi tollantur, conuulsio quoque à toto corpore tollatur: vt si à morsu oris ventriculi fiant, vomitu sedantur sæpius: si ab vtero, si semen retentum excernatur, aut menses prouocentur. Per consensum quoque sunt quæ in comitiali conuulsiones, de quo morbo sequenti capite docebimus. Nam cæteris affectibus, quomodo succurri debeat, proprijs locis est habendum. Curatio conuulsionis.

Cum verò ex phlegmone neruosæ partis conuulsio fit, vt in vulneribus articulorum, primùm quidem conuulsio proprios neruos arripit, per consensum, vt tandem ad neruorum principium malum perueniat, quando iam in totum corpus affectus funditur, vt circulo quodam à neruis orta affectio, rursus in neruos retundet: propterea quòd & ipsis cerebrum, & ipsi, cerebro vicissim consentiant. Hic inquam affectus, partim ad repletionis affectum reduci potest, vt si neruos ipsos mali authores spectemus; partim ad consensum, siquidem reliquos neruos consideremus. Hic igitur primariò affectui maximè prospicere oportebit, quòd si res vrgeat, Galeni consilium cape, nempe, vt abscisso neruo, periculum, quod ex consensu imminet, euitemus: Nam breui solui inflāmatio nō potest. Quòd si eam soluere tentare velis, cura accipienda est, 6. Metho. Cuius compendiaria ratio eiusmodi est: Primùm enim modis omnibus corpus vacuabimus, tum secta vena, tum purgatione: quibus phlegmones augmentum inhibemus: tum in integra inedia hominem seruabimus, ob eundem scopum, aut sola mulsa alemus. Postmodum loco, ea, quæ phlegmonem mitigent, id est dolorem, & tensionem, adhibere cōuenit, cuiusmodi est dulcis olei perfusio. Eiusmodi est & ex lumbricis confectum oleum. Consueuerunt & oleo ex hyperico vti in hoc casu: & ingens auxilium est inuentum. Vbi parum dolor sedatus est, ad ea, quæ digerant amplius, est transeundum. Quòd si-

conuulſio, & delirium, & febres accedant, & dolor vrgeat, præcipiti exiſtēte morbo: extremum quoque præſidium eſt inuentum, ſcilicet neruum ipſum incidere ſupra partem ęgram. Sic enim cōmunitas omnis ad caput tollitur.

Optima tamen curatio eſt, præuidere, ne phlegmone eueniat. Nam cum primùm inflammantur neruoſæ partes, fieri nequit, quin cerebro conſentiente, deliria, & conuulſiones eueniant. Iuuat quoque calente oleo germina omnia, & proceſſus neruorum fouere; vt ſi in manu ſit, alas, & ſpinam, & caput ipſum: ſin in crure, ſpinam, & inguina. Sic enim ſedatur læſio ea, quæ neruis ab inflammatione communicatur. Vlceris verò optimè prouidentiam habere, his, quæ probè ſaniem detergant, & ſiccent, ſed ſine morſu; præſertim ſi vulneratus neruus in aperto ſit: contrà ſi abſconditus, & in profundo; & eò magis ſi exiguum ſit vulnus. Sed hoc 6. Metho.

Cum verò affectus repletionis adeſt, certum eſt vacuationis egere pro natura cauſæ, id eſt, vel vena ſecta, vel purgatione: quæ moderanda ſunt iuxta morbi magnitudinem, hoc eſt periculum, quod affert. Si enim in mēbro ignobili ſit morbus: magna prę̨ſidia non exigit, ſed dat inducias, vt materia ſenſim vacuetur; ferè enim victus ratione corpus inanîmus, & localibus vtimur; plerunq; ſulphureis aquis curam perficimus. Hîc vulpinum iuuat, & quod philoſophorum appellant, & vnguentum ex althea: ſemper in memoria habentes, ne cōfertim multum ſiccemus. Etenim ſæpe tendines vidimus ſcyrrhi naturam contraxiſſe hac ratione, & ęgrè curatos.

Sed ſi maximè vrget, vt in colli rigore, vel Tetano, vel alio vniuerſali morbo, id eſt, qui plurimas, & præcipuas partes inuaſerit: tunc maximis remedijs eſt vtendum: Ea ſunt venæ ſectio, & purgatio: quo loco præceptum Galeni eſt obſeruandum, primo ad Glauc. vt non pro magnitudine affectus, & plenitudinis ratione ſanguis mittatur; vt ſcilicet vires ſufferre poſsint tam grauia ſymptomata: cum præſertim in abſtinentia continere hominem conueniat. Si igitur cętera mittendum eſſe ſuadent; parcius tamē mittetur, quàm ſi in alio àcuto morbo fieret. Contrà, in maximis doloribus, vſq; ad deliquium animi mittendus, primo Aphor. 23. Reſpondetur, tunc ſolùm, cum ſanguine miſſo, vel prorſus, vel maiori ex parte cauſa tolli poteſt. Quòd verò ad purgationem attinet in his feſtinanda eſt, tum ad vniuerſum corpus exonerandum, tum ad auertendos humores ad partes fluentes. Purgatio verò ijſdem fiat, quibus & in paralyſi vtebamur. Eadem enim eſt vacuandi ratio: ſed hîc fortiora & ſubita magis exigit remedia. Sic & localibus vtemur ijſdem. Sunt enim olei balnea ex althea, & ſulphurea,

Victus

Victus verò ratio tenuißima esse debet: Quòd si potionibus vteris ex melle, vel saccharo; his, quæ extenuant, & incidũt vnà vteris: vt in Paralysi diximus. Nam si sæuißimus est, vt qui rigor dicitur: quartam non transit, authore Hipp. Quòd si mitior, non septimam. Iubet optima ratione Paulus, vt membra contrà tendamus quantum licet: fortè quòd sic minus conuulsionem patientur: vel minus fluxionem nerui admittent, si intenti maneant. Præcipua verò cura est habenda, ne maxillæ conniueant iniecto ligno; similiter ne concusione dentium lingua præsecetur.

Componimus autem in aduersum membra, tum manibus, tum fascijs. Si qua verò pars distenta, vel contracta restet; naturalium balneorum vsu curetur. Si ex inanitione, curam non recipit: sicut nec siccitas solidorum consummata, 7. Metho. Intelligo verò consummatam, quando fibræ ipsæ secundum substantiam sunt siccatę: vt ex decimo Metho. habetur: & libro de Tabe. Quòd si quid tentandum est; auxilia eadem, quæ in tabida febre afferuntur eo libro, huc afferri debent. nempe temperatæ aquę balnea: præsertim si pinguedines, vt castratorum capita illis incoquantur; & humidæ herbæ. Similiter & victus ratio eiusmodi, quæ humectet. Fortè quãdo ex ardore fit, neruos siccante; prius conuulsio excitatur, quàm siccatio accidat: dum nerui sentientes ardoris vim, contrahuntur, & conuelluntur: quasi noxam à sese expellentes: vnde conuulsionis initium, & tunc curabilis: at quæ facta est, & confirmata, est incurabilis.

De Crisibus appendix.

QVoniam (ita ferente anni tempore) prohibemur hanc materiam pro indigentia pertractare: optimum duxi de modo agere, quo Crises tractare debeatis. Cum præsertim suprà de apoplexia agentes, suaserimus, cum in paralysim abscedit, iuuandum esse abscessum ad eas partes attrahentibus præsidijs. Num igitur naturæ opus permittendum est, an iuuanda? Quòd si iuuandum opus est, qua ratione id fieri debet? Quòd verò aliquę crises eueniunt postquam natura morbificas causas superauit: aliquę verò ex morbi proritatione excitatæ sunt: ideo quæstio duo habet capita. primùm de his, quę intempestiuè eueniunt, & solius morbi ratione. De quibus primùm videndum, num poßint aliquando salutem afferre; postmodum si sint iuuandæ, vel inhibendæ.

Sunt autem crises eæ, quæ sine coctionis notis euenire solent, nulla antea coctionis signo indicatæ, quas & symptomaticas Galenus dicit, 4. Aphor. 22. Quales verò eæ sint, & quibus conditionibus obseruari debent, dicemus cum de tempestiuis agemus. Galenus igitur ita de his sentire videtur, non posse ante coctionē quicquam vtiliter excerni, quoniam natura non dominatur. Quomodo ergo propellet morbi causas? Sic igitur videmus & cum primùm venenum primas venas subit, naturam ad excernendum proritari: sed id frustra contendit, quoniam maior est veneni vis, & contumacia, quàm pellentis naturæ. Quocirca & alibi solas eas vtiles æstimandas ait, 4. Aphor. 71. quas coctionis notæ in die contemplabili præcesserunt. Priuatim verò de sudoribus ait, primo Epid. 2. Si inter morbi initia eueniant, vel vires imbecillas, vel excrementi redundantiá arguere. Vnde & 4. Aphor. 38. vel morbi ratione euenire dixit, vel naturæ scilicet excernentis. De abscessibus verò 3. Epid. libro primo, ante coctiones sunt inutiles. Nam vt primo Prorrh. 6. ait, Parui nihil iuuant, maiores, vires euertũt. Sic de alui profluuio iudicium fert. Si, inquit, aluus sine notis coctionis profluat, aut nihil iuuabit, aut si largior sit, etiam lædet. Quòd si vera est Galeni sententia, primo Aphor. 22. vt coctionem secretio, hanc verò excretio legitima sequatur, sat clarum erit, ante coctionem nihil vtiliter excerni. Et idem quarto de Præsag. ex pul. ad finem, Facultas, quæ corpus regit, vbi concoxerit, excernit; nisi vel copia grauetur, vel vellicetur acrimonia.

Sed quid si multos legimus sine coctionis signis liberatos? Primùm Adolescens, de quo in libro de Præcogni. Galen. agit. Et primo Epid. 3. Methon ille, profluuio sanguinis sunt sanati; cum alter crudas notas haberet in vrinis: alter verò, etiam lethales: Nam nigra minxit quarta die. Quin & Anaxion vigesima leuatus est ex crisi: cum adhuc concoctæ non essent morbi causæ. Sed & eodem libro tertio, mulierem quandam citat, quæ sudoribus iudicata est, quanuis vrinæ, cruditatis haberent notas. Præterea, quis negabit abscessum ad paralysim, in apoplexia esse vtilem? quo sæpe æger è portis inferi reducitur. Sic & qui in lethargo fiunt abscessus ad aures. At impossibile est, vt concocta materia fiant, adeò breùi tempore. Quòd si symptomaticę crises in lethali morbo possunt tempus mortis producere, vt 3. Epid. primo in Pithionis historia notat Galenus: quantò magis in salubri poterunt esse vtiles? Et Herophontem abscessus seruarũt, cum crudi adhuc essent humores. Sed quid aliunde exempla quærimus, cum ipsi multos viderimus ritè iudicatos; non modò cum cruditatis, sed & cum lethalibus signis; idq; per

abscessum.

abſceſſum; alias verò excretione nunc ſanguinis, nunc deiectione, leuatos magna vi morbi: poſtea morbi reliquias paulatim concoxiſſe, atq; vtiliter eæ vacuatæ fuêre.

In hac igitur ſententiarum varietate, ommiſsis authorum verbis ad rationes confugere oportet. Itaque humorum, qui cauſa morbi ſunt, alij in vna parte ſunt collecti, ac quieti manẽt, donec concoquantur; alij rurſus per corpus vagantur: quod furere Hippo. dixit, id eſt, natura proritata inſtar animantis, cui irritata tument loca ſemine (vt ait illæ) ad excernendum excitatur. Hoc autem fit, dum validiores partes ad infirmiores propellunt; & quidem natura excretrix ſemper nititur à corpore abijcere: ſed aliquando contumacia humoris, nixum illum fruſtratur, quarto de Vict. vnde in partẽ ſeponit, quę vel natura, vel ex accidente aliquo eſt imbecilla. Quòd ſi fortè fortuna accidat, vt vna ex præcipuis ſit, ſtatim diſcrimen magnum ægro imminet. At ſi contrà res habeat, vt ad ignobiliores materia tendat, vt in podagricis fieri conſueuit; inopinata ſalus ægro aduenit. Hæc in libro de Conſti. artis ad finem. Atq; hinc fit, vt non prorſus certę ſint præcognitiones ſalutis, aut mortis in acutis morbis. Quòd ſi excernat è corpore, quid obſtat ſanitatem ſequi, vt ex abſceſſu?

Nihil igitur inconuenit, iuuari quoſdam huiuſmodi criſibus: licet id rarò eueniat. Rara autem euentu, neque ſub artis limite, neque diſciplinæ alicuius comprẹhenduntur. Hinc fit, vt Hippo. & Galenus huiuſmodi criſes abominentur; quod ſcilicet plerunque malum potius, & damnum afferant. Nam primo Epid. 2. cruda, vel malos abſceſſus, vel recidiuam, vel criſes difficiles, & timoraſas faciunt. Hucuſque igitur tum authoritates inductæ, tum experimenta ęgrorum probabant, quod nos concedimus. Quòd verò præterea quęrebatur, quid in his agendum: ſic ſoluitur: Primùm enim penſitabis, num motus ille naturæ ſpem aliquam ſalutis præbeat: vt quia ea via multos ſaluatos videris; vt ex abſceſſu in paralyſim; & in articulos: & ex profluuio ſanguinis. Nam hoc peculiarem vim habet, vt plerunq; ſanet, 2. Epid. Secundò penſitabis, num magno impetu natura moliatur motum; an lentè, & vi multa. In primis enim nihil iuuabis, ſed potius procurabis ne ſymptomatis æger fatiſcat: quæ multa inuehunt criſes agoniſticæ: quam prouidentiam habuit in adoleſcente illo Galen. cum cucurbitulas ad inhibẽdum ſanguinis profluuiũ ſecum tulit. Si lentè, iuuare poteris, vt Hippo. fecit: qui Methoni cum ſanguis proflueret, caput lauit: quo remedio profluuium excitauit. Quòd ſi abſceſſus ſit ad ignobiliora, hũc iuuabis, vt de paralyſi docuimus.

De Epilepsia. Cap. XIIII.

Epilepsia. VNa quædam ex conuulsionibus, quę per consensum fiunt, est Epilepsia. Etenim totum corpus conuelli videtur, idque non ex affectu proprio neruorum, sed consentientibus ijs cerebro. Nomen verò Epilepsiæ ab ἐπιλαμβάνω acceptũ, vel ideo est; quòd sacrum morbũ, & diuinitus immissum veteres putabãt: & ἱερὰν νοῦσον ideo appellabant, vt Hippocrates inquit libro proprio: & ita superuenire, id est, à superis procedere crediderunt: vel quia vniuersas hominis vires semel, confertimq; compręhendat. Ambo enim hæc verbum significat.

Quæ verò sit eius natura, ferè diximus, cum de apoplexia loqueremur: nunc verò repetamus. Si igitur consideremus symptoma conuulsionis vniuersalis toti corpori: certi erimus affectum esse cerebri, vt & animalium facultatum detentio significat. Sed vnde deprauatus ille motus eueniat, rationem affert Galenus 3. de Loc. eo quòd cerebrum nititur expellere quid noxium, quo læditur. Dum autem expulsionem quærit, contrahitur in sese, & multifariam mouetur. Ex contractione ergo obstructio fit ventriculorum; vnde liberè animales spiritus, & facultas ipsa ad membra peruenire non potest: inde sensus, & volũtarius mot9 amittitur prorsus: motus verò illi pręter naturã fiunt, insequẽtes ipsius principij motus; vt quasi tractus quidam sit neruorum, ab ipsa cerebri motione originem trahens, mediante medulla. Probabile quoque est, læso principio neruos ab eo contrahi, cum reuocare spiritum animalem nititur in eorum substantiam disseminatum, ad sese; non secus ac cor facere videmus, cum sanguinem & spiritum in valida noxa ad se contrahit. Rursus non sine ratione est, vt nerui compatiantur affecto cerebro: atq; inde, quasi proprio affectu tenerentur, conuelli, & contrahi; quasi propellere noxam conati. Talia enim quædam per consensum fieri videmus: vt tussis ex iocinoris inflatione, quando pulmo nihil per se læditur. Et rigor ex cauterio, aut frigidæ subita perfusione toto corpore fit, cum internę partes nihil patiantur: & nausea vomitusq; inanis in dysenteria. Sed & fieri alia ratione obstructionem hanc Galenus dicere videtur, 3. de Loc. ex crasso, inquam, humore, aut viscido, ventres cerebri replente; quem ideo crassum, viscidúmue iudicat, quòd subitò obstruit, & subitò soluitur obstructio.

Est autem, inquit, obstructio meatus spirituum in cerebri ventriculis consistentium. Quasi dicat conuulsio hęc, non potest ex inanitione euenire, quæ subitò non fit, id est, tempore quàmbreuissimo,

sed

sed longiore, & longiore adhuc restituitur. Necesse ergo est repleri à corpore meatus velocissimè, & rursus ex concussione velocissimè secedere humorem à meatibus, & dissolui; vnde & obstructio tollitur. Quoniam verò citò hæc fiunt, multam materiam non esse oportet. Nam quod multum, neque ita cito confluere, nec citò dissolui potest. Sed sicut iuniores imaginantur repleri quidem vētres, sed non prorsus humore: attamen excitari vim expultricem, qualitate noxia humoris, & contrahi cerebrum: atque ita fieri astrictionem meatuum vnà, & obstructionem, ita vt duæ causę concurrant. Sic enim & sternutatio motus cerebri pellentis rem noxiam esse videtur: & præcipuè accidit, cum acrior est materia, & cui cerebrum est valde sensile. Et hac ratione ab apoplexia differre aiunt, quòd scilicet in apoplexia prorsus repleantur, & obstruátur ventres. Præterea in apoplexia nō ventres solùm, sed & corpus cerebri afficitur: hic verò solùm ventres, aut cerebri corpus quamminimum. Hanc imaginationem generationis morbi huius olfecisse Galenus videtur secundo Aphor. 45. cum ait, Eius causam esse motum vitiosum cerebri. Epilepsia ab apoplexia differt.

Est ergo comitialis morbus obstructio; & ita in genere instrumētalium: non quidem omnis, sed primus est frequētissimus eius modus. Causæ verò obstruentes confertim, aut pituita crassa est, aut atra bilis. Nam, & hæc sui crassitie potest obstructionem eam efficere; vt 3. de Loc. dicitur. Et quidem non alia ratione obseruauit Hippoc. Melancholici, inquit, magna ex parte morbo comitiali pręhenduntur: & contrà, comitiales Melancholici. Vbi enim communis iste humor abundat; quid mirum modò hunc, modò illum morbum posse facere? mentem enim lædit, vbi in toto cerebri corpore abundat, & intemperiem creat. Etenim cum à temperamento corporis variato, statim quoque variari actionem sciamus, quid mirū, si cerebri actio, hîc etiam vitietur prima, hoc est, ratiocinatio, sicut & alio modo bile dominante afficitur, & alio modo pituita? Si verò illi vt instrumento, nocet, vt obstructione; iam mentem vitiari necesse non est; quanquam temporis spacio nihil inconuenit, & qui instrumentalis est morbus, fieri similarem, & contrà: cum facilè & corpus cerebri ventriculis, & ventres corpori communicant affectum. Hoc sanè, & nos experientia vidimus: multos comitiales fieri melancholicos; sed alios rursus stolidos, atque hebeti mente: vt quos constaret à pituita habere ortum, ignauos sanè, & torpentes. Quòd si quis dubitet, quoniam 6. Epid. primo. Comitialis, inquit, oritur ex innata humida intemperie cerebri in puerulis: Et paulo antè generatim, ait, fieri à frigida intemperie cerebri, sæpe etiam hu

miditate adiuncta. Hunc enim locum corrumpit interpres crassus: & legit (vt multa horum licentia esse solet) fieri à frigida; & humida intemperie; cum Galenus plurimum fieri à frigida: sæpe etiam illi adiungi & humidum, velit. Volens significare, & à frigida, & sicca morbum posse consistere. Erit ergo similaris morbus; tu autem instrumentalem, non similarem dixisti. Respondetur, has intemperies siue innatæ sint, siue acquisitæ, radicem atque originem esse gignendi morbi: propterea scilicet, quòd facilè aggregant sibi qualitate similem humorem, non quòd ipsa intemperies immediata causa sit gignendi morbum. Rectè ergo fortè Galenus dixit, duas intemperies hoc facere, primùm frigidam, mox frigidam & humidam: quoniam in vtraque vis multa pituitæ gignitur: Vnde, & vna ex causis, fit morb. comitialis. Nam altera, vel à corpore per venas impartitur cerebro; vel si à tẽperie eius ortũ haberet, esset illa calida & sicca vel natura, vel habitu, vt alibi de atræ bilis generatione mõstrauim9; & Gal. probat priuatim de cerebro, 3. de Loc. cũ de melãcholica agit.

Alius est affectus, quem potius astrictionem, seu conniuentiam dixeris, quàm obstructionem; quando aut nullum corpus aduenit, aut exile, & tenuissimum cerebro; qua ratione suprà diximus consentire cerebrum multis corporis affectibus. Huiusmodi comitialis morbi meminit Galenus 3. de Loc. atque vel à ventriculo eueni re ait, cum mordetur humore prauæ qualitatis; vt in Grammatico illo, cui ieiuno eueniebat. Et ab vtero sæpe euenire videmus ex vtraque retentione; & ego prægnantes aliquas ea affectas vidi, & sanatæ sunt partu, non prius, quáuis à vacuatione melius habuerint. Nec inconuenit, idem & in viris accidere, cum se continent: vel ab aliqua alia parte, quæ cerebrum in consensum trahat: quod tamen est rarius, & rarò hoc se vidisse ait, & solum duo exempla ponit. Nos hoc, adhuc pueri, vidimus in adolescente quodam, & in alio, qui iam vigesimumquintum annum excesserat, Ianuense. Hi ergo referebant præsentire se saltum quendam, & noxam indicibilem circa crura. Consului, vt & Galenus suadet, vt alijs adhibitis antea remedijs; cauterio ad eam partem, vbi mali erat minera, vterentur.

Puerilis verò morbus, quem vocant, Epilepsia est; cuius Hippo. meminit, in libro de Aqua, aere, & locis. Auic. verò, matrem puerorum appellat: nescio qua causa. Hunc pueris euenire Galenus ait 6. Epid. primo, si ab initio, cerebri temperiem valde humidam nacti sint: intellige, vt prius, quòd hac de causa fit, vt facilè morbum incidant, quòd multum humiditatis excrementitiæ aceruant; quæ postea occasionem nacta, confluit in ventres, & morbum facit; vt vidi ex febrib. fundentibus: ex timore, vnde commouentur humores:

exfle-

ex fletu quoque,& ira eum incidere. Hic ergo morbus similis erit prioribus,& ex simili causa proueniens,id est pituita. Euenit etiam à vermium multitudine in pueris; seu febris vnà accedat,seu non: & ad idem genus affectus reducitur,scilicet ad conniuentiam,& cõ tractionem ex percepta noxa,à venenosa putredine, quæ eos comi tatur. Hæc ferè Galenus de Affectus differentijs & causis, exposuit;tum vbi primariò affectu in cerebro fit,tum vbi secundariò. Si tamen ipsius celerem solutionem intueamur:mirum profectò est,si à crassa,& viscida materia fiat. Quomodo enim tam breui difficiles, & contumaces humores natura vincere poterit,vt ad expulsionem præparet,& expellat? quod sanè etiam miratur Auer. lib. 3. Præterea mirum est,quomodo,si à frigido & pituitoso, vel melancholico humore oriatur;cur aliqua eiusmodi passio insanabilis sit? Et dixit Hippo.post iuuentam:quinimò,& rarissimos sanari in quauis ætate videamus;cum cæteri morbi,qui ex pituita fiunt,vt asthma, articulorum dolores,hemicraniæ,scotomata,videamus sanari,vt & paralyses. Adeò ne hic solus in capite erit incurabilis è frigidis morbis? Præterea sæpe visi sunt magno & acri ingenio viri,eo capi:in quibus non est verisimile cerebri temperiem adeò ad frigidum vnà & humidum declinare, vt paratissimos ad id morbi genus redderet.Respondetur,vt in re difficili,& ambigua; accipiendo primùm, quòd huiusmodi corpora necessariò cerebrum imbecillum habent 6.Aphor. 28. Nam saltem ex diuturnitate morbi tale fiet, vt omnia membra, quæ diu morbos patiuntur, resoluto calore, tum innato, tum influente.Dico autem debile,non solùm temperamenti praui ratione, sed etiàm compositionis, vt quòd angustas venas, & arterias habent, & meatus, per quos expurgatur. Secundum accipio, quosdam cerebrum adeò sensile habere, vt à quauis causa multum patiatur. Hanc differentiam videmus contingere circa ventriculum,vt Galenus obseruauit; & nos experimur multos ex leui morsu,singultus & motus pati:multos verò contrà, ne quidem pati à rebus molestissimis. Sic & in cerebro euenire videmus. Sunt enim qui ex minima molestia circa capitis anteriora percepta,vehementi sternutatione præhenduntur: quidam verò neque etiam vi multa,sternutare coguntur;vt & piper, & acria sine commotione odorentur. Sunt autem sternutamenta leues quidam motus epilepsiæ motibus similes. Videntur enim nonnihil conuelli faciei partes cum sternutamus:quod contractionem & dimotiones cerebri insequitur.Itaque non absq; ratione crediderim,in cerebris ita affectis, aut vaporem, aut flatulentum spiritum, praua qualitate affectum morbum cõmittere. Quòd si etiam adsit materia,eam esse exiguam.

Sternutamenta. Epilepsia leuis potest à uaporibus & flatulento spiritu excitari.

obstructionem verò potius astrictione fieri. cui etiam experientia suffragatur in quibusdam, qui leuissima accessione prehenduntur, adeò vt vix concuti appareant: nec cadunt, quanuis nonnihil vacillent pedes, & quasi perterriti clamant, sed statim ad sese redeunt. Signum enim est eorum cerebra percepta leui noxa contrahi, & expulsionem moliri, sed leui negocio malum à se propellere.

Hoc tamen (quæcunque causa se habeat immediata) certum est, curationem non variare. Sed ad causam antecedentem in corpore properandum; quæ etiam ab alia externa prouenire potuit. Cuiusmodi est in primis ambiens aer: præsertim frigidus, & stagnans, id est, non perflatus; in quo cerebrum intemperatum gignitur, qualis est Florentiæ. Mox victus ratio omnis praua, tam in victu, quàm in motionibus. Demum omnia, quæ crassum, & frigidum succum gignũt; aut prauæ qualitatis; & præparatio mala ciborum, & nidorosa & cruditates crebræ; & motus repletò ventre præcipuè hoc facit. Etenim multos tales vidi solis cruditatibus morbum incidisse; atq; ita procurata optima concoctione sanatos: Adde & ebrietates, & humi cubationes.

Epilepsiæ signa.

Superest, vt de signis agamus, quæ sanè probè Rases collegisse videtur. Primùm enim quæ propria est syndrome numeratur; cadere inquam, contorqueri, mentem intercipi: hæc enim obseratioñe meatuum spirituum sequuntur symptomata & contractionem cerebri. Cadere enim subitò deperditæ animalis facultatis in membris est nota. Contorqueri verò fit, quoniam nerui, cerebri motum imitantur; vel quasi opem laturi, suo principio, vel quasi noxam illam eandem sentiant. Mentem verò, id est, omnem cognitricis animæ operationem lædi, imò tolli, quid mirum? læso maximè primo instrumento ventriculis cerebri. Cætera verò, quæ subiungit, assidentia signa sunt, non necessariò morbum comitantia, id est, spumam emittere, & sponte excrementa alui, & vesicæ, & vasorum seminalium excernere. Hæc enim affectum, inquit, grauiorem esse significant. Quòd verò priora ea affectum satis demonstrent, est apertissimum. Eo enim quòd conuellitur intellectu vitiato; satis à reliquis conuulsionibus differt, quod verò conuellitur, ab apoplexia: in qua prorsus æger motu priuatur. Nam & in sopore, neque conuulsio est; & præterea, non subitò euenit. Quòd rursus alia, morbi morem significent, dum magnitudinem significant, ostendimus. Spuma enim ex multa musculorum mandibularum conuulsione fit: vnde & os egreditur: quanuis nihil obstat, & de humore eo motu dissolui, & à spiritu agitari; vnde spuma. Cætera quoque symptomata conuulsiones sequi videntur; præcipuè verò deiectio inuoluntaria

&

& mictus. Etenim conuulsis abdominis musculis, facilè fiunt, vbi nihil appetitus retinendi contrà nitatur; sed seminis excretio, vitio, musculi non fit, sed vasorum seminalium. Neque enim eius expulsio vi musculorum impellentium peragitur; quanuis in eiaculatione naturali eius, musculosa quędam substantia circa penis meatum sita, iuuet ad eius dilatationem ne fortè conniueat. Hoc igitur rarò visitur fieri, alia sæpius.

Hîc verò maximè animaduertere debemus ad morbi initia; quãdo potissimum curam recipere potest, & cum occultæ sunt notę; vt suprà de prauis morbis dicebamus. Sunt enim sæpe accessiones ita leues, vt homines lateant. Etenim similantur maximè vertigini, pedibus vacillantes; nec prorsus in terram proruentes. Sæpe quasi terrore perciti clamant; pueri verò etiam plorant, præcipuè cum inter dormiendum affectio arripit. Alij non adeò depręhenduntur vt cadant; sed sic vacillantes firmam sędem quęrunt; & ex his alij oscitãt, alij frontem perfricant; vt terribili intuitu, & inconniuenti aspiciũt; nec post accessionem vllorum recordantur. Magnum ergo est discrimen ex læsionis actionum diuersitate; seu motionis sint, seu agnitionis. Itaq; signa Rases iam confirmati morbi sunt, & in suo vigore consistentis.

Distinguuntur verò affectus cerebri proprij, vel per consensum, eadem methodo, qua & suprà sæpius vsi sumus. Nam affectæ partes statim proprijs notis manifestabuntur, vnà adiuuante artifice coniectura, quæ ex habitu, temperamento, ætate, & victus ratione procedit. Num verò atra bilis magis sit in causa, vel pituita, monstrabit in primis generalis coniectura: qua dominantes in corpore humores deprehendimus. Postea & priuatim illius humoris afficientis cerebrum notæ apparebunt, vt melancholica accidentia, vel etiam furores, si exusta bilis sit. Vnde & furiunt aliquando, & mordent. Si verò pituita, etiam propriè pituitæ notæ apparebunt. Quòd verò à vẽtriculo fiat, patet: quoniam symptomata circa eum præcesserunt; & præterea post cruditates nidorosas fiet: aut saltem ieiunis, si bilioso natura sint ventre. Sic & de vtero discurramus. Vniuersale verò signum per consensum esse, est, quòd actiones cerebri non ita vitiantur extra accessionem, id est memoria, & intellectus: quoniam non facit hic consensus intemperiem cerebri propriam. Bilis exusta causat furores.

Nunc verò de prognostico agendum: & primo num paroxismus ad necem terminum habebit. Postmodum num vniuersalis ipse morbus curari queat. Qui igitur initio paroxismi multum commouetur, & diu perseuerat; postea subitò ab agitatione cessat, neq; re- Prognosti cum epilepsiæ.

leuatur, sed potius stertor euenit, & accidētia apoplexiæ; iam in paroxismo mori est periculum. Nam deiecta est virtus pugnādo. Rursus, quæ causæ robur significāt, mortē significāt. Vnde si sæpius euenit accessio, causam fixam esse est necessarium. Et quę magnitudinē morbi significāt, dixit Rases, eadem & morem significant. Contrà si hæc absint, in longum protrahitur morbus. In quibus verò spes sit vt sanentur: sic distingues. Primùm enim qui in infantia euenit, sola ætatis mutatione curantur, vt dixit Hippo. 2. Aphor. & 6. Epid. primo. Experientia hoc est compertum: sed & ratio dictat. Si enim (vt Galenus ait) ex innata intemperie fiunt; siquidem ea permutetur, vt ætatis ratione fieri, est necessarium. cessante suprema causa, cessabit quoque affectus. De his igitur vera est Hippo. sententia, ne fortè quis erret, sperans omnem comitialem puerum, sola mutatione ætatis persanandum. Hoc enim falsum esset: sicut & quod subditur. Si vigesimumquintum annum accesserint, commoriuntur, si sine distinctione capiatur. Primùm enim ex praua victus ratione pueris euenire morbus potest; qui non ætatis mutatione sanatur: (inquit Galenus) sed meliore præscripta. Potest & ex alijs causis euenire tempore ortis. Quamobrem inquit, si mox natis eueniat malum; ex intemperie natiua proficisci consentaneum est; neque curationis eget. sola enim ætatis mutatione sanatur. Si verò iam adultioribus eueniat: aliam causam habere est verisimile; & ideo difficilius curari posse; & medici opera egere, & de his in curatione dicemus. Quòd si vigesimumquintum annum excesserint, signum est, quòd non ab innata illa intēperie euenerunt, sed alia de causa ægrè solubili. Qui autem dicit perdurare vsque ad necem, insanabiles eos existimat: sed cur insanabiles censeat, non exponit. Et Galenus hæc sicco (vt aiunt) pede pertransit. Primùm igitur locus ita intelligendus est Hippo. vt morbus à pueritia vltra vigesimum quintum annum prorogetur; non de eo, qui postea euenit. Multos enim perfectè curatos vidimus. Sed nullos vbi diu, id est, à pueritia eousque perdurauit. Falsum præterea est, quod Galenus ait, si puerulis adueniat, opera medici non ęgere, sed sponte sua cessare: cum puerulos multos perimat hæc passio, & ope medici multi liberentur: quòd si perdurent, nec verum est ætatis semper mutatione sanari; sed aliquos perstare, & commori, vt ait Hippo.

Epilepsiæ curatio methodica.

In quibus igitur curationis spes est, hac ratione tractandi sunt. Primùm ergo ab his incipiamus, in quibus proprio affectu cerebrū tenetur; quanuis affectus ipse semper sit cerebri. Est enim ventriculorum passio. Sed causa proxima aliquando in ipso cerebro est genita; nonnunquam ex aliqua parte corporis, certis temporib. transmittitur.

mittitur. Igitur in priore affectu proxima obstructionis causa, est humor pituitosus, aut melancholicus. Hic verò vel in toto corpore in vasis gignitur; atque inde sensim in capite colligitur; vel ipsum solum cerebrum sibi mali est causa. Rursus hic ob innatam, vel acquisitam intemperiem gignitur totius corporis, aut partis: fouetur verò ex sex rerum non naturalium malo vsu, id est, quia delinquitur in victus ratione: quando & ab his quoque potest intemperies illa produci.

Primus ergo scopus esset intemperiem tollere, quæ omnium est causa. Cæterùm non potest ea tolli, nisi humor, qui eam comitatur, euacuetur: itaque à vacuatione est inchoandum, primò vniuersali, deinde particulari; demum intemperies tollenda. Nam proxima causa in quauis accessione absumitur. Hinc tota curatio in præuisione consistere videtur; quia causam respicit, & quidem remotiorem: ideo in ipsa accessione neutiquam aggredi debemus forte aliquod præsidium: sed primùm symptomatis obuiam ibimus; membra continendo, & cauendo ne lingua conuulsione præcidatur. Naribus verò ea admouere conuenit, quæ excitant; cuiusmodi est ruta, præsertim agrestis, cum aceto; vel eius succus; vt de ea dicit Galenus. Huius generis est Assafœtida, & Castoreum. Quòd si dicas nónne hæc affectum mouebant? Respondeo, mouebant affectum vel odoris vehementia, vel ingratitudine: at cum iam factus est, iuuant, causam tollendo. Cum enim extenuent crassum humorem, siccant, & vim cerebri expultricem stimulant, & euigilare faciunt.

Cum verò præuisione est opus, distinguenda est curatio per ætates. Etenim in aliquo conueniunt, in aliquo discrepant. Sit igitur primùm infans, (huic enim ætati maximè euenire solet) tum sponte sua, ex innata intemperie; tum ex mala victus ratione; si lac vitiosum sit; si frigido aeri exponatur; si ploret immodicè; si sonum subitum vehementem audiat; vel alia ratione expauescat. Hæc verò sunt mouentes causæ, non generantes. Sit igitur primùm, vt ex innata intemperie eius cerebri fiat; methodus vacuandam pituitam suadet: at corpus purgationes non admittit: quare consilium capiendum est nutricis purgandæ; & eo victu regendæ; qui minimè huiusmodi humori gignendo sit idoneus. Primùm ergo quòd ad puerum attinet; si ad sicciorem aeris naturam, & tepidiorem deduci possit; optimum erit; quales sunt montanæ regiones ad meridiem vergentes. Linctum verò conficiemus ex his, quæ detergere possint à ventre pituitá; & concoctionem ipsius ventriculi procurabimus; quam vitiatam esse monstrant ructus, crebra vomitio, sæpe, & oris fœtor. Linctus igitur ex melle rosaceo, vtilis est, si cochlearis

Causæ mouentes epilepsiam & non generantes quæ sint.

mensura manè à somno sumatur. Quidam & solidum zuccharũ propinat lingendum. Quidam & zucharum rosatum. Ventri verò, cymini puluerem ex melle cocto applicamus; aut mastichem absinthino dissolutam. Iuuat, & peonię radix collo appensa. Quòd ad nutricem attinet; quantum ad victus rationem, communis erit regula omnium adultorum dicenda; priuatim verò abstinentiam vini præcipiunt. Arist. de somno: Nam vt vinum adultis caput replet, & neruos tentat; ita & infanti lac inde genitum. Solent autem vinosæ esse nutrices; vel quia siticulosæ ex suctu fiunt, inanitis humore venis; vel quia ea ratione credunt se lacte abundare. Quòd si vitiosus corporis habitus fuerit; alteri tradatur alendus.

Peonię radix collo appensa.

Hucusque videntur procedere Galenus & Paulus, & curam reliquam naturæ dimittere. Sed si fiat ex acquisito habitu ob aliquem errorem circa ipsius curam, aut nutricis; tunc remedia adhibenda sunt nutrici, si puer sit infans. Et primum supposito optimo victus genere erit purganda nutrix, his, quæ pituitam auferunt; corporis habitum exsiccant. Sic enim consulit Hippo. 6. Epid. 5. Erit autem hæc purgatio leuis puero, quanuis fortis satis sit nutrici. Purgabit autem tum ex accidenti remouendo pituitæ fomentum, tum per se qualitatem aliquam purgatoriam lacti inducendo: quod & ego obseruaui his diebus. Ideo appellat eam ὑποκαθαρσιν, significare lenitatem volens. Et hîc multa quæstio oritur, præsertim apud eos, qui in transmutatione substantiali omnia priora accidentia deperdi volunt in materia; cum hic multæ quidem adsint, & tamen reseruentur. Vide apud Galen. exempla de lacte, & coturnicibus; & de lacte quæ vidi Lucæ. Docet etiam ibi purgationem ex caprino lacte facere, illi herbas propinando huiusmodi.

Nos verò hodie præseruandi gratia, in his quos pronos ad hoc malum videmus, cauterio vtimur; alijs circa nutricem suppositis. Affigitur autem ad primam vertebram. Instrumentum verò oliuæ nucleum imitatur. Sed est abaptiston, id est, quod in profundi agi nequit: Excidente eschara, sinimus diu effluere. Sic enim siccatur cerebrum: quoniam præter vacuatoria per naturam, etiam hoc adiungimus.

Qui verò iá ablactati sunt, & adulti magis, possunt & propria purgatione iuuari; nec dimitti naturæ; tametsi morbus ex innata intemperie sit: Hoc enim saltem lucrabimur, vt serius eueniat, & rarius, & ita non adeò cerebrum debilitetur. Ideo omnia ea, quæ in infante considerabantur, etiam & in his procurare optimam concoctionem victu, & medicamentis, & pituitã tum à toto, tum à capite vacuare. De victus ratione in iam grandibus dicetur, Eadem enim est

in vtrisque methodus; quanuis siccante magis vtemur in adolescen te quàm in puero, & in iuuene quàm in adolescente. Galen. purgat ex scylla, si leuior sit morbus; sed ipsam quoque propinat, alia antea purgatione facta; quæ tamen ea sit, non dicit.

Curatio verò eorum, qui grandiores natu fuerint, similiter à vacuatione totius est auspicanda, pro natura humoris, qui superare videtur, vt si pituita sit, vel bilis atra. Num verò sanguis mittendus sit, quæret aliquis; quando magis morbus est, & acutus, vt Galenus testatur quinto Aphor. 30. At in omnibus acutis, & magnis, si vires valeant, & cætera consentiant, sanguis est mittendus: vt Hippo. quarto de Acut. & Paulus hoc hortatur. Galenus 4. de Ca. pul. diuturnum morbum dicit; sed accessiones acutę sunt, id est breues, & cum magno discrimine. Galenus quoque libro de Ven. sect. eam admittit Vere, in his, qui comitiali morbo, vel apoplexia pręhendi solent, scilicet ad præseruationem. At in sexto. Aphor 47. videtur potius purgationem pituitosi humoris laudare: & in libro, Quando, & quo modo purgare oportet. Dicendum itaque, distinguendum esse de natura humoris, & corporis habitu: vt in alijs vacuationibus. Hæc enim si suadeant, mittendus Vere est; quo tempore maximè solent eo morbo infestari, qui ex copia crassi, ac pituitosi succi, eo laborant. Vt ergo in expectatione magni morbi, ex his, qui ex plenitudine oriuntur, mittendum esse Galenus suadet, ita & in hoc. Nam, & de crudo, aut crasso humore multum emittitur; & onere leuata natura, neque fluxionem tentat; & quod reliquum est, concoquit, & absumit. Venæ autem electio sit, vt fluxio maximè auertatur. Sic enim optimè prouisio fiet, vt Galenus docet, & ratio. Itaque in his venas crurum præseruationis gratia, aperire conuenit. At si iam crebris paroxismis vexari cœpit, ad cephalicam tendes: plus autem iuuat sanguinis missio in habitu melancholico. Nam eorum sanguis inedia, & cæteris plenitudinis auxilijs, non facilè nec citò corrigi potest.

A secta vena de purgatione eius humoris cogitandum, qui dominatur, præparato corpore. Est autem communis præparatio, tum viarum, tum humorum, per oximel, & scyllam, thymum, epithymum, origanum, hyssopum vtrunq;, & eiusmodi. Postmodum purgetur his, quæ in vertigine numerauimus. Rases Cochijs vtitur: hiera etiam ex colocyntide est optima. Hæc enim etiam in melancholica conuenit. Post purgationem verò totius, partem ipsam vacuabimus, sensili effluxione per nares, & os: & insensili per potiones rerum siccantium: vt est syrupus de stœchade cum betonica, & saluia, & theriaca, & mitridatum, & diambra. Purgatio verò saltem

ter iteretur ob humoris contumaciam. Et hæc quoque occulta quadam qualitate cerebrum roborant. Hac ratione etiam iuuant omnia, quæ traduntur experimento, eiusmodi affectum curare: vt Peoniæ radix: quam etiam quidam propinat in eclegmate: & vrina apri cum vesica exiccata; cuius eximia vis est etiá ad vermes interficiendos, extrinsecus illita. Similiter & hominis cranion.

Hîc verò maximè iuuabit victus ratio, de qua Galenus abundè meminit in puero. Sed nos, & alijs quoq; ętatibus aptare possumus habita solùm quantitatis ratione. Et hoc vbi pituita sit causa. Nam vbi ab atra bile, sequenti capite docebimus. Primùm aerem mutare conuenit, vt dixit Hippo. ad calidiorem, & ficciorem: cuiusmodi sunt non adeò æditi colles ad meridiem, vel orientem spectantes. Multa tamen caliditas, vt & frigiditas vitetur. Excretiones omnes promouere conuenit, ijs quæ familiaria sunt: vt perpetuò in prima mensa manè assumant, quæ aluum deijciunt. Cuiusmodi sunt cappares, aut olera, modò hoc, modò illo vtẽtes. Somnum verò à cibo non capiant, quoniam caput replet. Quam ob rem si quis consuetis horis cibum, & somnum capiat, satius fuerit leuem esse cœnam, eamq; tum sumi, cum ventrem inanitum senserimus.

Victus verò ratio in cibo, & potu hæc esto; vt quo ad quantitatem perpetuò cruditas euitetur, id est, tantum sumatur, quantum quis probè se experientia senserit cõcoquere; quod facilè ex ructu, & ventris mole concipitur. septimo Metho. Quæ tamen etiam sibi sat esse cognoscetur, siquidem vires ea ratione seruari comperiat. Qualitates verò ciborum hæ sunt, genere quidem omnes, quę crassum, viscidum, aut flatuosum humorem non gignunt: quę præterea bonum succum generant, nec caput suo calore replent.

Inter olera igitur smimium, seu olusatrum euitet, ob hác causam; & quoniam flatulentę sunt radices ferè omnes; nisi aliquando medicamenti gratia, quis vtatur ad ducendam scilicet vrinam. Ex herbis (quoniam laudabilem succum non gignunt) solum ijs vtatur, quæ aluum ducere possunt, vel vrinas, vt blitum, & apium. Nam brassica, & beta nimis praui succi est, & flatulenta. Sic & fructus nocent, quod serosam multam substantiam, & frigidam in venis aceruãnt. Vtetur tamen alui leniendæ gratia ficu passã, & vua pensili, & passis vuis. Vinum minimè caput tentet: Et si oxymel bibere vellet optimum factu fore iudicaret Galen. Ex carnibus palustria omnia, vel ex piscibus, vel ex auibus, & quæ crassi succi sunt euitentur: tenellis hædis vtatur, gallinaceis, palumbis, & montanis auibus. Demum sint concoctu faciles, & boni succi.

Brassica, & beta sunt nimis praui succi, & flatulenta.

Circa exercitationem animus quidem exercitandus est modicè

quòd

quòd id magis ad sanitatem conducat, quàm torpor, & segnities. Corpus quoque exercitatione manè facta, nec ea vehementi, nec veloce; quoniam sic potius commotio fit humiditatum, quàm absumptio; sed leuis incipiens, sensim increscat; nunquam tamen ad vehementiam vsque, qualis est cursus. Hoc vsq; quo defatigari cœperit, pòst sensim remittatur. Pro exercitio aliquando frictionibus vtendum; primùm ad infernas partes, postremò ad caput; idq; syndone adhibita, donec rubore artus suffundantur. Incipit verò à brachijs & per pectus, & ventrem ad crura deducit.

Soleo ego aliquando vnà iniungere victus rationem extenuantem, & medicaméta: potionem Indici ligni exhibeo, cum victu siccante, & extenuante; iuxta eam formulam, qua solet exhiberi his, qui gallica lue laborant. Hoc sanè testor, multos curatos; vt quod methodus antea inuenerat, experientia comprobet. Dictabat hoc ratio. Nam morbis pituitosis scopi sunt, tum totum, tum partem vacuare, & intemperiem frigidam, humidamque tollere, & membra roborare; quæ omnes vires inesse huic curæ videntur. Qua enim abstinet, concoquit è pituita quod est concoquendum: reliquum absumit, & siccat vi sua siccante, detergente, calida, quibus & intemperiem remouet. Demum & vi astrictoria, qua præditum sentitur cum bibitur, roborat. Viscum quoque quercinum cum laudari à veteribus audiuissem, propinaui semel, eadem ratione per dies quadraginta, & profuit quidem; non tamen morbum abstulit: neque licuit iterum id remedij experiri in faciliore morbo. Veteres albi veratri purgatione vtebantur: quauis de causa eueniret; multos curabant. Quòd si ex alia quauis parte cerebrum consentiat, illi prospiciendum est: si venter, purgatione bilis; & procurando optimá concoctionem: præcipuè verò vtendum his, quæ ventrem firmant. Si verò à vermibus, sat fuerit Aloen bibere, vel illinire ex vrina apri, & alia medicamenta vermium adhibere. Si ab alia parte: ipsa exulcerari debet, diuq; vlcus apertum detineri.

De Melancholia. Cap. XV.

MElancholię vocabulum commune est tum affectui, tum causæ efficienti. Est enim de his morbis, qui nomē à causa accepere, & ideo à doctis viris impositum. Si verò vox voci reddi debeat. Atram bilem significat: quam quia veteres existimarunt maximè mentē vitiare: ideo verbum μελαγχολᾶν pro insanire dixere: quoties scilicet sine febre insani fiunt, neque ab ebrietate, aliáue

Melancholia est insania sine febre.

procatarctica causa. Quis verò & qualis humor sit, quæ ve ipsius differentiæ, & qua ratione inter se differant: & quomodo in corpore gignantur, perscrutandum est. In hac enim re multi veterum laborarunt, nec facilè est ex Galeno accipere sententiam ob loquendi varietatem: & quoniam vocib. proprijs eas species non distinxerunt. Ex libro Galen. de Atra bile mõstratur, in omni corpore, quanquam sano, gigni aliquid, quod est instar fæcis in vino: instar amurcæ in oleo: crassa inquam & terrena portio totius molis succi distributi in iecur. Hæc in sano & bene temperato homine, modum non excedit; quanuis pro ætatis ratione & temporis anni (quæ duæ impresiones euitari facilè nequeunt) modò plus, modò minus illius aggregetur. Necessaria ergo, nedũ vtilis est eius generatio, dũ intra terminos consistit. Etenim portionem illius meliorem, id est, quæ propinqua magis est naturæ sanguinis, natura ad solida & terrestria membra alenda transmittit in venas: cuiusmodi ossa sunt & cartilagines. Quoniam verò si modum excederet, noxæ futurus erat: ideo membrum natura constituit, 5. de Vsu, quod ipsum ad se traheret, tanquam proprium futurum alimentum & familiare: itaque & venas, eius superflua abundantia expurgaret. Cum verò laxas eius venas & carnem subierit, atq; arteriarum multitudine & calore confectus in visceris alimentum transierit; quod reliquum est prorsus inutile, in ventrem transmittit atq; deijcitur.

Augetur eius modus nonnihil ex ætate, etiam in bene affectis corporibus: idque necessariò, non tamen adeò, vt sanitatis limites excedat. Causa verò augumenti est calor & siccitas, quæ duo in vigenti ætate dominantur. Exurit enim calor, & ex accidenti siccat, quantò magis sicco iunctum quod per se siccat. Quæ verò exusta sunt, nigriora fiunt: quæ autem siccantur, crasiora. Huiusmodi autem melancholia est. Augetur & æstatis tempore eadem ratione. Sed statim oritur dubium: Videtur enim ex calore & siccitate potius generari bilis flaua: quę calida & sicca est, quàm humor hic, quẽ frigidum & siccum dicimus. Siquidem humorum augmenta, proportioni temperaturarum respondere debent. Præterea tam Hippo. primo de Natu. hu. quàm Galenus mille locis, asserunt, deberi hunc humorem ex ætatibus quidem inclinanti: quam consistentiæ ætatem Galenus appellat: quæ & à trigesimo quinto anno incipit. Ideo apoplexias melancholicas à quadragesimo anno fieri dixit, Hippo. libro Apho. 40. in anni verò temporibus, Autumno. Respondetur, multa fit flaua ex calore sicco: multa fit atra: sed pro diuersitate materiæ in qua agit. Si enim tenuis est & pinguior, in flauam bilem vertitur: atque amarorem contrahit: si crassa substantia, tandem

Exusta fiũt nigriora. Crasiora fiunt quæ siccantur.

tandem in atrum humorem. Quare vtrunque fatendum est, à calido siccoq́; fieri: proinde & eo tempore: & ea ætate abundare. Respondetur etiam in Autumno generari, quòd adhuc caloris adsunt seminaria, & siccitas viget. Quoniam verò maiore vi exuruntur quæ crassa & terrestria sunt, ideo plus temporis exigunt vt talia reddatur, quare non ineunte iuuenta, sed procedente, multum abundare incipit: & maximè abundare apparet in declinante. quoniam & refrigeratur corporis habitus, inquit Hippo. vnde prorsus frigida euadit. Et ignis seminaria in ea pereunt fitq́ue prorsus frigida & sicca.

Sic & de Autũno dicatur. non quòd propria eius generatio in Autumno sit, quanuis & eo tempore sicco, cum caloris reliquiæ absumptæ non sint, nihil inconueniens sit aliquam eius portionem gigni. Hæc est Galeni sententia, tertio Aphor. 20. & primo de Humana natura. Abundat in Autumno atra bilis ob æstatis exustionem. Signum horum est, quòd secta vena, sanguis longè crassior & nigrior hoc tempore, & hac ætate apparet: quod scilicet multum humoris melancholici hîc est admistum cum sanguine, ob eas causas. Hæc de humore melancholico, qui in quantumuis sanis gignitur, multum tamen habens diuersitatis, tum in crassitie, nigrore, & cæteris qualitatibus pro temporũ (vt diximus) & ætatum diuersitate: multum & ex naturali temperamento. Hoc enim si calidum & siccum sit, multum augetur, & nigrior fit, vt Galenus voluit: qui in hirtis corporibus, & quibus latæ adsunt venæ, & macris, abundare eum dixit.

Patet igitur ex ijs, quòd humor melancholicus generationẽ, primùm habet prorsus naturalem, vtilem & necessariam in concoctione sanguinis: idq́ue in omni ætate & temperamento. Aliã verò ætatis, temperamenti, & anni temporis ratione, quibus adhuc amplior gignitur, velut occasionibus quibusdam. Hic igitur frigidus & siccus est: quoniam terreus euasit, vt omnia quæ exurũtur: ille verò ab initio erat, quoniam similiter terreus erat. Ille nulla intemperantia genitus est, sed necessitate quadam: ideo mitior & benignior: hic sapit quippiam præter naturam: quod non secundum naturæ intentum prorsus est genitus. Neuter tamen, dum intra suos limites consistit, morbosus est: quanuis multa sit differentia; quam etiam in liene adnotauit Galenus, cuius color multum differt ratione naturalis temperamenti, vt in sue & boue: multum ætate, vt puero & sene: multum regione & anni tempore.

Dico autem intra limites hunc consistere, quoties nec quantitate excedit, nec qualitate. nam vtrouis modo excedat, morbos facit:

quantò magis si vtraque ratione? Incipit quantitate solum excedere, victus ratione, cū quis crassis cibis alitur: cuiusmodi sunt carnes salitę omnes, & cetacea omnia ex piscibus, & dura: & animaliū quorundam carnes, præsertim syluestrium. Cuiusmodi ceruina est & leporis, & aues palustres. Qui enim diu his assueuerit, hunc humorem aceruabit: qui si diutius in corpore maneat, neq; à liene expurgetur ob eius imbecillitatem; vel quia plurimus est, tandem etiam superflua mora, à calore semper agente exustus, in qualitate quoq; vitiabitur: & fiet vtraq; ratione naturæ inutilis.

Salitę carnes, & cetacea omnia. Leporina caro, ceruina, & aues palustres generāt humorē melancholicum.

Sic & ex cæteris vitæ studijs euenit, corpus siccantibus: vnde humores sicciores euadunt, & totus sanguis terrestris fit magis. Vigiliæ inquam, sollicitudines omnes, & cogitatio multa, vt in studijs (quod maximè cauere vos hortor. Neq; enim præter rationem, vulgares putant multos sapientes delirasse) sic & exercitia immodica, & cibi abstinentia facit. Fit & exhaustis præter naturam, vt febribus exurentibus, non parum. & quidem in sanguinem mittentibus visitur. Quòd si post dies quosdam mittatur, multò nigrior spectatur, quàm si ab initio. Hinc lien sæpe intumescit, quòd multus sit humor, qui attrahitur: non potest aūt ob eius contumaciam, & concoctionis debilitatem conficere, neque expellere quod eius est inutile. Hinc fiunt cutis colores praui ad nigrorem vergentes. Quòd si eiusmodi humor manens adhuc in corpore amplius exuratur: tandem pessimam induet qualitatem & naturæ aduersissimam. Etenim acris fiet admodum & mordax, perinde atque acetum: odore, ingrata: sapore, acida: quam ne musca quidem omniuora degustet. Hæc seu qualitate sua; seu etiam quantitate noceat, diros morbos parit in corpore: nempe lepras, psoras, elephantem, cancrum. Si alijs humoribus temperata, chironia & temlephia vlcera, & lethales dysenterias. Hanc propriè atram bilem veteres dixere: liquato bitumini, aut pici atræ, tum colore, tum consistentia & splendore persimilem: quæ in bene affecto corpore neutiquā reperitur. Nam atrum humorem quantumuis à natura recedat, modò ad has conditiones non peruenerit, non propriè atram bilem dixere, sed melancholicum humorem. Atrum verò sanguinem, qui eo multum participat: quanquam sæpe videas Galenum, suæ legis immemorem, hæc confundere: & nomen bilis atræ, melancholico succo tribuere. Fit autem eius materia gignenda, primùm ater hic humor: vt dixit Galen. 4. Aphor. & nos exposuimus: fit & bilis ipsa flaua exustione. Primùm enim ferrugineo colore fit, mox atro & splendenti. quæ etiam multo est priore malignior, vt in libro de Atra bile scribitur.

Cum

Cum mentem tentant humores hi, à priore quidem metus, mœstitia, desperatio oritur: à posteriore verò furor, rabiesq;. Nos verò de priore dicemus primùm. Cuius naturam si explicare velimus, dicemus, esse cerebri intemperiem frigidam & siccam cum materiei affluxu: causam verò eius intemperiei etiam melancholicum humorem, qui corpus ipsius irrigat, alterat, atque ad intemperiem deducit. Vt enim in comitiali dicebam: humores hi possunt officere cerebro, vt similari parti, & vt instrumento, atq; ita modo comitialem gigni, modò mentem lædi ab hoc humore.

Cum Hippo. notas melancholici affectus enumerare vellet, duo symptomatum capita exposuit: nempe metum, & mœstitiam. nam cum variæ afficiantur circa animum, omnes tamen in hæc genera reduci videntur. Sẽper enim tristia imaginãtur, expectãtq; sine causa, idq; seu per visum dormientes, seu vigilantes. Odio etiam homines prosequuntur, etiam quib. delectari iustum erat: itaque & solitudinem diligunt, omnia metuunt, & etiam minima se facere posse desperant. Quòd si quando adoriantur, & furore concitentur: hoc illis contingit quod brutis, quæ timore malefica sunt & insidiosa. At hi ab omnibus metuunt, utq; inimicos agnoscunt. Vtile uerò est, vt Galenus inquit, ipsius inuadentis affectus, primas notas deprehendere: quando etiam curam potest admittere. Etenim notæ hæ leues initio sunt: adeò vt qui accurati sunt, & rei periti, ipsimet aduertant: vt de quodam Galenus ait. Et nostra ætate medicus quidam longè antè aduentantẽ morbum præsensit. Primùm verò distinguere oportet ipsius modos, vt Galenus facit. Alius est enim ex proprio cerebri affectu, quem definiuimus: Alius verò quia ab aliquo membro cerebrum continuè afficitur, & illi affectus materia subministrat: quem possumus vel secundarium cerebri affectum, vel per consensum dicere. Primùm igitur signa proprij affectus dicamus: omnia circa cerebrum apparere cum primùm inuadunt. Primùm in somnis terreri incipiunt: nam talia ijs visa apparent, qualis est qui cerebrum afficit humor; vt in libello de Præsagijs ex insomnijs habetur: tristiaque omnia offeruntur, & terribilia. Post hæc somnum capere non possunt, & diu vigilant: nempe quia humor qui intemperiem facit, frigidus est & siccus. Rursus incipiunt vigilantes quoque talia timere, & cogitare semper tristia: attamen verentur adhuc alijs proferre: quoniam non omnino læsa ratione, ad sese redeunt. Nam cum postmodum & verbis & gestis proferunt quæ imaginantur, iam confirmatus est morbus, id est, vigorem assumpsit. Multa verò differentia horum est, pro materiei ratione: nam quibus exusta bilis flaua est, furore cientur, & odio, & tamen

Signa melancholici affectus.

Melancholicus affectus inprincipio curã potest recipere.

metuunt. Minus verò sæua sunt symptomata, vbi exusta sit melancholia, vt Galenus dixit, & nos exposuimus: quicquid dicat Auic. Alium verò atrę bilis modum imaginari, vt iuniores faciunt, melancholiam sanguineam, & ex phlegmatis exustione, vanum est & inutile.

Sed multa fuit inter veteres quæstio: qua ratione ab hoc humore gignantur metus & mœstitia, si sedem animæ attingant. Galenus enim tertio de Loc. dicere videtur, terrorem hunc ijs euenire, non alia ratione, quàm pueris accidat in tenebris terreri. Sua enim ratione tenebrę pauorem incutiunt omnibus: vt contrà lux securos omnes facit. Hoc idem melancholicis in ipsa quoque clara luce euenit. Nam sedes animæ ab eo humore nigro ita afficitur; ac si locus omnis tenebrosus sit. Sed vt Galenus terroris causam assignat, cur non & mœstitiæ? Præterea, Auer. contra hoc inuehitur, Galenum deridens. Anima enim non videt, inquit, ea, quæ in corpore, nec ab ijs mouetur: sed ab ijs quę visibilia extra occurrunt. Vt enim nemo experitur se interna cerebri intueri, quomodo colores intuebitur? & si nigrum, cur non rubrum & flauum?

Profectò horum causas reddere difficile est: adeò innumerę sunt eorum proprietates. Credendum tamen, temperamentum frigidum & siccum, vt in senibus, metum parere, & inde mœstitiã: quod à multis timet, & parum sæpe abest à melancholico. Similiter & ijs, qui ab initio tale temperamentum sunt sortiti. Quanuis enim audacia & timor cordis propriè temperamentum sequantur: attamen facilè cerebrum, ipsum in consensum trahit. Quòd verò necessariò cor patiatur, patet: quoniam omnes cordis spiritus alterantia exhibent. Nam si communis sit intemperies, facilè potest cum timidus sit, vitiari ratio, maximè circa timorem: vt scilicet ea metuat, quæ non debet, & mœreat de quibus non debet. vt contrà, audaces, vbi calida temperamenta cerebrum afficitur, & inde cor, euadunt, & circa rixas, & contentiones, & studia delirant. Fient igitur hæc accidentia ducto in consensum corde.

Distinguendum quoq; est, num melancholia in solo cerebro aggregetur; an etiam vnà in toto corpore. hoc enim ad curationẽ multum facit. Hæc autem distinctio, primùm coniectura vniuersali habetur, quà de dominio in corpore conijcimus. Primùm ex habitu corporis. Nam hirti, macilenti, & nigri, melancholicum succum facilè aceruant, & qui victu siccante sunt vsi multo tempore: tum quo ad corporis actiones, tum animi: & cibos crassos diu ingesserunt. His adde ætatem inclinantem iam. quòd si etiam hæmorrhois aliqua solita fluere restricta sit, multum facit ad coniecturam de ple-

nitudine

nitudine eius humoris in toto:quin & venas conſpicatus, tumentes,& nigricantes inuenias. Sæpe & varices multis locis oriri. adde &melancholicos morbos,durum lienem,ſcabiei genera,vlcera praua,prauos colores,nigrum,fuſcúmue admodum. Hæc coniectura, quam etiam ſanguine extracto cõfirmamus, qualis ſit inſpiciamus. Quòd ſi per hæc non abundare in toto cognoueris,relinquitur, vt caput ſolum ſit affectum, quod bifariam poteſt contingere: Vel enim portio melancholici humoris in caput fertur è reliquo corpore:vel venæ ipſius intemperie calida affectę,ſiccaque, ipſum genuerunt,ſanguinem permutantes,qui illuc alimenti gratia fertur. Hoc in phrenitide fieri cõtingit exuſto ſanguine,aut ardente febre. Hoc in pulmonia accidit,cum ad cerebrum conuertitur. Fit etiam propterea cerebro,cum ipſum ſolùm deliquit:aut maximè hoc accidit, cum non adeò circa reliquam viuẽdi rationem delinquitur,ſed curis,cogitatione,& vigilijs multis cerebrum multum ſiccatur. Nam primùm hęc calorem exurentẽ gignunt,& ſanguinem exiccant;qui poſtmodum refrigeratur calore imminuto, & ſic atra bilis fit prorſus,vel ad ipſius naturam vergit. ¶ Eſt cum prorſus per conſenſum etiam videtur, cum ſcilicet ſolus vapor quidam melancholicus ad cerebrum fertur:cuiuſmodi etiam phrenitides eueniunt.Pars verò à qua noxam ſuſcipit cerebrum,circa præcordia maximè eſſe ſentitur:ideo hypochondriacum affectum dixere. Compræhendunt autem eo nomine partes omnes ſub coſtis ſitas. Symptomata verò quæ ſentiuntur,maximè ad ventriculum & inteſtina attinent: rugitus,inquam, flatuum multitudine, ructus craſſus & acorem præ ſe ferens,& vomitus:anxietudo quoque & labor his leuatur. & ſi deijciat probè aluus,cruditatibus maximè infeſtantur:procurata verò concoctione iuuantur: adeſt ſaliuæ multitudo tenuis: lien ſæpius intumeſcit. Sed adhuc melancholicos non dicas,ni propria adſint eorum accidentia.Hæc enim potius affectæ partis notę ſunt, quàm morbi,id eſt metus & mœſtitia. Ego cum aliquos curarem leuiſsimè delirare eos ſenſi, vtpote qui ſolùm quædam præter rationem pertimeſcerent, attamen in cæteris optimè ſe gererent, neque aliquid præter dignitatem committerent. Cauſa eſt craſſus ſanguis ſparſus per meſenterij venas & omenti, & ibi exuſtus adeò vt frigidus,& ſiccus,& ex natura atræ bilis redderetur. Nam reliqua cauſa,quam ponit, eſt impoſsibilis, quanuis eam iuniores numerent. eſſet enim acutus morbus, & cum febre. Gal. non diſtinxit quam potius accipiat.

Hyppocondriaca.

¶ Curatio verò morbi capita diſtinguere debet: atq; in primis ab affectu cerebri proprio incipiemus. Cum autem duo capita habeat

Cura.

ab eo inchoabimus, in quo cerebrum ſolum afficitur. Is verò, ſi adhuc recens ſit affectus, facilè curationem admittet. Etenim vt Galenus ait victu boni ſucci & humectante vnà & balneis adhibitis curaui. Primùm igitur locus eligatur, in quo moretur, clari & purgati aeris: quo etiam delectari ſoleat, & animi gratia per ſanitatem ſecedere. Cibis verò vtatur quales Galenus deſcripſit: Concoctu enim faciles ſint, non craſsi, aut viſcidi: quo excluduntur legumina; ſeniorũ animalium carnes, & ſalita omnia, & caſeus omnis: cõprehenduntur verò anniculi agni, caſtrati caro; & hædi lactentis, & vituli, & gallinaceorum præſertim caſtratorum, quos capones dicunt: oua ſorbilia, ſaxatiles piſces, & fluuiorum, excepto lucio, & alijs qui in ſtagnis degunt: & demum omnes, qui molli ſunt carne, vt experientia monſtauit. Quod verò humectare debeat, ex aqua coquantur, ſine conditura. Quòd verò dicimus boni ſucci eſſe, olera excludimus; lactuca excepta, & bugloſſo vtraque. Vinum verò tenue, ruffum, vel vermilium; leui odore, nulla acrimonia, ætate media, quantitas verò mediocris ſit. Nec enim ſe affligere debet abſtinentia: quoniam obeſt admodum: nec crapula confert ob flatus & cruditates vitandas. Tantùm igitur dandum, quantum probè concoquit: & totiens vt per ſanitatem conuenit.

Motus verò corporis ita componere oportet, vt ſat ſint excrementis purgandis, nõ tamen ad ſiccitatem & reſolutionem corpus deducant. Hoc maximè fiet, ſi ijs vtatur, quibus ſanus vti conſueuit: equitare, deambulare, arbores viridariorum colere. Animus verò in omnem lætitiam componatur, & ab omni fixa cogitatione auertatur. Id fiet, ſi ſubinde noui ludi, & fabulæ proponantur: & prorſus ſolitudinem euitet, & cum his verſetur, qui maximè ſunt grati. Cantus quoque & choreæ, & ſoni ad lætitiam, & tripudia excitantes, proſunt. Nam magnam vim in vtranque partem habet muſica, vt mœſtos grauique animo facere poſsit: qualis Dorica erat: rurſus Ionica laſciuiam & lætitiã parere. Qui verò vnà verſantur, blandè admoneant, neque multa proteruia aduerſentur: ſed aliquid concedát. Auerſantur enim ſæpe eos, qui quaſi affectus eorum videntur contemnere: vnde & aliqui ſunt, qui ranas arbitrantur in ventre geſtare, alij verò viperam: concedere debemus, & ſpem de curatione facere. Ad hæc attinent balnea temperata, non frigida, non calida admodum: ſed modicè. quibus ad caput quoque vtemur, vt & ad nares violaceo; quibus etiam ſomnus prouocatur; in quo multum ſpei eſt: nam eò maximè cerebrum humectatur, ideo varijs ingenijs eſt prouocandus: ſed hæc præcipua. Humectat autem tum per ſe, quod alimentum concoquit optimè, & irrigatur ab infernis venis: tum

Muſica magnam uim in lętitiam & mœrorẽ habet.

Dorica & Ionica muſica.

tum ex accidenti, quoniam labor omnis tum corporis, tum animi sedatur. Rases in hoc morbo, siquidem sequatur phrenitim: vel plagam capitis, id est, quæ phlegmonem fecerit, & inde exustio ex caloris vicinitate sit sequuta, venam vult incidi, & oxyrhodino vti, non video quomodo post hos morbos conueniat. Primùm quoniam in eorum curatione facta est. Oxyrhodino verò vti, quæ est causa, cum repellere animus non sit? Lactis verò calentis ab vbere vsus non erit incommodus. Si verò cum solius capitis sit affectus, attamen diu protrahitur adeò, vt humor ibi genitus vacuationi nó facilè cedat, maiore vi instare opus erit. Adhibita itaque ea victus ratione, quam diximus, de purgatione est cogitandum. Quotidie itaque epithymi, & aloes ℈ ij. exhibere conuenit, inquit Paulus, & ita leuiter purgare. Epithymum enim atram bilem purgat, aloe flauam, quæ sæpe materia est ipsius atræ, & necessariò in affectu gignitur: quando ex merore & vigilijs humores cerebri exuruntur. Potest enim polypodio, sena & epithymo propinari decoctum. Potest & ex nigro veratro. quod mox describemus. Secundum caput est affectus qui toti est cõmunis, quando habitus totius non capitis solùm, fuerit melancholicus. Hîc igitur reuocare omnia quę in priore oportet, circa victus rationem. Humectare nanque vniuersum corpus opus est, & modicè calefacere. Cæterùm plus vacuatione est opus: quoniam multus est humor, quando ad eam naturã ductus est sanguis omnis. primùm igitur de sanguinis missione cõsultandum est, & stãte ea plenitudine: si nihil obstat, vacuandũ quantũ plenitudo venarũ monet. Eligẽda verò è venis media, quoniã ea, & à supernis pariter, & infernis euacuat. Sed dices, cur est quòd in hoc morbo mittimus sanguinẽ, cum liceat alia via, in longo morbo, & vnde non imminet periculũ mortis, vacuare? Nam calorẽ à corpore tollere & spiritus incongruum videtur. Hîc multum laborant iuniores & nihil dicunt. Respondeo iuxta Galen. libro de Ven. sect. in copia melancholici sanguinis mittere præstat: nam non facilè alijs ingenijs absumitur ob crassitiẽ: itaque manens ea multitudo in corpore, quã natura nequit conficere, necessariò ad prauã & vitiosam qualitatẽ conuertitur, & fit atra bilis. Cum verò tu dicebas, tolli spiritũ Respõdetur, euacuatur materia mali spirit⁹ (neq; enim optimus ex ea materia gigni potest) & reficitur bonus diligentia adhibita in victu. Quòd si dicas 4. de San. tuen. vbi malus sanguis multus fuerit bonus exiguus non est mittendus. Respondetur, si vires adsunt, non potest esse exiguus: nam in magno succorum vitio non constãt vires. Erit igitur hęc sanatio per epicrasim. Vitium enim humorũ tripliciter corrigitur, 6. Epid. 2. 7. Primùm alteratione, si posit: secun-

dò vacuatione confestim facta, si id expedire videas: tertiò epicrasis quæ etiam vacuatio est, sed sensim fit. Primò modo in priore cura vtebamur, tertiò modo in hac. Emisso sanguine, de purgatione est cogitandum. Quidam volunt prius multas purgationes adhibere: nec probabilem rationem afferunt: credo inter initia faciendum frictione adhibita, vel præexercitato corpore: vt suprà de Apoplexia ex crasso sanguine diximus. nam etiam ad purgationem faciet, quando medicamenti vis erit in attrahendo maior, cum crassus sanguis minus venas obstruet. Fiet etiam iterata, vt minus vires lædat: fiet lati vulneris, vt vena transuersim incidatur.

Ad purgationem primùm corpus parandum est: paratur autem maximè victu qui expositus est. Quæ enim humectant, & modicè calefaciunt, liquant terrestres humores. Fit etiam per ea quæ extenuant, non tamen siccent admodum, vt est oxymel Iuliani, addendo decoctum eorum, quæ corroborant: cortices buglosi vtriusque & flores, & melissam, & ad extenuandum epithymum.

Cum hæc per dies aliquot exhibueris, tentare oportet, quomodo ad purgationem se habeat æger, idque leuibus medicamentis primùm, qualis est potio ex epithymo à Rase posita, ex qua licet sex aut octo vncias exhibere. Postmodum ad fortiores transire, capiendo eius pilulas ex agarico, aloe, elleboro nigro. Hîc soleo propinare nigri veratri radices, id est, earum cortices decoctas: hac ratione: accipe earum vnciam mediam, infunde in libris duabus aquæ, contusas leniter, per horas quinque. Postmodum adde ad extenuandum & odorem gratum faciendum, cinnamomi ʒ. & seminis dauci, & epithymi. rursus passularum manipulum, & floris buglosi tantundem. Ferueant donec dimidium absumatur: sunt doses duæ cum saccharo: singulis dieb. manè propinetur. His fortiora sunt electuarium Indum, & pilulæ ex cyaneo lapide descriptæ: quibus postremò vteris, si his non cesserit. Post purgationes, his vtere medicamentis, quæ lętificantia dicunt. aliqui cortices radicum buglosi ex vino albo per dies infusas bibunt.

Iis verò qui hypocondriorum affectu laborant, ferè itidem succurritur. Primùm vena secta, vt purgatio felicius procedat: etenim obstructæ hæ venæ sunt, per quas fertur humor, & ex morbi diuturnitate sæpius impactus est; vnde nō facilè cedit medicamentis. Parcior igitur fieri debet hoc casu. Rases ex sinistro cubito, vel manu haurit, quod imaginatur ex liene malum prodire. Purgatio verò hoc loco maximè per superna fieri patet apud Paulum. Vult enim purgare ex albo veratro; quod vomitum est, vel ex alio similiter purgante,

gante, vt est asarum & origanum. Ad hoc, vnde præsertim ducitur, quoniam vomitu assueuere: & natura per eas partes tendere videtur. In cæteris prorsus eandem cum cæteris curam habent, excepto quòd priuatim ventriculum roborare oportet, & flatus discutere. Materiam per epithemata transferre & absumere, cutem inurẽdo: victus quoque ratio multò exactior conuenit, quòd cibi integræ qualitatis eò perueniunt: & debilis calor deterius concoquit: & facilè obstructis primis venis læduntur.

Melancholiæ cum furore curatio.

Porrò eos, qui furore perciti sunt, quis ita tractare audeat, vt ijs aut venam secet, aut medicamenta propinet, quando nulla ex parte obsequuntur, donec morbus mitescat? Itaque vinculis statim cohercere eos conuenit: atq; ita in molli lectulo vinctos reclinare, vt quondam iussimus. Quẽdam, qui tali erat habitu, vt si melancholicum depingere voluisses, ipse exemplar foret. Qui cum æstate media vxorem iuuenculam duxisset, vt solent esse ad coitum proni, vt Aristoteles testatur, adeò profusè venere vsus est, & præsiccatus, vt non post multos dies vehementi furore esset percitus. Hunc vinculis cohibitum, embrochis, & victu humectante curauimus: nõ adeò tamen, vt fidere illi aliquem suadeam: etenim oculis & facie torua adhuc furorem quendam præ sefert. Tunc verò deploratos eos æstimate, cum cibum prorsus renuunt: & nullo auxilio somnum capiunt: quando etiam opiatis ex aqua lactucę vtendum est.

De Ophthalmia. Cap. XVI.

Ophthalmia nomen ab affecta sede sumpsit, scilicet ab oculis, quasi oculi morbum dicas. Latini lippitudinem ab accidente scilicet excremento, minus propriè nominarunt, quòd multos quoque alios affectus lippitudines appellent, quòd eo excremento abundant: vnde & diuturnis quidam oculorum morbis affecti lippi vocantur: vt Hora. Græci verò velut antonomasticos, dixere oculi morbum, nomen generis speciei adaptantes, quòd hic grauissimus omnium esset.

Est autem, vt à definitione ordiamur, hic morbus phlegmone membranæ: quam quòd omnium aliarum operimentum sit, Arabes coniunctiuam, Græci epipephycota, id est adnatam, seu aggenitam, seu supergenitam dixere: quòd omnes alias oculi partes ambiat, ab anteriore parte, vsque ad iridem, dictum, circulum. Hanc Galenus ab ipso pericraneo oriri vult. Vnde & inquit, phlegmonẽ

esse membranæ, quæ pericraneum dicitur. Nam si simpliciter audiâtur hęc verba, falsa videntur. Nimis igitur ambitiosius loqui Galen. videtur, quanquam qui ambitiosè hinc & inde verba Galeni colligunt, & Pauli, & Ætij, cunctaque in vnum confusissimum chaos redigunt, hęc non aduerterint. Quis non rideat, hos de phlegmone oculi loqui proponere, postea varios effectus, dolores ab erosione, à distentione, à flatu, imprudenter miscere? notarij profectò & transcriptores potius dicendi, qui siue de plantis loquantur, adeò loquuntur ineptè, quasi nullas inspexerint: siue de curandis morbis, quasi ne ægrum vnquam viderint. Mirabitur autem aliquis, quî fieri posit phlegmone in adeò exili corpore. Sed mirari non debet, qui norit talem quoque esse phrenitidem, talem & pleuritim, vt in dissectis vidimus. Vena enim cum lentum & ductile corpus sit, facilè distendi humore potest, & quæ prius obscura erat prorsus, nunc in conspectum venire.

Quod igitur in nulla alia phlegmone animaduertere posis, hîc manifestè visitur: initium scilicet influxionis & augmentum ipsius; & cum est maxima. Etenim non per notas vt in alijs, sed ipsis oculis vsurpamus: ideo & principium ipsius notare possumus. Cum venæ distenduntur; mox augmentum, cum in carnosam tunicæ substantiam sanguis funditur, & iam intumescere incipit. Status verò cum ad suam magnitudinem peruenit influxus: quæ modò maior, modò minor est, prout aut humor affluit in corpore, aut remedijs à medico est obuiam itum: quibus cesit morbus. maxima verò tunc est cum non modò ipsa intumuit, sed & palpebræ crassæ & inuersæ visuntur: & vnà oculi orbita phlegmonem omnis pati videtur. Sic igitur morbi tempora distinguemus, & morbum ipsum, & morbi magnitudinem, vt & Rases. causa verò est sanguis, venis & substantiæ tunicæ impactus.

Sanguis verò non semper solus, sed aliquando & bili, imò plerũque admistus: nam pituitosus vix credi potest, vt faciat in eo corpore tumorem præter naturam, vt Galenus de pleuriti argumentatur, quarto de Præc. ex pulsu. Necesse itaque est, vt ingens dolor excitetur, à quo etiam fluxio continuè excitatur: tum ob materiæ qualitatem; tum ob partis angustiam, ac sensibilitatem. Lachrymæ verò, num ideo quia cerebrum compatitur, vt Grad. ait? & sunt sicut flentis? Sed hęc ridicula sunt Est igitur lachryma nõ alia ratione quàm quæ est in alijs phlegmonis, quæ tenui, & rara cute sunt obductæ vt pleuritis, pulmonia, angina. Semper enim aliquid etiam ab initio excidit, nisi sint vehementer prauæ, id est, adeò rebellis materia, & ita impacta, vt nullo modò excernatur. Quando etiam pericu-
lum est

lum est ne membrum in gangrenam transeat. hoc fieri ait ex meatuum angustia, primo de Cri. Merito itaque à Rase inter signa ponitur, quòd plerunque adsit. Hæc verò tenuis humiditas semper crassescit: quo magis cõcoquitur. Quo loco nõ leuis dubitatio est, quòd dixerimus tempora morbi esse ex symptomatis sumenda. Sic enim coctionem ipsam non sequentur: quod tamen concedere videbatur Galen. primo de Cri. Quòd autem non sequantur, monstratur: nam tunc maxima sunt symptomata, cum vel nihil adhuc excernitur, vel parum & tenue. Cum concoqui iam incipit, omnia remittuntur, multis de causis: tum quia humor benignior euasit, & minimè mordax; tum quia minor iam factus, minimè extendit, & dolorem facit. Adde & calorem eius remissum esse, & demũ omnia quæ contristabant: ideo quo ad accidentia est declinatio: imò & quo ad morbi essentiam. Hinc distinctionem eam inuenerunt temporum morbi: futilem sanè, imò ridiculam. Quid enim attinet concoctioni tempora habere? aut si habet, quid ad morbum facit, vt vigere & florere dicatur, quando ipsa perfecta est? Respondetur, tempora sic summi, vt principium dicatur, cum symptomata quæ morbum comitantur & propria, nota dignum augmentum non habent; sic augmentum ex eorum augmento: non quòd morbus ipse per ea augeatur, aut cõsistat in vigore: sed quia per ea dignoscitur, vt per clarissimas notas & maximè certas, & efficaces. Habentur & sæpius signa ex cõcoctione: quoniã sæpius vnà cum actione illa natura symptomata increscũt in phlegmone. Quare iudicium à coctione ineffi cax est non perpetuum vt à symptomatis. Et hoc est quoniam materia non excernitur continuè, sed concoquitur. At vbi contrà eueniat, semper excerni, quoniam minor semper est, quanuis cõcoctionis ratione deberent symptomata maiora esse, attamen quia minima est materia, minora multo sunt.

Mirum tamen de Galeno qui de Ophthalmia loquens, eius tempora ex coctionibus ponere videtur. Respondetur, monstrat excrementa in omni phlegmone, & in omni fluxione tales mutationes suscipere. Licet aliquando cum ijs, symptomatum magnitudo augeatur, aliquando minuatur: sed increscere per se erat: non increscere ex accidenti, ideo ipse monstrat quid per se notæ illæ coctionis significarent: fusionem inquam, & vaporum generationem, vnde maior tensio fit, & dolor. Siquidem vsquam in perfectam coctionem maxima saltem materiæ portio esset seruata. Et primo de Cri. tempora pleuritidis, ex sputis conijcit & nominat. Respondeo, per similitudinem ad alios morbos qui reseruant, dicitur id, ex signis maturationis habent tempora, vel quia tunc habuisset, si modò alio

rum proceſsiſſet,& quantum ſit de natura morbi & cauſæ. Ad dubium contrà hoc, in declinatione æger non moritur: ante coctionẽ mori poteſt: ergo non eſt ante coctionem declinatio. Vel diſtinguẽdum eſt de declinatione accidentium, & de ea quæ coctionem ſequitur. An non morietur etiam poſt illam declinationem, ſi iure facta ſit, id eſt, ex vacuatione cauſæ morbi? Et quidem ſi propriè loqui velimus: tempora phlegmonis ſecundum influxionis quantitatem ſumi deberent, vſque quo conſiſtat. Sic enim propria eſt phlegmonis generatio: augmentum & vigor. Nam vbi ad ſuppurationem materia tendit, iam alia tumoris ſpecies gigni incipit, nempe tumor ſuppuratus: qui etiam ſua tempora facit, prout materia magis concoquitur: & dum concoquitur, calorem, tenſionem, & dolorem magis excitat. Et de his quidem temporibus, quæ ex fluxione ſumuntur Galen. ſæpe, & alij loquuntur, cum in principijs merè repercuſsiua adhiberi volunt: in augmẽto admiſcere aliquid quod reſoluat, in ſtatu æquè ſe habere vtraque. In declinatione verò reſoluentia, ſolum vtilia ſunt: & relaxantia. Secundo de Med. ſecundũ locos inquit, Vigentibus, roſaceum ſolùm adhibetur, incipientibus, cum aceto: declinantibus, ſi reſoluuntur citra duras reliquias: relaxantibus vtitor. Si cum his, illis qui incidant & extenuent, non ſecus, atque ad ſcyrrhos. Fortè in reliquis tumoribus melius dixiſſet Galen. augmentum eſſe, cum augeatur moles: auctionem verò fieri etiam coctionis ratione: ſi non, influxus ſolum. *

** Aliter dic tẽpora ſemper ſumi ex actionis læſione, vt in ſtatu maxima ſit. Sic et ſuffuſionum tempus & in alijs morbis capitur. Ideo optima ex ſymptomatis. Sed præcognito eorum præcipua eſt ex notis coctionis.*

Eſt autem & illud aduertendum, quòd quanuis phlegmone dicatur, multa tamen eſt pluris & minoris differentia. Etenim aliæ plus bile, ſeu biliofo ſerò participant: aliæ pituitoſo. Sic & aliæ tenuiore ſunt ſanguine, aliæ craſsiore. vnde multa fit in ſymptomatis differentia, quib. ſignificatur morbus. Etenim aliȩ quæ craſsiore ſunt, diſtentione magis cruciant; quòd fluxio è tunica perhibetur excerni. Contrà aliæ multum excernunt, è quibus aliæ excernunt acræ ſerũ & mordax: vnde & morſu & roſione dolorem faciunt. Aliæ mitius excernunt, quibus ſerum pituitoſum eſt & tenue. Sic & color euariat, rubeus magis, aut minus. Ex hoc tamen non debemus dicere, vt Auic. Ophthalmiam ab omni humore fieri, etiam à flatibus. Hoc enim eſt dolorum cauſas, maioris, vel minoris afferre; non ophthalmiæ ſpecies facere. Vnus enim eſt morbus ſicut pleuritis, & phrenitis, non multæ ſpecies: licet vt illi quoque, nonnihil euariet: quanuis ſciamus oculum varijs fluxionibus tentari poſſe: quæ dolorem excitant, & propriam curationem expoſcunt: & nos de ijs poſtea dicemus. nunc enim de phlegmone eſt agendum.

Prognoſticum verò attendendum, vt in quibus mollior morbus

ſit:

ſit,vel grauior,dignoſcamus,& in quibus ſuffuſionis periculum immineat,aut cæcitatis.Sæpe enim diſruptæ ſunt fluxionis impetu tunicæ,& oculus reſiccatus.Primùm igitur conſiderabimus quod Raſes ait,eius magnitudinem ſignificans,quæ etiam oculis vſurpatur, & ex magna non modò in præſens magna inuehuntur ſymptomata:ſed & periculum adeſt, vt quæ multa fluxione conſtet,& corneam quoque afficiat. quam vel exulcerari tandem periculum eſt, vel impacti humoris reliquias reſtare,ac ſuffuſionem fieri. Facilior verò curatu eſt reliquis phlegmonis, quando,vt diximus,magnitudo eius,& incrementum,& vigor,oculis quoque diſcernuntur.

Quis igitur hos ægros curandos ſuſcipit, vſquequo morbus inclinet,ſic tractabit. Etenim domi in obſcuro cubiculo continebit:à quo calor omnis excedens,& fumus abſint,atque in integra inedia ſeruabit, vſquequo fluxio reſtiterit: vel ſi quid dare cogatur, id erit frigidum actu & poteſtate,&exiguum,vt farris, vel ptiſanę cremor. Quòd verò & à vino abſtinere oporteat, nemo dubitauerit, & potione omni vaporoſa:vel ergo aqua ſola excocta, vel diluta mulſa. Etenim à dulcib. abſtinendum putat Raſis,quia in bilem vertũtur.

Methodus verò curandi hæc eſt,quam & Gal.proponit,4.de Medi.ſecundum lo. Cum enim phlegmone ſit in extima, & alba oculi tunica, neceſſe eſt vt curatiuos ſcopos ab ipſa phlegmones natura accipiat:mox ex natura partis, congruũ eorum vſum, & ſpecialem electionem habeat.

Eſt autem phlegmones curandæ ſcopus,ipſius augmentum inhibere: atque eius factum perſanare. Inhibetur ablata præcedente cauſa,ſanatur ablata coniuncta: mox & proprijs ipſius morbi contrarijs.Igitur phlegmone intemperiem,& ſolutionem continui cõplectitur: quoniam morbus compoſitus eſt. Ex his dolor, qui aliquando mitis exiſtens, nullam opem priuatam deſiderat: aliquando grauis,cum ope exigitur: non tam propria ratione, quòd vires deſtruat,tum totius,tum partis:quàm quòd fluxionem,id eſt,morbi cauſam auget, & ſomnum aufert, cuius ratione morbus leuatur, intemperiem creat, & ſoluit continuum.Materia quæ influxa eſt ac venulis hæret, & exiguis meatibus illius corporis,hæc tolli nõ poteſt,niſi ea quę continuè influit inhibeatur.rurſus fluxio inhiberi non poteſt, niſi plenitudo humorum in venis tollatur, & vnà excrementa omnia vitioſa. Quare ſi ophthalmia magna fuerit,in qua ſcilicet omnis hic affectionum complexus adeſt,& vnà in multam molem creuerit, vena ſecãda eſt:nam ſi leuis ſit (inquit Raſes) hoc auxilij non exigit.Sicut enim Galen.in leui pleuritide, 6.Epid. non ſecat venam: ita neque nos hoc loco. Nam magnitudo morbi

Vena ſecanda in ophthalmia.

est quæ id exigit, virtus verò permittit. Sat igitur erit in leuibus aluum subducere, & à cibo abstinere, & frictione vti, & cucurbitulis, & demum ocularijs medicamentis: quoniam causa morbum faciẽs exigua est, & debilis. Quantitatẽ verò sanguinis à quantitate affectus vult metiri: artificiosè sanè, quoniam ipsius est vacuationem vrgere: attamen de quantitate, consulenda etiam alia sunt: quanuis in hoc morbo minus, quàm in febribus, aut magnis viscerũ phlegmonis, in quibus de vitali robore periculum est, ne ante statum succumbat. Nos verò quoniam in hoc morbo causæ remotæ ratione, primùm venam secamus, ideo ad ipsam respicientes, plus minúsue hauriemus: vt scilicet affectus plenitudinis, maior est, vel minor. Habetis exemplum maximę phlegmones in pleno corpore & iuuene, in lib. de Ven. sec. vbi libras quatuor haurit. Aliquando igitur & vos imitari non vereamini: & ad calumniam euitandam, si quãdo eueniret ex morbo lædi oculos, ne fortè id sanguinis missioni ascribant, consilium cum chirurgo inire oportet: vt vulgares quãtitas lateat, atque ipsis inuitis ægros iuuemus. Venam eligit aduersæ partis cephalicam, satis imprudenter. Etenim per rectum semper faciunda est, neque de hoc quis ambigat. Bene dubium est, num per proximas, an per remotiores fieri debeat, eiusdem partes corporis. Nos autem cum iam vocati, incipiente & nonnihil aucto malo, simus, melius est cephalicam eiusdem partis aperire, ac magis minúsue extrahere, pro affectus magnitudine, & natura causæ, quæ plus, vel minus sanguini attinet, & quantitate & qualitate plenitudinis totius. Hac via reuellimus fluxionem & deriuamus, vt suprà exposui, & partem quoq; vacuamus: vnde & dolorẽ lenimus, & morbi augmentum sistimus, aut inhibemus ne magnus fiat.

Idem facit & purgatio, si vnà præsertim vitiosum succum adesse conspicies: quod sanè ex doloris qualitate dignoscitur, & tumoris colore, & excremento quod excernitur. Aliquando enim tendi videntur velut repleti, aliquando exuri velut igne, aut erodi: nonnunquam multa & tenuis lachryma est sine morsu: vnde coniecturam facies de humore expurgando, idq; vesperi ieiuno exhibeatur. Hìc casiam ex mirobalanis vtrisq; propinabis commodissimè.

Succedit secũdus scopus inhibendi fluxionem, quem, vt primo retractorio auxilio effecimus, ita & mox repulsorio faciemus, cum primùm à vacuatione prima possumus. Porrò cum multa sint eius facultatis, consideranda tamen est natura partis, & ad eam moderanda sunt. Est autem sensibilis maximè, & lædi facilis: vnde mitissima ea esse oportet, ne exasperent, quod solent acerba facere, nimis astringendo. Mitiora etiam exigit situs partis; quòd medicamenta

qualia

qualia sunt, illi occurrunt, non refractis viribus. Ne verò exasperēt. quæ sicca immittuntur membranæ: vel etiam aliquo humore admisceātur, optimè leuigata esse oportet: & sæpius per colum tenuissimum traijciantur. Materia verò blandissima est rosarum rubrarum folia, & flos, id est, quod in medio continetur luteum. Similiter & thuris cortex, aut pollen, & lota optimè aloe. Hæc mista, vel sicca inspergūtur, vel ex humore illiniuntur, quę sint pro materia omniū oculi medicamentorum. Erit autem hoc tempore, oui album maximè vtile: Quòd si & aqua rosacea optimè commisceas, validius erit pharmacum. Quod cum exciderit lachrymis ablutum, rursus immittere oportet: ac ter, vel quater in die eovti, genam mollissimè superiorem attollentes, & ipsi supino instillantes. Proximum albo oui est lac, à puellæ vbere mulctum: quæ bono sit habitu, vt nec vitiosum sit. Hoc remedio fluxionem inhibemus, & dolore leuamus intemperiem leniendo, tum continui solutionem astringendo. Habent præterea vt oblinant, vnde erosionem mitigant hi succi, & diutius ob lentorem morari in oculo possunt. Similiter & tragacanthi, vel gummi in aqua rosacea perfusi.

De his verò, quæ extrinsecus illiniuntur ad reprimendum, nempe ipsi oculo, & temporibus, & fronti, varia sententia fuit. Rases apponet vnum compositum, in quo caremus glaucio & licio hodie. Loco eius herbas astrictoria vi præditas eligemus: rosæ germina, flores, rubi, canirubi, solani, lentis palustris. Hæc ab initio priusquam magna fiat phlegmone illiniri possunt. Post enim, effluxum lachrymarum auferrent: qui est maximè salutaris: quoniam morbi materiā minuit. Vbi verò summum vigorem morbus attingit, neq; his sedata est inflammatio: sed ad nota dignam magnitudinēperuenit, & dolor multus vrget, tentabimus primū fomētis rē agere: quæ tensionem remittant, & materiam transpirare faciant, tepido calore. Iam enim vacuato corpore nihil amplius suspectum adest, quanquam & ad tutiorem eorum vsum, & assiduis clysmatis vteris, & cucurbitulas, tum collo, tum occipiti applicabis, atque eas scarificabis.

Materia verò fomentorum est calida aqua: cui si incoquatur fœnogræcum, & melilotum, optimum erit: atque ea sæpe adhiberi oportet, vt ter, quatérue per diem. Hæc igitur est phlegmones in vigore, vera curatio. Quòd si dolor aliquando vrgeat, etiam capita papaueris, vel iosciyami folia incoquemus. Ipsum quoq; fœnogręci succum diligentissimè præparatum, vel solum, vel cum muliebri lacte mistum intro affundemus: crebro tamen sordes abluere expedit, & per mollem spongiam detergere: ne acies lachrymæ detinea-

tur. Fit autem diligens præparatio eius, vt sæpius abluamus, & no-ctu infundatur in fictile: mox manè alia affusa aqua puro igne coquatur, ad spissitudinem mediocrem. Postmodum quod sponte per linteũ effluit, accipe. Aliquando huic succo quę concoquant adiungimus, & modicè abstergant, & siccent: vt solidum zuccharum, crocum, aloen: omnia diligentissimè contrita: aut etiam thus. Vrgente verò dolore maximo, vt metus sit ne membranæ disrumpantur fluxione, aliquando & narcoticis est vtendum admistis. Exempla eorum sunt puluis albus Rasis, aut Mesues, in quo opium ingreditur: ita tamen vt lacte, vel albô oui dissoluatur optimè, & immittatur. Apprimè tamen cauendus est eorum vsus, decimotertio Metho. & lib. Aph. 31. Etenim aut multò maior & vehemẽtior morb. reuertitur, quando fluxio retinetur in oculo, & tandem dolorem maiorem excitat, aut vitiatur visoria facultas. Sed modicè ijs vti, vacuato optimè corpore, nihil inconuenit, vbi res vrgeat. postmodum rursus ad fœnumgræcum reuerti.

Cum verò iam sedatus est dolor, & multa & concocta materia effluit, sæpius per diem & elui debet, mulsa ex saccharo tepida, & balneis est vtendum, & fotibus, aut lacte tepido (habet enim vim detergendi) & intro immitenda sunt quæ detergant, aloe lota, & saccharum, ex succo fœniculi depurato: præsertim vbi omnis inflammatio recesserit. At si reliquiæ perstent, ex angulis oculorum sanguis mittendus, 13. Meth. & de Ven. sec.

De Vlceribus oculorum. Cap. XVII.

VLcera verò nonnunquam post ophthalmiam sequuntur ob naturam humoris erodentis, & cohibiti ab emplasticis, vt Galenus ait: nonnunquam ex pustula disrupta: aliquando ab extrinseco pungente, vel diuidente. Hæc si in cornea orta sint, plus periculi inuehunt, nempe aut vueæ tunicæ procidentiã: aut clarioris quàm decet lucis occursum humori crystallino: aut ex sanatione opacã cicatricẽ: quæ si pupillam attingat visum impedit. Decidit autem vuea, vbi laminæ omnes quatuor corneæ erosæ fuerint; quas apertè in grandioribus animalibus conspicimus.

Vlcera quomodo secũdum suam naturã sanari debeant docetur.

Primùm igitur de sponte profectis vlceribus agam, ex ophthalmia, vel ab acri fluxione, vel pustula disrupta, quam phlictenam vocant. Sed de ea, quæ ex fluxione oritur, quoniam causam tollere oportet: pòst, perfecta curatio habebitur. Nunc enim solummodo quomodo vlcera ipsa secundum suam naturam sananda sint: absq;

alio

alio affectu, qui ea foueat &augeat dicemus:nam postea affectibus ipsis propria curatio adhibebitur.

Igitur hic quoque vniuersalem curationem assumere oportet, atque eam huic particulæ accommodare. Est autem ea tradita à Galeno tertio & quarto Methodi,&nos compendio proponemus. Omne igitur vlcus siccari postulat, quoniam omne est humidum. Demonstratio huius est ibi tradita: quoniam necessitate alimenti duplex excrementum gignitur,tenue &crassum,vt in omni parte,quę alitur:ideo quod etiam habet vt cauũ sit,crassius excrementum abstergi. Sic enim natura subiectæ carnis, & proprium eius temperamentum seruatur: vnde & adueniens alimentum ad nouę carnis generationem potest transmutare. Igitur hæc vlcera prouenientia ab interna causa, & siccari, & detergi postulant. Sic enim replentur, non quidem prorsus eadem substantia (hoc enim fieri nequit) sed vi & facultate æquali,vt in cute fieri videmus.nam necessariò cicatrix oritur.

Verùm cum magna sit tum siccantium, tum detergentium copia genere quidem nullum vlcus valide siccantia poscit:nam quæ exurunt,non siccant excrementum, sed vtile quoque depascunt: ideo primùm ordinem non excedant in siccando. Quòd si astrictione careant:talia quoque detergendo vtilia erunt. At si aut sordidius solito vlcus fiat,aut humidius: tantùm intendere rationem siccantis & detergentis conuenit,quantum est præter naturam affectum.

Habet verò & indicationem ex natura tum corporis totius,tum partis. Nam quanuis omne sit siccandum,plus tamẽ est siccandum corpus siccum, & pars corporis siccior: quoniam natura propria tum totius,tum partis est seruanda.Ideo etiam in ea latitudine,quę terminum primi ordinis non excedat,multa est latitudo secundum magis & minus. Sed pòst vtimur quæ maximè siccant: At primi ordinis exigunt,quæ caua non sunt. Nos verò modò indicationem à particula sumimus,quæ pars oculi cum sit,& maximè sensilis,mitia exposcitq́ medicamenta,quæ vtrunque efficiant.Finge primùm non sordidum vlcus,sat fuerit thuris pollinem, aut lotam aloen exhibere,aut etiam tutiam:idq; ex albo oui vel lacte:cui etiam vis detersoria inest:& exquisito victu vti,& corpus excrementis vacuare. Sed vbi sordida sint,eorum vim intendere oportet: ac præterea ex succo fœnugræci instillare,quo siccatio & expurgatio maior sit,donec pura videantur.Tunc enim ad mitiora redeundum. Sunt verò fortiora quæ admiscentur,æris ærugo,ęs vstum & lotum,sæpe plantaginis succo,sæpe ex vino rosacea diluto admisto. Sed & præcipitatum,præcipuè si absit inflammatio,electum,minimè acre,& lacte sę

u 4

pe lotum, aut ſucco plantaginis. Poſtea cicatrix inducenda, quantum fieri poteſt, tenuis, præſertim circa pupillam (nam in cornea ſolum turpis eſt) viſum non lædit. bene ibi ob opacitatem. Apparet verò alba in cornea, quoniam proprium corneæ colorem repræſentat, non cæruleum, qui ſubiacet.

Medicamentum verò Cleonis dictum, à Paulo deſcribitur & laudatur, recipit tutiam & plumbum añ. ℥ j. ceruſſæ drachmas quatuor ſquammæ æris ʒ j. gummi duas. Omnia prius lauari ſeorſum oportet, ex pluuiali aqua. conficitur collirium: aridum inſpergi poteſt, vel ex vino. Si verò cicatrix remanſit, dum recens eſt, nonnihil extenuari poteſt. Hîc verò medicamentum ex Raſe acceptum confert, quod mirificè laudat. Conſtat ex ſtercore lacerti magni, vulgo ramarrum vocant: Latinè Calcidica lacerta ob virorem æris, quem præſefert. Alij ex crocodillo capiunt, vt Galenus. Conſtat & nitro, & maris ſpuma. demum innumera ſunt medicamenta habenti methodum. Quoniam enim velut calloſa caro eſt, debet molliri primùm, poſtea extenuari; quod facere poſſunt, quæ exterſoria facultate valde participant. Sed bene aduertendum eſt, ne his irritantibus ſi vtamur nimium, aut rurſus vlcus faciamus, aut fluxionem in oculo euocemus. Itaque ſi inueterata eſt, & dura, dimittatur: ſi tenuis, ſat erit melle vti exſtillato, in quo æs vſtum & lotum & in puluerem redactum diſſoluatur. Excellens quoque remedium eſt, linctus à ieiuno factus, vbi prius maſticauerit rutam, aut chelidoniam aut roſmarinum: vel aliam eiuſmodi herbam extergente & extenuante vi præditam. Hæc itaque communis eſt ſponte naſcentium vlcerum curatio.

Quoniam verò & ad puſtulas ſequuntur ſæpe; ideo & de puſtulis agendum. Hæc ſi in cornea ſint, ex rubro albicantes apparent: nempe qualis eſt corneæ propriè ſubſtantia monſtrantes. Albicat enim natura, quanuis ab internis coloribus, vtpote diaphana, afficiatur: atque ita colore euariare videatur. Si verò in coniunctiua, rubet magis. Ego in vtroque loco curaui. Quoniam verò perpetuò cum dolore & inflammatione eueniunt, vnde materiæ fit affluxus, optimum erit venam incidere, & purgare ad præuiſionem: ne ſcilicet malum augeſcat, & vt ne foueatur, & curam moretur. Raſes verò in hoc capite cum vlceris & puſtulárum curam confundat, imponit ignaris medicis, & ijs, qui ſemper ex commentarijs, velut ex oraculo pendent: quaſi vnà morbi ſit cura, cum ſint diuerſi. Nos verò diſtinctiſsimè, & compendiosè omnium curationẽ faciemus. Poſt hęc ſi inflammatio perſeueret & dolor, puluis albus Raſis cum lacte mulieris, vel albo oui eſt illiniendus, & extrinſecus, ea, quæ refrigerantia

rantia diximus adhibenda oculo. Post hæc medicamento ex thure, mirrha & croco est vtendum, vtpote mitissimo: idq; ex succo fœnugræci. Postremò ea, quæ discutere magis possunt, & extergere, præsertim cum pus collegerit, quod ex colore cognoscitur: & quando prorsus omnia sedata sunt symptomata doloris & punctionis. Studendum enim vt citò educatur. Sic enim citra vlcus sanabitur pustula: quod maximè exquirimus. Igitur pro thure aloë adijciemus, & fotibus vtemur, quæ resoluant.

De Epiphoris. *Cap. XVIII.*

EPiphorá fluxũ lachrymarũ appellant, ad quẽ nonnunquã molestia sola insequitur: aliquando dolor, morsus, pruritus: Aliquãdo & hallucinatio, præcipuè cum ex internis oculi partib. prouenit: aliquando & asperæ palpebræ his fiunt, cum erodunt: aliquando & callosæ, duræ, atque inuersæ: cum à materia crassa sunt repletæ, & velut scyrrho laborant. Fit & nonnunquam vlcus in aliqua oculi parte, & malum sibi malum creat & auget. Nam exeditur aliquando caruncula, quæ in lachrymalibus est, vnde maior fit lachrymarum, & conferta magis fluxio, quòd ea caruncula glandosa, velut operculum quoddam sit: ac aquosam, quæ à venis capitis fluxionem, velut regurgitare faciat in proximas nares, per communem meatum. Et quidem aliquando videntur, hi qui fistulis lachrymalium laborant, si arctè eas comprimant, saniem per nares excernere.

Cum igitur ex vasis externis, id est, extra caluariam sitis, malum perueniat, tum ex internis, id est, ex cerebri sede, distinguenda est pars, quæ mali est author. Si igitur interna vasa hoc committunt & dolores aliquando intimos sentiri necesse est, & acres sternutationes. Et quoniam in externis capitis partibus, nulla distenta vena, & calens: aut pulsans valde arteria sentitur. Præterea & quia externa à medicamentis applicitis facilius curatur: Vnde Galenus sentit 13. Metho. multò deteriores eas esse lachrymas, quæ ex cerebro prodeunt malè affecto, quòd ægrius curentur. Ex Paulo.

Est autem & affectus distinctio, humoris ratione, qui effluit, qui aliquando mitior est, & sanguinis, vel pituitæ naturam obtinens: aliquandò acrior. Hæc verò facilè distinguuntur per ægri sensum: qui hinc calorem, mordacitatem, acutos sæpe dolores sentit: illinc quod effluit facilè crassescit, atque eorum est expers. Sæpe verò & hæc mista reperies, vt in ea lachryma, quæ salsuginem pręse

fert, & pruritum excitat. Curatio verò hinc inchoat, vt fluxionis causam abscindamus. Sunt autem eæ, vt ex secundo de Feb. diff. & tertio de Nat. facul. habetur. Etenim & ex partis affectæ imbecillitate fiunt: vnde promptè excrementa suscipit à validioribus, & ex fortitudine transmittentium, vt cerebri ad oculos: quoniam facilè fluxionem transmittit: vel ob vtranque causam simile. Aliquando & cerebrum ipsum laborat, & ob imbecillitatem à reliquo corpore suscipit: aliquando in se ipso generat, ob vitiosam alimenti transmutationem: aliquando non totum cerebrum suscipit, sed vasa solum, quæ circa caput sunt, vt temporum, & retrò aures: præcipuè verò per arterias ferri solet calidus & vaporosus sanguis, & inde in oculos fluere.

Cum igitur duæ causæ adsint, & imbecillitas partis, & multitudo excrementorum in cerebro, vel saltem in toto corpore, non vnus modus curationis erit. Sed si excrementa caput à toto suscipit, non ipsum generat, certum est, totum vacuandum esse: & intemperiem venarum corrigendam. Id maximè visitur in his, qui biliosi sunt natura, & calidi iocinoris: vnde & crebro in dolores calidos capitis incidunt: & sic etiam repleto eo humore cerebro acres fluxiones fiunt, vt calidæ, nitrosæ, salsæ. & hoc sæpius euenit, vt Galenus inquit, Acres inquam, fluxiones non habere caput ipsum mali authorem. Has igitur si à toto, curabis purgando præterea bilem, & sanguinem mittendo, & humores victu attemperando, iuuat hos & aquis sponte natis frigidis purgare, & in eis morari. Iuuat & lac bibere ad epicrasim, & frigidis alimentis vti, & à vini potu abstinere: præsertim calidi. Iuuat & ventrem mollem habere, quo circa & in prima mensa semper vti his, quæ deijciant. Plurimum autem lenta à cibo deambulatio caput leuat. Galen.

Postmodum caput ipsum roborare oportet, ne recipiat. plurimum autem ob calorem partis recipit, & meatuum laxitatem. Quę ergo astringunt, iuuant, venis adhibita, quibus caput alitur: præcipuè verò quæ inhærent: cuiusmodi est hypocistidis succus, vino austero dissolutus, aut acacia. Similiter thuris, & aloes puluis cum oui albo, ambo tempora & frontem cingendo. Si verò per abscon ditas partes permeet, vtendum sacchoro rosato cum bolo, & semper à cibo, astringentibus.

Quòd si pituitosa potius lachryma fit ex ventris cruditate, & tarda concoctione, vacuanda erit, vel alteranda pituita, & concoctioni studendum. Sæpe verò malum ex ipso ventre concoquente pendet: sæpe ex errore victus: vt in his qui crapulæ, & ebrietati sunt dediti, qui & assiduè hoc profluuio tentantur. Si verò in capite lachry

marum

marum materia gignatur, primùm materiam ipsam genitam auferre conuenit: mox prohibere ne gignatur: demum oculos roborare, ne recipiant promptè. Igitur materiam tollimus vtraque via, ac prius, vtra magis conuenire videatur. Sed & ad vicina deriuare cõuenit, nares inquam atque palatum, quod commodè post vacuationes fieri potest, vbi non iam multitudo instat. Fiăt hæc primùm naritiuis, de apophlegmatismis, vel vtrisq;. & est optima & efficax vacuatio, & malum à parte auertit.

Prohibetur verò ne gignatur, tum capitis intemperiem corrigendo, tum debito victu. Porrò capitis intemperies cõtrarijs corrigitur. Quo loco reprehendit Galenus eos, qui in eiusmodi affectibus, dum capiti prospicere quærunt, sponte natis calidis perpetuò vtebantur: aut medicamento ex tapsia, seu scilicet fluxio calida esset, seu frigida: vnde causam mali augebant. Quin potius, in calida, inquit, balneis vtendum est, intelligitur aqua dulcis, ad caput: His enim leuantur, & rosaceo quàm frigido vti, præsertim per æstatem: idque ad caput: & euitare omnia, quæ caput inflammant, seu ex aere sint, seu exercitia, seu cibi & potus, aut horum condimenta. Aliquando & frigidis decoctis irrigauimus.

Balneũ aquæ dulcis prodest capiti calida intemperie laboranti.

Nos autem suprà diximus in his, qui calida intemperie laborant, nihil inconuenire quarundam sponte nascentium vsum ad caput. Neq; hoc Galenus si probè legatur, negat: & experientia compertũ est, aliquas refrigerare. Vnde & melius colligere eos patet, qui perpetuò naturæ rei ignari, de verbis litigant, omnes aquas sponte natas calida facultate præditas esse. Si verò frigida sit intemperies, curatur calidis potionibus eclegmatis, fomentis, irrigationibus: de quibus suprà in paralysi abundè docuimus.

Sed quomodo inquies, mulierem illam Romanam curat libro 5. Meth. ca. xiij. calidis per thapsiam? Respondetur, aut præceps periculum siccando euitat, mox corrigere debens intemperiem: vt qui opium etiam in frigido affectu adhibent, symptomate coacti. Vel dic, nõ laborasse eam ex propria cerebri intemperie, sed potius sibi communicatam aliunde ex venis. Sectio verò venarum pulsatilium post aures, & in temporibus, vnicum est remedium in diuturna fluxione; vbi per ea vasa, à reliquo corpore, tãquam per amplam quãdam viam fluxio feratur: de qua verba facere quid opus est, cum à Galeno & Paulo in chirurgia exactissimè describatur? quanquam nemo hactenus quod sciam, sit ausus. Primùm, quòd nec hoc, vt neque cætera generosa præsidia adhibemus: deinde, quòd ministris egregijs caremus.

Postremùm est omnium oculi roboratio. Galenus conficit medi

camentum, ſed caremus multis quæ ingrediuntur. Vtemur igitur aqua extillata ad ſolem florum roſmarini: abluemus manè ex poſca faciem, roſacea admiſta. Idem poteſt & aqua, quæ ſponte fluit ex rubi mora ferentis germinibus. Cum verò lachrymæ maximè inſtant, vtendum eſt medicaméto noſtro ex tutia & adipe ſuillo. quòd ſi ardor & dolor adſit, aut lauare ex decocto papaueris oportebit, vel opium inijcere.

De Suffuſione. Cap. XIX.

Suffuſio. QVoniam verò ad lachrymas diuturnas ſæpe Suffuſio ſequitur, iure tractatio quoque huius morbi ſuccedit. Nomen verò à verbo ſuffundi acceptum, de omni humore dici poteſt, qui per ſpacium aliquod funditur. Sic & Græci hypochyma dixere à χύω quod eſt fundo deducto nomine. Quoniam enim pupilla velut inane quoddam ſpacium intuentib. apparet: propterea quòd ſuperducta eſt pellucida tunica, & ſubeſt illi ſecundum naturam aqueus humor, qui pellucidus maximè eſt, vt aqua. Hinc ſi quid craſſius ea parte, qua perforata eſt vuea, fundatur, & obducat meatum illum, Suffuſio nominatur. Aliquando inter corneam & vueæ foramen collectum, aliquando penitius.

Eſt igitur ſedes affecta oculus, ſed priuatim humor eius aqueus, qui vniuerſum ſpacium à cryſtallino humore, ad corneam vſque tunicam replet. Eſt autem morbus in ſuperficie, quoniam quę perſpicua eſſe debet, eſt opaca: niſi placeat fingere aliud morbi genus præter intēperiē in ſimiliarib. corporib. & eſt cū in craſsitie, vel tenuitate, in opacitate, vel pelluciditate non ſe habent ſecundū naturā. Vel dic, aliquid adeſſe in ea cauitate tunicæ, quod eſſe non debet: & ita morbū eſſe in numero partium, quę ſunt toto genere pręter naturā. Alij obſtructionem eſſe dicunt morbum, ab eo quod præter naturam meatū obſtruit pupillæ, quo minus ſpectra permeare poſſunt: nam opacitate detinentur, cum in ſolo perſpicuo corpore lux & colores multiplicentur. Symptomata verò hæc ſunt, imaginum variarum apparitio, viſus obtenebratio, & etiam pupillæ mutatus color: & demum cæcitas. Fiunt autem primùm imaginum apparitiones, quòd craſsi quidam vapores, vel etiam humoris minimè pellucidi portio aliqua, per aqueum humorem funditur: vnde variarum rerum ſpeciem præbet, plurimum verò nigriorum, vel fuſcorum animalium: Ob opacitatem enim nigra omnia viſuntur, quaſi extra oculum ſit, quòd tenebricoſa quædam ſimulacra offundunt ſe cry-

ſtallin o

ſtallino humori. At cum iam fixa magna eſt materia, iam hebes fit viſus: & tandem, vel ad cæcitatem producit malum, vel ſaltem notabilem viſus læſionem: vnde & tempora morbi ſumuntur, atque in ſtatu tunc eſſe dicitur, cum maximum nocumentum infert. Quoniam verò ſępe inter initia ipſam curandam ſuſcipimus: quando alteri cuidam affectui aſsimilatur: ideo probè eam diſtinguere eſt neceſſarium, tum ob prognoſticū (quoniam altera eſt deterior altera affectio, & plus periculi inuehit) tum ob curationem, quæ multum eſt diuerſa. Eſt autem affectus ſuffuſioni ſimilis, de quo ſæpe Galenus meminit; quando non in ipſo oculo eſt mali radix, ſed aliunde fumi elati per arterias, atq; humorem oculi afficientes, ſpeciem faciunt imaginum, ac ſi in ipſo oculo malum foret, & humor noxius. De hac Galen. 4. de Loc. Debet enim humor ille eſſe quàm puriſsimus & maxime diaphanus: ideo ſiue diuulſa corpuſcula, ſiue etiam tenuis quaſi fumus obducatur, hæc viſa facit. In hac igitur falſa ſuffuſione, potius fumoſa corpora: in vera potius corpuſcula craſsiora innatare putandum eſt. Prouenit autem falſa hæc ſuffuſio ex cruditate, quæcunque ſit: præſertim verò nidoroſa. Prouenit & cum bilis in ventrem confluit: vnde euaporat ad caput, & oculos afficit. Raſes igitur non accipit, ex repletione deterius eos habere; tempore verò famis melius. Galenus enim velle videtur, accidentia hęc potius ex mordenti humore fieri, vt qui magis effumet, ideo in cruditate nidor eſt. Ideo poti⁹ negatiuè argumētatur. Nō eſt par læſio, igitur ſuffuſionis initium. Sed non affirmatiuè: eſt par, ergo non ſuffuſio. Soli enim conuenit, non omni.

Sic enim falſam à vera diſtingues, 4. de Loc. Nam vbi à ventriculo ambo oculi ſimiliter afficiuntur, & affectio in ambobus eſt ſimilis: quòd non ſit ratio aliqua cur vnus plus altero afficiatur: quod tamen in vera ſuffuſione non accidit, vel rarò accidit. Nec enim dici poteſt euenire non poſſe ſimul, ſed hoc admodum contingens eſt & rarum, vt ſimul præhendantur, & eodem modo. Multo verò euidentior eſt nota, quòd vera, continua eſt, vtpote perpetuò manente eadē cauſa: at altera intermittit aliquando: modò maior eſt, modò minor: prout cauſa maior, vel minor. Etenim in vitioſa concoctione augetur, ceſſat, ea optima exiſtente.

Adhuc verò ſe detegit euidentius, cum in vera, ſi diutius protrahatur, vt per quatuor aut ſex menſes, neceſſe tandem ſit conturbari pupillam: & talem intuentibus apparere, qualis aliquando purus aer apparet nebulis ſparſis repletus: aut vitrum aliquod maculis quibuſdam reſperſum: aut obnubilatum fumo. Sed iam principium præterijt ſuffuſionis, atq; augumentum incipere eſt neceſſa-

rium. Sed & ex iuuantibus & nocentibus detegitur malum. Nam procurata concoctione prorsus cessat, quæ vera non est.

Suffusionis curatio.

Quod verò ad curationem attinet, ea dicam, quæ Galen. de Med. secundum locos; Promittunt quidem medici plurimum, quod, vt Flacus ait, medicorum est: sed aut nihil eorum, quæ promittunt, efficiunt, vel parum iuuant. Intellige si confirmata sit, id est, multum adaucta: adeò, vt & noxam nota dignam inferat, & diu durauit. Vult autem Galenus, vt priusquam eius curam incipiamus, distingui oporteat, num sanabilis sit, an secus. Hoc fiet (inquit primo de Sympt. cau.) siquidem altero oculo clauso, iusseris vt altero te intentè aspiciat. Statim enim ægrum oculum videbis clariorem reddi. Quod sanè significat, plurimum lucidum spiritum eò ferri, atque oculum illustrare, & caliginem illam obductam nonnihil euincere posse. Nam si contrà turbida permanet, signum est, non ferri visiui spiritus copiam in oculum: aut ob nerui obstructionem, aut ob oculi debilitatem: vel eum turbidum, crassumq; esse. Quamobrem tam & si suffusio tolleretur, adhuc visus clarus nó recuperaretur. Alium modum ponit Paulus, & à Galeno dicit se habuisse.

Sed antequam veræ suffusionis curam dicamus, falsæ prius dicenda est. Atque inter initia quidem nihil distat quo ad apparentiam, & cura consistit omnis in vacuatione. Si igitur non vera fuerit causam abscindens: siquidem concoctionem procurabis: & per aloem, aut per hieram purgabis. Sic enim multos sanatos nouimus. Dubitant quomodo apparent imagines, si sensile supra sensum positum, non causat sensationem. Respondetur, instrumentum sensus crystallinus humor est, à quo distat. Contrà, saltem non sine lumine fit. Respondetur, aquosum esse illustratum eo tempore, quoniá non offundit prorsus: ideo multi lucidi radij penetrare possunt. Aut dicito, non ea videre, sed quòd vmbram causant, ideo nigri: aut vacui imaginem in externis causant: quod cum in aere cernatur, volantis nigri animalis speciem præbet. Sic si continua sit non dispersa: quasi per fumum & caliginem cernit: præterea instrumentum in quo fit visio.

Cura verò primùm per totius, & capitis vacuationem esse debet: Sed num per venam sectam? Respondetur, contrà Paulum & sequaces, quòd non: quia morbus tardus & longus est, & prorsus frigidus, & ex causis omnibus frigidis euenit. & damnum magna debilitate & euacuatione spirituum potest inferre: ideo purgatione vtendum, per Cocchias & Fœtidas, apparádo humores oxymelite, & decocto siccáte, & extenuáte, & electuarijs varijs. Postea etiá propria reuulsione, vt per posteroira ex vesicatorijs inustionibus: Demum

caput

caput ſiccare pulueribus, & ablutionibus.

Priuatim verò quæ oculo adhibentur hæc ſunt: Inter initia, quæ molliter ſiccant, & extergunt, vt mel exſtillatum, fœniculi ſuccus: fortius his eſt chelidonij, aut fumariæ herbæ, aut marrubij: fortiſsimum medicamen ex fellibus: in quibus Raſes plurima animalia numerat ſicciora, & quibus acrius fel adeſt: & vno eorum, aut pluribus vtendum iubet, prout ſe præbet occaſio.

De Aurium affectibus, ac primùm de earum Dolore. Cap. XX.

Grauiſsimos ſanè morbos auribus euenire, nemo eſt qui ignoret. Etenim & doloribus grauiſsimis adeò teſtantur, vt ſæpe ex ijs animi deliquia eueniant: ſæpe deliria inferant; febresque acutas, & mortem, quod & Hippo. teſtatur. & nos experimur quotidie. Quod ſanè non alia ratione euenire putãdum, quàm quòd in conſenſum cerebrum trahit aliquando. Adde & ſurditates, quæ ſæpe ſuccedunt aurium affectibus, quod malum à cæcitate ſecundum locum tenetur, vt & ſenſus hic in præſtantia eſt ſecundus. Neq; hæc incommoda ſolum illi adueniunt, ſed & putrilagines, vnde & ſanies emanat ſæpe, & vermes. Surditas ſecũdum locum tenet à cæcitate.

Habent autem aurium affectus minus promptam & facilem curationem, tum ob ipſius ſitum & figuram organi, quæ partes præcipuas habet admodum abſconditas, vt ægrè illis remedia adhibeantur. Præterea quo ingenio, qua dexteritate, quàm blandè tractari debeat, hi ſciunt, qui nouerunt, quàm acri ſenſu particula prædita ſit, & quàm mollis, lædiq; facilis. Quare præ cæteris in hac cura elaborandum nobis eſt, vt feliciter procedat. Primùm verò de doloroſis affectibus agemus, id eſt, qui dolorem inferunt. Suntque genere, aut quæ intemperies ſunt, aut continuitatis ſolutio. Intemperies verò tam calida, quàm frigida affligere poteſt, ac dolorem vehementem inferre: idq; tum, cum materiæ aduentu, & ſine ea. Ac primùm ſimpliciorum naturam dicemus & curationem, id eſt, quæ ſine materia ſunt. Excitantur verò ab externis cauſis; ſed frequentius frigida aduenit. Etenim non facilè intenſus ſolis ardor aures poteſt afficere, vt poteſt frigus externi aeris: cum ſæpe à frigidiſsimis ventis iter facientes percutiamur: ita, vt ſua tenuitate ad ima vſq; penetrent. At non æquè vt reliquum caput ſolis ardore præmitur: ideo dolores capitis ab ardore eueniunt; dolores aurium hinc

euenire non vidi: à frigore vidi ſæpiſsimè læſos. Quod ſi quid fortè calidum actu: vel poteſtate excedens in aurem incidat, nihil obſtat dolores hinc quoque excitari. Hos eſſe putarim, qui per aquas medicamentoſas natantibus eueniunt; ſi quando in aurium meatum intimum quippiam earum inciderit. Breui enim excitata earum facultate, ex ardore dolor excitatur: quanquam & alia ratione ab ijs excitari poſsit: cum erodunt membranam internam, vel ſua acritudine naturali: vel quam ex mora acquiſiuerunt putreſcentes, & ita continuum ſoluunt. Igitur vtraq; harum intemperierum dignotu facilis eſt, tum ex ijs, quæ præceſſerunt, tum ex ægri ſenſu. Statim enim procatharctica cauſa manifeſtat. Quòd ſi recens ſit malum, nihil periculi eſt, affluxam eſſe materiam; vnde & facilis curatio erit. Nam vbi protractum ſit non modò humoris aliquid affluxiſſe ex dolore conijcimus: ſed etiam aliquando ſpecies morbi mutatur: vt quæ frigida erit affectio, vel miſta fiat. (Miſta inquam ex intemperie & ſolutione continui, quæ fit ex flatibus partis, calore refrigerato.) vel calida; affluente ex dolore ſanguine, quod & aliquando euenire vidi. imò non intemperiem ſolùm, ſed & apoſtema phlegmonode.

Dum verò ſimplex malum eſt, facilis curatio erit. Primùm enim cauſam externam, ſi adeſt, tollere oportet: vt in frigida, ventos, & externum frigidum aerem cauere; quinimò in cubili calido hominem ſtatuere: aut ſi domo egredi oportet, præmunire aurium meatus: poſtea intemperiem frigidam concalefacere. Sic enim dolor quoque ſedabitur. Porrò calefacientia applicare oportet, aut vaporis fumiue modò: vel liquoris, qui infunditur. Rurſus vaporatoria, aut per ſpongiam, lanámue adhibentur, aut per infundibulum aure excipiuntur. Materia verò varia eſt: ſed iuxta affectus magnitudinem euariat. quam conijcimus, tum ex cauſæ, quæ præceſsit magnitudine, tum ex doloris modo. Si igitur leuior ſit affectus, ſat erit euaporantibus vti: itaque & rutam, & caſtoreum lixiuio incoquemus, & fouebimus diu: poſtea lanam oleo de ſpica madentem ſuper aurem applicabimus. Quòd ſi ſuffitu vti mens ſit, & thus, & ſtyracem, & bengui accipiemus: Aut aromatum aliquod, cuiuſmodi eſt gariophyllum, & cinnamomum.

Si verò infundi aliquid oporteat, proderit ex vtraq; ſpica oleum tepens inſtillatum: & quòd caſtoreum accipiat, aut ſulphur, & piper. Quòd ſi calida affectio ſit, ex ijs, quæ inciderunt, primùm tentare oportet, vt id quàmprimùm educatur, ea ratione, qua omnia liquida, quæ in aurem incidunt, educi ſolent. Ægrum enim ſuper crure quod auri reſpondet, exilire iubemus, reclinata in humerum aure.

aure. Alij per fistulam quàm penitissimè iniectam ore aquam attrahunt. Iuuabit & siccam spongiam quàm mollissimam immittere, & paulò pòst extractam siccare, & rursus immittere. Galenus ad medicamenti acritudinem tollendam, oleum inijcit dulce, quo temperetur; & postmodum id lana vult siccari. Similiter & lac tepidum inijcit, & oui album: & quæcunq; ad oculorum phlegmonas vsui erant; molliter refrigerantia, & vim medicamenti retundentia. Hìc etiam iuuabit olei vsus, quod ex asellis hydriarum conficitur, quo ad dolores sedádos; præsertim à causa calida ortos, nullum est efficacius. Oportet autem eos vigentes capere; & ex oleo cum aqua coquere, quousq; aqua absumatur. Simili modò & alij ex blactis parant, & sunt animalia scarabeis similia, quæ vdis nascuntur locis.

Auriũ doloris ab intẽperie frigida cũ materia causę perquiruntur.

Si verò materia frigida adsit, quod sępe ex defluxu à cerebro euenire potest: vbi post meridionales ventos caput replentes, repentè aquilo flauerit, duplici ratione nocere, & dolorem excitare potest. Primùm intemperie, qua afficit: sed multò magis, cum propria sua substantia distendit sensibiles partes. & rursus maximè, quando elatus ab ea flatuosus spiritus membranam, & neruosas partes ipsius internas extendit, atque conuellit. Discernes hoc, inquit Galenus, artificij coniectura, causas pręgressas considerando: Si à frigido aere, & ventis sit perpessum: aut Verno sole post pluuias: & si caput defluxione afficere soleat subiectas partes: & si victu ad caput pituita replendum idoneo, quis antea vsus fuerit. Accidit verò his præter frigoris sensum, etiam grauitas quædam tensioni adiuncta: & multum calidis gaudent & iuuantur. Hìc verò necesse erit his vti primùm quæ caput vacuant, & interim vniuersum corpus purgãt: & omnem redundantiã prohibere, tum totius, tum capitis. Instituemus ergo victum tenuẽ admodum & extenuantẽ: nam & exiguum cibi offeremus: & illum, cui vis sit extenuatoria; vt & pituitã siccet & extenuet, & rursus gigni prohibeatur. Panem igitur ex cocto melle offeremus: aut saccharo conditas amigdalas, vel pini fructus, aut auellanas, aut biscoctum panem, potu exiguo contenti hydromelle, in quo cinnamomũ sit incoctum: à vino verò abstinebunt. Similiter & calidum moderatè aerem eligent, & ieiuni aliquando dormient. id enim multũ extenuat & absumit. Purgatio verò tum vniuersi corporis, tum capitis, ijs fiet, quæ pituitam trahunt, vehementius quidem si adhuc malum vigorẽ non attigit, vtpote materia adhuc per venas capitis fluente. Rursus caput ipsum vacuandum proprijs vacuationibus, vitando tamen eas, quæ multum commouent: cuiusmodi sunt quæ per nares traijciuntur. Sed & potionibus vti conueniet manè, quæ pituitam absument, & extenuent, de quibus sæpe

ſupra mentio fuit. Similiter & veſperi confectionem ex ſtœchade, aut diamuſcho, aut diambra ſument. Dum verò hæc fiunt, localibus quoque præſidijs erit vtendum; ac primùm leuioribus, ne calore materia plus fluat. Erunt igitur hæc initio quæ euaporare faciunt nõnihil materiæ, & flatus craſsitudinem diſcutiunt, & ipſi exitus viam aperiunt. eſt autem fomentum minimè mordax, & prorſus innoxium, ex milio calefacto. Aliqui etiam torrent in teſta & ſal adiungunt: ſiccat enim ſine morſu & diſcutit. Secundum locum tenet emplaſtrum ex fœnugræco cocto in lixiuio. Oportet autem vt ſæpe permutetur: vt & radix agreſtis cumumeris, & mox Ari radix aut dracunculi. Hæc enim omnia vim habent aperiendi meatus omnes, & ſiccandi, & detergendi, & extenuandi: quæ ſanè cuncta in vnius mali curatione neceſſaria ſunt: vt & ariſtolochia vtraq;, & veratrum, & cyclaminus.

Porrò fortiora ijs fuerint, ſi liquore aliquo macerata in aurem inijciantur. Igitur & cæpam excauare ſolent, & oleo replere cauitatem, ac ſuper carbones excoquere, mox eo oleo vti. Sic & laurino vtimur. Similiter & cyclaminis radice vtuntur ſaluberrimè; ſic & rotunda ariſtolochia. Oportet autem ſæpius hæc inijcere, calentia, eo vſque, vt æger voluptatem capiat. Deinde & de ſenſu medicamentorum ſæpe eſt rogandus, ac calore intendendus. Sæpius verò hoc facere, vt vnà, ſi quid pituitæ deterſum eſt, & extenuatum, effundatur.

Extrinſecus verò nonnihil circa affectam partem, quod eandem vim habeat, deligabitur. verbi gratia lanam nardino, vel ſpicato vnguento imbutam, & eam ſordidam. Si verò calida materia ſit; quæ affluxit, ſeu ſine phlegmone ſit, ſeu phlegmonem faciat; eadem fuerit curandi ratio. Ideo de phlegmone aurium eſt agendum, de qua Raſes primùm agit: quanquam multi interpretes, omnem calidam intemperiem vnà curari putent. Solum enim curatio ea materialem attingit, ſub qua etiam phlegmone continetur.

De Aurium inflammatione. *Cap. XXI.*

POrrò phlegmone, aut partes, quæ auditorij inſtrumenti compoſitionem ingrediuntur, occupat: aut eas, quæ iuxta ſunt poſitæ. Rurſus vbi in inſtrumnnto, vel extimas ſolùm partes malum afficit, vel intimiores: adeò, vt inflammatio ad neruum vſq; auditorium pertingat: etenim hæc omnia diſtinguere oportet, quòd & multum periculi magnitudine diſtant, & curatione.

Primùm

Primùm verò de ipsius instrumenti phlegmone loquemur. Hæc igitur causam habet proximam sanguineum humorem: cui tamen plurimum bilis sit adiunctum: quòd nō facilè in densas partes crassior sanguis penetrare possit. Huius autem causa est repletio, aut solius capitis, aut vnà & corporis totius.

Signa verò communia sunt cæteris phlegmonis, quæ sensu percipiuntur, vt Rases scribit. Etenim rubere eius proprium est: protēditur verò rubor ad malas, & tempora: quòd ad partes vicinas fluxio quoque communicat, vt & calor, & aliqualis inflammatio. Sed & interna pars aliqua rubere & tumere visitur, plerunq; ad lumen: nisi valde penetrans, & abscondita sit phlegmone: mox dolor pulsatiuus. Cæterùm num interna magis an externa solùm afficiantur, grauitas doloris demonstrat; & vt ad oculum apparet, & pulsus magnitudo. Quantò enim ad intima magis peruenerit, eò maior pulsatio: quoniam arteriæ maiores: Sed & dolor maior, & febris vehementior, ob primi principij nobilitatem.

Hinc etiam magnitudo periculi distinguitur primùm natura. hæc aucta tum magnitudinem morbi significat: tum prauitatem, quæ est altera magnitudo sibi partis ratione eueniens. Hippo. verò tertio Progno. ita inquit. Dolor acutus cum febre continua, & vehementi, periculum affert: quoniam delirium, & mortem minatur. Vbi Galenus hoc per consensum euenire ait, quando in profundo ad auditorium meatum phlegmone fiat, non vbi in externis: quæ apparent partibus. Fieri enim deliros quosdam ait per consensum, quosdam verò attonitos mori, cum vniuersim fluxio in cerebrum permutatur.

Igitur curandi methodus, generalem phlegmonarum curationem accipiet, atque auri accommodabit, sumptis indicationibus à partis præstantia, figura, & situ, & sensu. Igitur phlegmone dum in generatione est, monstrat nobis, vt primùm eius augmentum inhibeamus; postmodum quod ipsius factum est, tollamus. Inhibetur maximè si fluxionem, quæ in partem fertur, sistemus. Sistitur fluxio partem roborantibus, ne promptè suscipiat: dolorem sedantibus, cuius gratia fluxio excitatur; reuellentibus ad alias partes humorem fluentem. Quoniam verò fluxio sæpius ex aliarum partium plenitudine excitatur: siue vnà sit, vt caput, siue plures, siue vniuersum corpus: ideo præcedere abundantiæ vacuationem oportet: quanquam & ijsdem præsidijs etiam reuellendo nonnihil fluxionē inhibemus. Quod igitur sanguinem hìc mittere oporteat, nemo dubitarit, qui eorum, quæ suprà monstrauimus, satis meminerit. etenim acutissimus & maximus morbus cum sit, maximam & celerem

opem exigit. Hæc autem eſt venæ ſectio, quæ etiam vſque ad animi deliquium fieri debebit, vt extremis morbis extrema remedia adhibeamus.

Statim verò à reuulſorio hoc præſidio, & vnà vacuatorio, rurſus alia ratione fluxionem inhibebimus. Hoc fieri diximus, tum partem roborando, tum dolorem ſedando. Cui verò magis intendas animum, conijcies ex doloris magnitudine. Nam ſi ſit vehemens, & pulſatio valida, huic ſedando magis incumbes. At dolor bifariam ſedatur, tum ſenſum hebetando his, quæ ſtuporem inducunt, vel ijs quæ relaxant nonnihil; & ita cauſam tollunt.

Sit igitur primùm dolor mitior, vteris, à vacuationib. ſtatim, roſaceo ſolo, aut etiam lacte admiſto, aut oui albo. Vtile quoque eſt & roſaceum pauxillo aceto permiſcere optimè, ac tepido vti. Similiter & extrinſecus lanam his imbutam imponere, cauendo tamen ne calfiat: vnde & ſuper aure oppoſita iacere oportebit, niſi cum mens eſt expurgandi.

Diximus generatim qua ratione inſtillentur auri medicamenta. Sed hîc maximè illiſum aut duri corporis contactum cauere oportet: itaq; & potius ex lana madida, ſpecillo appenſa, guttatim inſtillare oportebit. Si verò dolor vrgeat, nihil incommodi fuerit opio vti, vt grana duo in lacte diſſoluta inſtillemus: aut medicamentum ex caſtoreo, croco, & opio, ęquis portionibus, atque ex lacte diſſoluere. Quòd ſi his aſtrictorium quid admiſceas, vt roſaceum, optimum medicamentum fuerit. quod facit Raſes.

Rurſus verò altera die commodum fuerit ex leui purgatione reuellere, ob eaſdem cauſas, quibus venæ ſectio adhibebatur. Modi autem leues purgationum ſuprà ſæpe ſunt expoſiti, in quo genere & clyſmata fuerint. Cum verò nihil amplius influit, & morbus conſiſtere videtur, ſiquidem dolor adhuc vrgeat, medicamēta ex opio in ſapa diſſoluemus quàm dulciſsima, atque inſtillabimus. Hæc enim plus mitigant, inquit Galenus, quàm dulcia vina: quoniam vinum dum ferueret, neceſſariò acritudinem quandam aſciuit. At ſapa, quoniam aquoſum omne ferè abſumptum habet, ideo non feruet, nec acris eſt: ſiquidem probè ſit excocta. Quòd ſi nō maximus dolor vrgeat, cauſæ attendere oportebit, ac relaxantibus vti. Primùm verò medicamentum eſt, tetrapharmacum appellatum, & baſilicum, nardino diſſolutum; aut liliaceo, aut amigdalarum dulcium: quod & intra aurē inſtillatur, & extra etiam ex lana adhibetur. Hoc tempore & anſerinum ſeuū, vel anatis, aut gallinacei inſtillabis cō-modè. Laxant enim partem, & leui calore euaporare faciunt quod eſt impactum. ſic & fœnogræci liquor. Quòd ſi interim morbus re-

remitti cœperit, etiam resoluentibus veteris: vt vulpino adipe; atq; omnino studebis morbi reliquias resoluere.

Si verò morbus persistat, & pulsatio, & dolor sentiatur multùm, vbi fluxio antè restitit, & febris maior præhendit, signum est ad suppurationem tuberculum conuerti. Nam circa generationem puris, dolores eueniunt, & febres magis quàm facto pure. etenim postea quiescunt. Ideo Rases opportunè inquit: Si per tres dies duret, nec sedetur) accidētia vigoris morbi significare volens: qui in hac phlegmone vnà cum concoctione euenit. Hæc ergo est adiuuāda. Tunc iubet Rases oleum sesaminum cum adipe anatis instillare, vel gallinaceo. Eliguntur hi adipes & à Galen. 12. Metho. & 3. de Med. secundum loc. ob tenuitatem partium, & mollitiem, quam habent in calore sine acrimonia: vt possint concoctionem iuuare. iuuat autem & adhibere crocum in puluerem redactum.

Huius generis sunt etiam quæ extra applicantur, vt ex farina triticea, & butyro. Etenim vt ex libris de Med. facultatibus est expositum, quæ concoquenda sunt, iuuantur, si calorem innatum partis foueamus, cuius ratione concoctio fit. Id fit tum leniter calefaciendo, tum occludendo calorem, id est spiritum, qui instrumentum est concoctionis. Itaque non iam est vtendum ijs, quæ resoluunt & dissipant: sed ijs, quæ occludunt, vt dixit Hippo. Quæ concoquere oportet, occludere oportet, id est ijs vtendum, quæ emplastica & occludentia sunt. Quòd verò siccant & discutiunt, suppurare vetant, 4. Therap. Itaq; & 4. de Tu. val. dictum est, quæ concoquenda sunt non debere vexari. Et quinto de Simpl. 4. Calida, & humida etiam ait, quæ pus mouent: intellige temperate talia: Nam oportet quantitatem caloris, non qualitatem augere: vt ibi ait.

De Vlceribus aurium. Cap. XXII.

VBi igitur iam suppurarit dolorq; cessat, expectanda eruptio est: præcipuè in intimis partibus, in quibus tenuior adhuc est cutis: quanquam & extenuata est mollientibus, quæ etiā suppurabant. Cum verò in summo propè meatum est, pinguedinis frustulum cum croco adhibitum proderit. Cum autem sanies eruperit, repurganda erit his, quæ abluunt: cuiusmodi sunt mel rosaceum instillatum, aut mulsa, quæ etiam sæpius nouare oportet. multum enim interest, si probè expurgetur. Quòd si inde vlcus diuturnum fiat, communi vlcerum curatione erit vtendum. Ac primùm

si rupturam tumoris sequatur, & sine dolore consistat, iam vt sordidum vlcus curandum erit, & vnà cauum.

Duplicem igitur hunc affectum tollere oportet, ad hoc vt glutinetur, ac iuxta methodum supra positam, & traditam ad hoc vt carne vlcus repleatur, necesse est prius sordes abstergi. Mitius igitur erit marrubij succus cum melle, aut Appij succus cum melle leuiter coctus. Similiter & cyclaminis succus cum melle & ari. Hæc quotidie bis, auri instilletur. Iuuat & medicamentum ex thure, myrrha, & aloe, cum melle instillatum. Cum verò medicamentum emittitur, ex hydromelle abluatur, pòst rursus instilletur. Hîc quoq; facit Rases medicamentum. Sed vix fieri potest, vt vnquam ad tantas sordes deueniat, cum ad phlegmonem disruptam vlcus succedit: sed potius statim ex prauis fluxionibus vlcera diuturna fiunt: quæ multos affectus comites habent. Aliquando enim crustæ accidunt, & ni tollantur, in tantam molem increscunt, vt obstruant, & auditum auferant. nonnunquam verò & fœtida, acris, tenuisq; sanies emanat. nonnunquam & vermes ex putredine innascuntur. Itaq; his calamitatibus quàmprimum succurrere oportet. Sit igitur primùm sordidum & putrilagine obsessum vlcus, aut fœtida sanie manans: certum est detergentibus egere, idq; validis: quale est medicamentum à Rase descriptum, in quo erugo æris ingreditur, cuius vis est etiam sanam carnẽ eliquare. Similiter & ferri squama, quę abincude decidit: quæ validissimam vim habet siccandi, vt & sanguis draconis, & sarcocolla, & aloe. omnia sicca admodum sunt, ita vt & affectũ maximè his mentem corrigere possint; indicatione à morbo sumpta, & partem natura maximè siccam superflua humiditate exiccare. Hæ igitur indicationes quæ à parte læsa, & quæ ab affectu, conueniunt: sed & astringunt, vt fluxionem prohibere possint. Vbi iam minus sordis adest, succedit laudatissimum medicamentum ex squama ferri & aceto: cuius præparatio est ad solem. Acetum vim sibi siccandi addit & reprimendi, roborãdo partem: leuigatur postmodum, & cum melle componitur ad sordium crassitudinem.

Vbi verò crusta adsit, quæ & difficile sanatu vlcus reddat, primùm conari oportet vt ea decidat, mox hoc medicamento vti.

De-

De Tinnitu aurium. Cap. XXIII.

DE Tinnitu, & quæ huic affinia sunt, modò agendum, quæ ad deprauatam auditus actionem pertinent. In quo quidem affectu, quòd ad ipsum distinguendum attinet, vel sedem affectam, parum laborandum videtur: quãdoquidem per se nota sunt. Illud potius diligenter perscrutandum: quæ sit horum causa, & quis curandi modus. Ea enim abscondita est, nec à Galeno quid egregium habemus, neq; prorsus philosophi satisfaciunt. Igitur Galenus secundo de Vic. 43. vbi Hippo. de huiusmodi sonitu egit, sic causas exponit: fieri dicens, vel ob spiritum flatulentum in capitis partibus aggenitum: vel ob vaporum multitudinem sursum latam. Addit & tertium causæ genus tertio de Med. sol. hoc est, sensus acritudinem. Sicut, inquit, & imagines ijs eueniunt, qui suffusione laborant. Igitur omnes, qui post Galenũ, has causas asserunt Tinnitus: sed quæ sit generationis ratio, non exponunt. Sed & alij alias quoque addunt causas, ex debilitate sensus auditus, & ex fortitudine: neq; itidẽ modũ quo ex debilitate fiat tinnitus exponũt: aut ex fortitudine. nisi fortitudinẽ idem intelligãt ac acuitatẽ. Idem enim est sensus fortis, & acutus. Causæ verò procatharcticæ vt sol, plaga, cruditas, non alia ratione causæ sunt, quàm quia internas mouent: generant, vel augent. Nos verò dicimus initium sumentes à soni generatione: Nam si probè nouerimus quomodo soni veri perceptio fiat, non erit quoque difficile inuenire, quomodo & falsus sonus percipiatur. Quod igitur sonus, aut motus aeris sit, aut non sine eo motu, ex secundo de Anima monstratum est: Necesse enim est elidi à duris corporibus aerem: itaque sonum fieri. Est autem aer ex ijs, quæ vbi semel motum conceperunt, longè possunt diffundere: vt 7. phy. habetur ab Arist. vbi de motu proiectorum disputat. At motus ille non necessariò ad aures peruenit, & ad auditus sensorium, vt sonus audiatur: quin potius sine motu quoque species soni sensilis diffunditur ad auditorium organum vsque, non secus, ac rei visilis, & olfactilis. Nam in hoc quoque, quanuis aliquandiu in sicca exhalatione deferatur odor, attamen non necessariò sicca illa exhalatio nares attingit. Sed nec semper cum sicca exhalatione est, vt experientia monstrat. Sunt enim hæ qualitates, quæ sui speciem possunt diffundere. Nam de auditu quòd sine motu etiam fiat, patet: quoniam in aqua etiam fit, facto motu in aere: & quoniam obiecto pariete, vbi motus aeris necessariò sistitur, adhuc tamen sonos sentimus. Sic & flante vento, necesse est motum illum circularem aeris destrui: itaq; nec aurem sonum illum primum pertingere, sed eius

ſpeciem: ſemper tamen ignauior ſentitur. Quoniam ſi motus ille ſeruetur aeris, in quo vt in ſubiecto eſt prima ſoni generatio, ex proximo fit multiplicatio illa ſpeciei, & ita efficacior, quod & in viſu accidit.

Hæc igitur ſoni ſpecies per aerem & aquam, quaſi per media lata organum auditus attingit. quod apud Ariſt. aer quidam congenitus eſt in auris cauitate: qui ſanè non motus, ſed quietus manens, poteſt ſonos omnes externos, qui ex motione fiunt, percipere: vt humor cryſtallinus colorum expers, omnium colorum ſpecies ſentire poteſt. Galenus verò ſenſorium potius dicit neruoſas portiones, quę è cerebro prodeuntes in meatu auditorio dilatantur, ac veluti tunicam quandam ſub cingentem conſtituunt. Aer verò ille quietus, erit proximum medium quod aqueo humori in oculo proportione reſpondeat. Hîc igitur aer congenitus, ſi quietus maneat, omnes externi aeris motiones promptè excipiet, vnde commodè ſenſatio fiet: Sin autem moueatur, atque agitetur, neceſſe eſt id euenire, quod aqueo ſucco, vbi coloratus proprio colore ſit: nam extraneum aduenientem non bene ſentiet, ſed omnia proprio eo colore colorata intuebitur. Sic motum quendam proprium ſentiet; alienos non ſentiet. Itaque tam etſi à nullo moueatur externo, cum in ſeipſo motum habeat, imaginabitur perpetuò ſe ſonos externos ſentire: atq; hic tinnitus, ſeu ſibilus. hæc igitur eſt proxima cauſa. A quo verò quietum hunc aerem moueri contingat, conſiderãdum. Prima igitur cauſa eſt, vaporum ab infernis motus, qui caliditate & tenuitate mobiles exiſtentes, aerem quoque inani illo ſpacio contentum commouent. Hinc in his quibus criſis per ſanguinis fluorẽ futura eſt, ſonoræ aures fiunt, quòd feruntur ad ſuperna talia corpora. Sic & ebrijs euenit. Sic & ieiunis admodum bilioſis euenire cenſendum, vt Galen. 2. de Vic. expoſuit. cum Hipp. de ijs meminiſſet. Non ſecus & in maligno morbo euenit. vnde Lucr.

Sollicitæ porrò plenæq; ſonoribus aures.

Fit rurſus vbi in cerebro ex materia craſſa & viſcida, gignitur flatuoſus ſpiritus, qui per arterias reuolutus ad aerem quietum perueniens, ipſum dimouet, non ſecus ac externus flatus: vnde ſomnum imaginantur. Fit verò ſonorum diuerſitas ex natura congeniti aeris primùm: mox ex natura materiæ, quæ mouet. Nam ille vel turbidior aliquando eſt, vel clarior, vel craſsior, vel tenuior, vt ſe externus aer habet, tertio Aphor. Sic materia illa aut craſsi flatus naturam habet: aut tenuis vaporis, vel exhalationis. Si enim craſſus vnà aer ſit, & qui mouet flatus, fragor fiet, perinde ac cum denſæ nubes diffringuntur flatibus. contrà, ſi tenuia. Quòd ſi tenuiſsima, ſibilus.

Ex

Ex alijs verò causis, quæ in sensus acrimonia consistunt, difficilem explicationem habet. Nam si nihil aliud externum mouens accedat: sed sola acrimonia sit sensus; quæ causa erit, vt sonos falsos audiat. nam acer sensus quò magis est, eò minus hallucinari debet. Respondeo, solam acrimoniam sensus non esse causam, vt tu monstras: quod tamen nullus (quod viderim) animaduertit. Sed concurrere etiam motum aliquem illius quieti aeris: qui cum exiguus sit, aliàs in obtusiore sensu non læderet: quia non perciperetur illa leuis motio. Sicut neq; hebetibus oculis suffusionis accidentia fierent: sed acris sensus, vt Galenus ait, ideo eadem causa est, quæ superiorum, sed leuior: acritudo verò potius occasio & concausa dici debet.

Rursus alia ratione sensus acritudo potest officere: vt scilicet externas motionis nimis exquisitè percipiat. Cum enim externus aer perpetuò moueatur, potest quidem leui refractione facta, perpetuũ quendam fragorem parere: sed qui non sentiatur nisi à sensu exquisitissimo. Hic igitur perpetuò sibilos, fragores, tinnitus sentiet, iuxta ea, quæ assimilantur illi speciei sensibili, quam concepit. De hoc perpetuò sono aeris dixit Anaxagoras, soluens cur interdiu minus audimus: quoniam inquit commotio aeris maior est, vnde & sonorum confusio. Alia quoque ratione acrimoniam sensus causari possumus: ex his, quæ de congenito illo aere dixit Aristo. inquit enim, illum perpetuò moueri. Itaq; & illidi auditorio meatui. Quem motum sibi cõgenitum ait & naturalem, qui scilicet ab externa & morbosa causa non fiat. Inquit enim ἀεὶ γὰρ οἰκείαν κινεῖται κίνησιν ὁ ἀήρ. secundo de Anima 83.

Inde igitur obtusus quidam susurrus fiet, qui in acri quidem sensu exaudietur, non autem in hebeti: nisi & ipse omnem externum sonum prohibeat accedere. Et hæc est causa, cur obturata aure manu, audimus sonum quendam confusum, quasi fragoris maris: tum enim motum illum aeris naturalem sentimus. Et hæc est Arist. sententia, qua videtur sibi contrarius cum prius ἀκίνητον esse dixisset. Sed intelligit esse immobilem motibus externis & validis, non eò debili, & ambiguo. Quod verò debilitate aiunt, atq; inde sibilos in conualescentibus euenire, vt Arabes dicunt, non video quam rationem habeat. atqui debuerunt modum afferre, quo debili facto sensu, tinnitus fieret. Si enim facultatem intelligunt, obtusus sensus erit, & minus fiet. Si instrumentum, ad alias causas reducetur, vt quia male alimentum concoquet, & flatus leui occasione gignetur. Si dicant debile dici, quoniã facilè patitur: atqui hęc perfectio sensus est, vt facilè patiatur. Etenim sentire quoddam pati, & actio

ſenſus paſsio eſt, vt ait Ariſtoteles.

Signa flatuoſi ſpiritus cauſantis tinnitũ.

Priuſquam autem curationẽ aggrediamur, neceſſe nobis eſt cauſas ipſas diſtinguere, vt vnicuiq; propriam curationem afferamus. Primùm igitur num à flatuoſo ſpiritu fiant, monſtrabunt in primis quæ præceſſerunt, vt victus ratio, quæ in vniuerſo corpore pituitam aceruarit, præcipuè verò in capite. Hæc enim eſt flatuum propria materia. Sunt autem cauſæ eæ omnes, quæ caput refrigerant & humectant, & ita cum per ſe caput repletum, ex accidenti conſtipant meatus, & tranſpirare prohibent, & quia concoctionem vitiāt, ex quo vitio crudi ſucci gignũtur. Siue igitur quis nocturno aeri caput exponat, ſeu aliter frigido, aut humido, ſimul hoc eueniet. præcipuè ſi diſcoopertæ aures: & ijs ſæpe, qui paluſtria, & frigida loca incolunt, & minimè inſolata. Quòd ſi frigidos à natura morbos capitis perpeſſus ſit, non exilis erit coniectura de cauſa: vt lethargum, hemicraneam, vertigines. Si dolores auris à frigido humore, itidem. Sed & vnà frigiditas capitis ſentietur, & affectæ partis, & à contrarijs auxilij iuuabitur. Rurſus aliæ procatharcticæ cauſæ monſtrabunt affectum, vaporem eſſe ab infernis elatum caput replentem; vt meri potus, & crapula: præcipuè ſi poſtea exercitatus intempeſtiuè ſit, aut in ſole permanſerit, aut ſtatim à cibo ſomnum cœperit. Num verò ex ſenſus acrimonia ſit, ſic diſtingues.

Primùm quoniam omnis cauſa procatarctica abſit; tũ de ijs, quæ immediatè agitare poſſunt: tum de ijs, quæ cauſas internas poſſunt gignere, aut mouere. Statim enim de acritudine ſuſpicaberis; quæ etiam leuiſsimas cauſas perſentiſcit. Præcipuè ſi aliàs acuto audiendi ſenſu æger ſit præditus. Mox num continuus ſit, an per interualla repetat. Qui enim continuus eſt, cum non expectet externæ cauſæ motionem, ab acri ſenſu eſſe videtur. Sed præcipua cognitio erit ex ijs, quæ iuuant, & lædunt. Diximus enim aliàs medicinam, hac parte maximè coniecturalem eſſe, & eſſe aliquando affectus agnitionem coniectura adeò certa habitam, vt proxima ſit exactæ certitudini. Aliquando ſolùm artifice digna coniectura dicatur, id eſt vltra quam non poſsit coniectari. Igitur qui ex ſenſus acrimonia ſit, non bene curam recipit, præſertim ſi antiquus ſit: quòd ſi ex auris ſiccitate nunc parta, & puritate inde maxima in organo facta contingat, curari poterit: & Galenus curat. Primùm igitur, ſi ex vaporum multitudine ſit, vel ea eſt à procatarctica cauſa, & tunc erit amouenda: vel erit ab interna, ſed quæ à procatarctica mota ſit: vt ebrietate. Et tunc primùm eam remouere vomitu oportet: mox caput his, quæ ebrietatem arcent, fouere: de quibus ſuprà diximus.

Si verò ex criſis apparatu eueniat: quod dignoſces exactionibus:

præce-

præcedentibus & diei natura: mox quia vnà & alia signa sanguinis fluxuri aderunt: vt malarum rubor, & venarum tensio in facie: & cætera de quibus tertio de Crisi: nunc nihil moliri oportet. Sponte enim sua cessabunt à crisi: at si quid post superfit discussorijs pharmacis vtitor leuibus: vt absinthij decocto ex aceto. Quòd si ex flatibus, siquidem recens sit malum, in primis à summa causa incipiens vniuersum corpus eiusmodi humoribus vacuabis, adhibitis ijs, quę ipsum præparant. Cuiusmodi sunt dissecantia, & extenuantia omnia: seu in victus ratione adhibita, seu in ratione medicamẽtorum. Mox caput priuatim vacuabis, idq; consuetis sæpe supra positis vacuationibus: cuiusmodi sunt quæ pituitam per os, & nares ducunt. Demum ad localia descendemus, quæ etiam hos scopos præstare debent, vt flatus extenuent, atq; discutiant. Suprà verò eorum meminimus, cum de frigido aurium dolore disseruimus. Radix igitur cyclamini cocta ex oleo vtilis erit, & cucumeris agrestis, & suffitus herbarum. Priuatim verò siccam rutam, aut saluiam suffire possumus. Cauere verò itidem omnes præcedentes causas, à quibus hæ internæ in corpore sunt genitæ.

Si sensus acrimonia sit, quanuis vnà alia sępe soni causa adsit, sed leuis, de ea nihil curandum, sed sensus obtundendus. Hîc verò lumbricorum primo vsum ex rosaceo inciperem, quòd leuiter retundunt. Similiter & opij nonnihil, vt Galen. aut cicutæ semen ex aceto, suffumigatum: vel infusum iuuabit. At oportet his non sine cautela vti. Quòd si exsiccato capite id fieret, humectabimus cum victu, tum balneis. Medicamẽta retũdentia acrimoniam sensus.

De Graui auditu. Cap. XXIIII.

GRauis verò auditus, primùm fit ob interni illius aeris crassitiem, & turbiditatem: cum soni tãquam per medium crassius exaudiri debent, itaque exigui non audiuntur, magni vix audiuntur. Multa enim impressione est opus. At species sensilis multo efficacius ex proximo, quàm ex remoto imprimit: ideo quod primas illas qualitates necesse sępe erat in aliquantum spacium distundi: itaq; aures admouent, vt audiant.

Porrò hæc turbiditas prouenit ex elato sursum vapore crassum reddente, non secus, ac nubes: De qua causa Hippo. meminit, cum inquit, Austros hebetare auditum, non alia ratione, quàm quia vt externum aerem, ita & internum, dum caput crassa humiditate

replent, turbidum & crassum efficiunt. Prouenit & ex innata cerebri temperie, vel acquisita: qua malè concoquit, & crudos humores, crassosq; gignit, à quibus talis quidam vapor exhalat.

Altera causa est ex spiritibus: Hi enim crassiores & hebetiores facti, facultati auditoriæ idoneum instrumentum non sunt ad sensationem: & huiusmodi spiritus transmutatio ex ijsdem causis prouenit. Siue enim ex errore victus, tales gignantur, siue ex ambiēte nos aere, nihil refert. Cum enim crassus & turbidus fit sanguis, aut frigidus: cum generatio spirituum partim ex sanguine fit, necesse est tales esse, qualis qui gignitur sanguis. Hinc veteres philosophi etiam ad disciplinas, exactissimam victus rationem conferre putabant. Vnde Pythagoras leguminibus abstinuit. Similiter & ex aere: tales enim sunt spiritus nostri corporis, inquit Galenus, primo Epid. primo qualis est, qui nos ambit aer. Etenim & spiritus generatio ex aere est. Ideo in Aquilonari constitutione corpora nostra bene colorata sunt: mobilia sunt: clarissimè vident. cōtrà in Austrino, quod in nostra hac plaga est intelligendum.

Tertia causa est ex instrumento: quoties obstruitur, repleta cauitate humore aliquo, vel prorsus corpore quopiam crasso obturante. Sed quis sit hic humor replens, num omnis, Galen. videtur perpetuò hanc curam statuere ex dissecantibus & extenuantibus & siccantibus. Vnde constat, putare eum affectum esse pituitæ semper sobolem. Hippo. de bile meminisse videtur, cum ait, libro 4. Aphor. Surdis biliosas deiectiones conferre. Et rursus de sanguine vnà meminit. Solui dicēs surditatem, vbi sanguis è naribus fluxerit, aut aluus largè deiecerit. Respondetur, has surditates esse eas, quę crisim antecedunt, & sunt critica symptomata: quæ sæpe vidimus: ideo excretione facta, soluuntur. Fiunt autem repleto vapore, & humore capite: ideo & contingit obstrui meatum, aut potius offuscari aerem congenitum in auditorio. Sed si sine alio morbo, cuius impetu caput repleatur, malum accidat, & sit passio diuturna; proculdubio ex frigido, & crasso succo erit. Huius igitur curam ponit solùm: quoniam alia curam non exigit: nam sponte sua cessat. Dic etiam à sola bile non fieri obstructionem: sed vnà à sanguine, qui simul per venas fertur.

Cum igitur triplex causa sit, primùm distinguere oportet vnamquanque. Quę igitur in instrumēto est, id est obstructio, primùm ex præcedentibus facilè distinguitur: vt morbi, si qui antea euenerint circa caput, præcipuè frigidi, vt lethargus, dolores capitis diuturni à causa frigida. Sibili flatuosi, Comitiales, & apoplexiæ, monstrant & obstructionem esse, & à quo humore obstructio sit. Quòd si præ-

cessit

cessit crisis aliqua capiti attinens, hæc etiam obstructionem demõstrat. Et quidem aliquando vidimus surditates prauas ex his crisibus, abscessu facto ad aures derelinqui. Quòd si vlcus præcesserit, vel adhuc adest, facilè obstructionem esse, & à quo humore sit, conijcimus: nẽpe ex sorde & sanie, vel crusta, vel calloso, & duro vlcere. Coniectura quoque hæc fiet ex præcedente victu: quo conijcimus caput esse repletum, & quo humiditatum genere repletum sit. Scimus verò vniuersim potius crassos, & viscidos humores obstruere.

Si verò obnubilatio interni aeris, percipies, quoniam victu pleniore est vsus: quo sæpe cruditates incidit, & meracius bibit, & in aere nubiloso est versatus, à quo etiam & spiritus alterantur, nempe ab ijsdem causis: defectus verò ipsorum, alimenti defectu est: ideo aut longus morbus, aut siccantes nimium causæ præcesserunt. Sed & in præsens iungitur his macies faciei & pallor.

Curatio verò eius, quæ ex obstructione fit, est remouendo obstructionis causam. Quòd si hæc quoque causam habeat fouentem, & conseruantem, hanc tollere prius oportet. Si igitur (vt à simplici maximè affectu incipiamus) crisim morbus sequatur, aut vlcus, nõ necessariò prospicere alteri affectui debebimus: sed nec toti, nec capiti. Sat igitur erit localia deobstruentia adhibere: quod & facit Rases, cũ dicit: Si præcessit acutus morbus.) Ponit autem suffumigia & vaporationes (& nos suprà de his diximus) sed vtiles nõ sunt nisi post crisim, vbi natura corpus vacuauit: vt & puluis, quem describit in sanie extergenda.

Sed nos exactius dicemus: Si sanies sit, detersorijs vtendum ijs, quæ in vlcerum cura descripsimus. Si verò crusta, tollenda, vt diximus: mox vlcus sanandum. Sed si obstructio à crassis succis sit, eadem erit cura, quæ in dolore auris ex causa frigida est posita, vacuãdo corpus & caput: mox localibus, in quibus, extenuandi vis insit; è quibus sunt remedia Rases: & quæ heri diximus. Sicca omnia vehementer, & amara, ex aceto ad incisionem composita. Quòd si ex mala capitis intemperie, vt frigida & humida fiat. Cuius notas habetis, 2. Tech. tunc ea est proprijs remedijs corrigenda. Vnde & embrochas quandoque exhibemus. Si spiritus oblæsio sit, aut aeris obnubilatio, remotis externis causis, siccantibus vtemur, tum ad caput, tum ad aures. Prosunt verò aromatum suffitus. Si defectus & siccitas, iubet Rases & somnum conciliari & victu humectante vti, & aquam tepidam capiti superfundi, & id optimè: Sic enim siccitas temperatur, & spiritus regenerantur. In vniuersum verò cura est difficilis, imò impossibilis, si naturalis, aut si post ortum sit. Sed

diuturna fuit ratio, quoniam causa nõ facilè remoueri potest. Nam si obstructio in neruo sit, longè distat à remedijs, quibus curatur: Si in meatu auditorio, difficile est materiam eam ex tam angustis & sinuosis partibus exhaurire: Ideo si causa fixior sit, non sanantur.

De Sanguinis è naribus profluuio. *Cap. XXV.*

NOmen huius affectus symptomatis est, effluxum sanguinis præter naturam significans: pertinet verò ad excrementa. Affectus verò à quibus euenit, multi sunt, quos etiam distinguere inter se oportet, vt vnicuique propriam curationem adhibeamus. Galenus itaq; hoc loco se remittit ad secundum librum Methodi: Ibi enim methodo omnes causas sanguinis profluuij inuenit à quacunq; parte defluat. Sed prius quæ pars affecta noscendum. Sunt autem necessariò venæ, & arterjæ, quæ profundunt, nunc maiores, nũc minores: Maiores quidem & numerosiores sunt, circa cerebri membranas, qua parte ipsas nares attingunt: minores postea disseminatæ sunt in ipsa narium substantia ad alimentum. Igitur affectus tres genere sunt. Primus anastomosis, id est, osculi apertio dicitur, quando ora venarum, vel arteriarum reserátur: & sanguinem fundunt contentum. Secundum diapedesis dicitur, & est percolatio quædam sanguinis per exiguos meatus: qui in venarum & arteriarum tunicis sunt. Tertium diæresis, id est diuisio; quoties vas ipsum diuiditur.

Primus modus in cauitate morbus est, & secundus: quoniam aperta sunt nimium ea, cum magis clausa secundum naturam esse debeant. Tertius ad solutionem continui pertinet. Causæ verò anastomoseos sunt, primùm multitudo, quo ad vasa: vnde continere cum nequeunt, transfundunt, aperto ore impetu sanguinis. Ideo præcipuè euenit cum sanguis fusus multus Verno tempore vasa repleuit. Sic multis è naribus, sanguis profluit, cum in sole ambulant: quia venæ calore replentur, & sanguis funditur, & impetu proruit. Ex hac eadem causa & vteri venæ aperiuntur singulis mensibus: & mutilis aliquo membro, dysenteria hepatica fit, & sanguinis vomitus. Secunda causa infirmitas contentiuæ venarum, vnde grauantur etiam à mediocri copia. Si igitur sanguis in corpus non absumatur pro alimento, tunc velut onerosum reijcere tentant: vnde

proflu-

profluuium. Id etiam multis euenire apparet, sine plenitudinis notis, vt sanguinem reijciant. Ad hoc genus pertinet & sanguinis vitium quo proritatur expultrix vis vasorum: aut quia biliosum, vel aliter cacochymum: aut putridum, vel corruptum: aut quid eiusmodi perpessum.

Acria quoq; medicamenta aperiunt, quale cepæ, & cyclaminus. Igitur apertionis osculorum causa erit ex repletione, aut imbecillitate contentricis, aut vitio sanguinis: qui vel expultricem proritat, vel ora venarum sua acrimonia dilatat. Hoc vitio laborant cacochymi præcipuè biliosi, & melancholici. Sed biliosis quidem sursum ad nares sanguis fertur, melancholicis verò deorsum ob grauitatem ad sedis venas.

Diapedesis verò fit, id est exsudatio, aut tunicis rarefactis, aut cum, sanguine tenui exeunte, per oscula tenuium venarum effunditur: & sic sanguis è pulmone, ex ore, gingiuis, exsudat, quibusdam & per cutem. Diæresis vero ex omnibus fit causis, quæ possunt solutionem continui facere: rumpi, diuidi, contundi, erodi. Hi igitur sunt affectus tres, & eorum causæ: è quibus alij instrumentales morbi sunt ad cauitates pertinentes; alij verò diuisio continui.

Has itaque tres dispositiones, è quibus sanguis effluit, dignoscere oportet, & earum causas. Sed prius breui recapitulatione vtendum est. Cum igitur sanguis effluit, necesse est venas affici; quibus continere illum officium erat. affectio verò hęc vel osculorum apertio est, vel rarefactio tunicæ, vel illius diuisio. Si igitur maiora vasa aperiuntur Anastomosis, vel simpliciter osculorum apertio dicitur. Sin minora aperta sint, vel rarefacta tunica vasis, exsudatio dicitur: quoniam sensim sudoris instar profluit, non confertim, vt in Anastomosi. Si tunica discindatur, diuisio est. Hic ergo affect9 ad solutioné continui pertinet: ideo morbus instrumentalis est. Causæ verò apertionis, copia sanguinis confertim irruens, & distendens: accidit verò vt è maioribus in minora vasa fluat, Primùm fusione: quæ quibus de causis fiat, sæpe diximus. Sunt autem calfacientes omnes, ira, furor, motus, calor. Secundum, vi naturæ expellentis: vt in crisi vera, & vtili: aut quando natura venarum proritata excernit. Tertio contentricis imbecillitate, cum ora aperiuntur, non præ copia, sed quia venæ vim continendi imbecillem habent: ideo à mediocri copia aperiuntur. Proritatur verò excretrix, aut copia quo ad vires aut praua sanguinis qualitate.

Quòd igitur anastomosis sit, distingues: quoniam confertim sanguis effluit: Etenim maiora vasa aperiri diximus. Nec aliqua causa tunicam secans præcesserit; nam hinc quoque confertim fluere opor- Signa Anastomosis.

tuit. Sed quæ ſit apertionis cauſa ex tribus, ſic coniectabis. Si enim copia fuſi ſanguinis ſit, neceſſe erit & ſigna copię adeſſe, & fundentem aliquam cauſam præceſsiſſe, quæ omnes procatarcticæ ſunt, vt nominauimus: ideo notæ, ſi ex vi expultricis venarum. Si criſis bona ſit, eius ſigna aderunt, tum præcedentia, vt coctionis notæ in die iudicatorio: & præſentia, vt critica ſymptomata. Si verò proritatione, ſigna erunt cacochymiæ, præcipuè biliosæ, vel melancholicæ, vel etiam corruptionis ſanguinis alicuius, vel putredinis: qua ratione & in ſanis, & in egris hæc apertio contingit. Quòd ſi ex imbecillitate contentiuæ, quod tamen rarius eſt, videbimus per breuia interualla ex leuiſsimis occaſionibus effluere ſanguinem: ſed nõ multum, nec confertim adeò, vt in alijs cauſis.

Signa Diapedeſis.

Quod verò exſudatio; lenta & leuis eductio ſanguinis, monſtrat & quoniam ſanguis peccat à natura per tenuitatem: igitur dilutus apparebit, & tenuis, velut aqueus; & ex alijs ſignis talem eſſe conijciemus. Vt quia cachexiam patitur corpus: vel hydropem, & colore albicante eſt in pallido. Hoc euenit inchoante hydrope. Quod ex diuiſione continui, & quia cauſa aliqua præceſsit, vt ſi ex alto cecidit, vel plagam accepit circa eas partes, vel cum vlcus pateretur antea, cruſtula extracta eſt, vel ferro inciſio eſt facta, vel mordicante medicamento vſus, eroſionem patiatur ea parte, vel acris diſtillatio præceſſerit.

Signa Diæreſis.

Præter ictum verò rumpi contingunt vaſa ex feruente ſanguine, non ſecus, ac dolia & vtres ex muſto. Dum enim inflatus ſoluitur, calore diſtendit vehementius ac perrumpit. Sed hoc maximè viſcerum venis euenire ſolet; quæ tuniculam tenuem habent, & molliſsimam: vt pulmo & iecur: vt in lib. de Opt. habitu. Galenus ait: quo loco de hac cauſa diſputat. Hæ ſunt igitur affectiones, & cuiuſq; cauſæ, & earum ſigna vniuerſa.

Nunc de Prognoſtico agendum. Dicimus itaque maximè periculoſam eſſe continui ſolutionem, ſi in magnis vaſis ſit, præcipuè arterijs. Nam arteriarum difficillima ſanatio eſt, præcipuè earum quibus medicamenta nõ applicantur. Venarum etiam ſanguis hac ratione non facilè ſiſtitur: vnde profluuio nocere poteſt. Si qui igitur non periere, neque valde læſi ſunt ruptione hac, ſignum eſt exilia ea vaſa fuiſſe. Qui verò ex eroſione, vix curam accipit: quinimò ſæpe decidente cruſta reuertitur. Inter anaſtomoſos verò, quæ ex debili contentiua, facilè ſanatur. Similiter quæ ex fuſione, poſt profuſionem ceſſat: nec inſtat periculum. Quæ verò expultricis vi, ſic diſtinguitur. Vel enim à natura fit proprijs legibus operata, & tunc nihil periculi habet. Dico proprijs legibus, vt criſim tempeſtiuam

faciat,

faciat, id est cum optimis signis præcedentibus, in die optimi iudicij: & sine magna conflictatione. Et erit maximè expetenda: quoniam à morbo liberabit. Statim verò & morbum ex ijs esse videbitis, qui plurimum, & salubriter ea via iudicantur, vt synochæ febres & phrenitis, è causon, & viscerum inflammationes, & pleuritis. At si hæc absint, maximum instat aliquando periculum ex profusionis multitudine, siue vnum eorum, siue plura desint ad bonam crisim expectandam. Si verò ex hac eadem causa sanis eueniat, quod præcipuè adolescétibus biliosis euenit, malum est symptoma, & ad malas ægritudines deducens: vt hydropē humectato corpore, vt Hippo. fieri ait in sanguinis profluuijs.

Qui verò ex diapedesi, non videtur malum præsens aliquod minari, ratione tamen causarum, id est, ex accidente, difficultatis nonnihil habere videtur: præsertim si sanguis aquosus sit. Significat enim malum habitum iecinoris, & venarum, ex quo breui totū corpus afficitur. Anastomosis verò, quæ sanis euenit excretricis vi, nō qualitate molestata, sed quantitate solùm, vt ex vtero, vel hæmorrhoide. Quantitate quidem profluuij obesse non potest: nam copia vacuata sistetur, & vtilis erit: lædit tamen aliquando ex loco, vnde profluit, vt si per vomitum, vel sanguinis screatum, vel vrinas. excerni enim per eas partes eligendum non est.

Ex his quoque apparebit quando natura in profluuijs his sanguinis, sinendum sit: vel aliquid moliendum. Et rursus si moliendum, num sistendo prorsus, an retinendo nonnihil, an alio traducendo. Qui enim ex copia solùm: si per malas vias traducere aliò oportet, & auertere. Si ex irritatione, vt in crisi aliqua, aliquando retinere si excedat. excessus verò non pondere, vt Auic. est examinandus, sed virium lapsu. In alijs casibus semper sistere oportet: quoniam prorsus sunt præter naturam. Hìc verò tollitur dubitatio. Gal. omnem præter naturam ait, excepto vtero de Morbis. Mihi, profluere narium solùm noxa caret, 3. Aph. 33.

E tribus igitur affectibus, quibus primùm curatio debetur, à continui solutione incipiamus: ac primùm de ea, quæ à procatarctica causa facta est diuidente, vel rumpente. Hæc igitur communis erit cura aliorum vlcerum, in quibus causa desijt. Exigunt autem cruda vlcera agglutinationem, quam suprà fieri monstrauimus his, quæ cum frigiditate & siccitate multum astringunt. Quoniam verò profluuium sanguinis adest, vt ponimus, ideo curationem perpetuò remoraret, vt causa prohibens vulneris glutinationem: quare sedandum est in primis, habent enim vt se inuicem causent. Vulnus enim apertum profluuium causat: & rursus hoc vulnus occludi nō

finit. Ea igitur erunt remedia, quæ etiam glutinationi non erunt incommoda. Primùm auertere ſanguinem ad contraria, & longinqua & deriuare ad proxima. Sunt autem auerſionis inſtrumenta multa, de quibus ſæpe diximus. Sed in primis ſanguinis miſsio eſt: poſtea vincula, frictiones: & demum adhibita occipitio cucurbitula, vel ſummæ ceruici & hypochondrio ex directo. Ab his ad localia deueniendum, ea ſimul & fluxum prohibent, & vulnus glutinant. quę eſſent, dixim⁹ genere. Materia verò ſimplex multa eſt: Hîc emplaſtica terra lemnia, gipſum, hematites, hypociſtis, citynus, balauſtium. Hęc in puluerem redacta ex vino auſtero per licinia naribus immittantur, & fronti, & ſyncipiti applicentur. Sic polygoni vtriuſq; ſuccus, & hyppuridis.

Simul verò patet, quòd in ſumma inedia ægrũ retinebimus: pręſertim ſi è membranis profluat. Quòd ſi ob anni defectum aliquid dare cogimur, oua lactentia offeremus; quoniam ex proprietate cõferre dicuntur. Saltem non offendent, vt vinum. Quòd ſi ex interna cauſa erodente fiat, neceſſe erit vlcus ſanare: de quo ſequenti capite. Diximus ſecandam eſſe venam in profluuio maximo, neque in hac ſolum cauſa, ſed in omnibus quoq; alijs, anaſtomoſi ſcilicet omni. Sed ex qua vena? Retractio enim ad maximè longinqua fieri debet, xiij. Meth. vt Galenum videmus venam brachij diuidere, 5. Metho. & in libro de Venæ ſectione: vbi pulchrè etiam docet, quando, & qua ratione mittendus ſit. dicens, non eſſe expectandum donec impetus effluentis ſanguinis flacceſcat, id eſt, vt vires reſoluantur: ſed quando quod iuſtum eſt vacuatum fuerit. Reſpondetur, ſi valentiſsimè irruat ſanguis, in continui diuiſione, potius in cubito ſecarem: vt ſimul phlegmonẽ à vulnere prohiberemus: at in anaſtomoſi, ſeu ex copia ſit, ſeu ex contentricis imbecillitate, diſtinguerem. Nam initio quidem à longinquis maximè cum valde irruit: at cum ſedatus eſt aliquantiſper motus, ex cubito: quoniam non tanta tunc vehementia retractionis eſt opus.

Curatio ſanguinis fluxus. Exſudatio verò (& erat affectus rarefactionis tunicæ venarum) vnà & tenuitatis ſanguinis, leuem curam habet. Nam ſanguinem craſsiorem gigni procurabimus: corpus ſiccabimus, vt qui genitus eſt, craſsior reddatur: & poſtea aſtringentibus ad partem vtemur. ſat erit poſca ſimplex, aut cum ſucco polygoni.

Anaſtomoſis verò ſic curatur. Et enim generatim quauis de cauſa eueniat, reuulſione eſt vtendum, ea ratione, quam diximus. Et inſuper, vt Galenus inquit, excretionum naturalium meatus recludendi, id eſt, ſi coniectabis extarum ſuppreſsione hoc euenire, & demum cucurbitula hypochondrio applicanda: non enim inter initia

cum corpus est plenum, ne phlegmonem accersat.

In alijs verò remedijs, ex causis sic distingues. Sit primùm ex copia, curam verò non exigit: si ex fusione sit, nisi per loca non conuenientia profluat, vt per ventriculum, per os. Suprà enim semper malus, dixit Hippo. ideo copiam aliò auertemus misso sanguine, aut recluso naturali meatu excretionis, in quo metus non sit, donec desuescat natura eò trasmittere: & astringentib. partes quę suscipiunt, roborabim9. Sic aliquando mulieres quib. hæmorrhoides fluebant ad menses reduximus: & sanguinē sæpe è narib. fluentem, cōpescuimus, & per pulmonem: erat enim illa via conuenientior ad copiam exonerandam. hoc & si ante tempus excretionis fiat, optimum erit.

Si verò copia irruat, proritatione expultricis facultatis (siquidem laborantem acuto morbo curemus) cōsiderabimus crisis morem, qualis sit. Hoc enim melius est dicere, quàm vt Auic. non est restringendus, nisi superfluat. Statim enim, vt Galenus fecit, remedia sistentia in promptu habebimus, nec expectabimus superfluitatem illam: sed vbi, vt dicit Galen. de Venæ sec. quod iustum est, & moderatum effluxerit, remedia sistentia adhibebimus. Hoc verò euenturum, à natura conijcere est: quoniam crisem agnosticam fore multa demōstrabant. Sed si omnes notas habet crisis: sinere oportet. Igitur remedia erunt, posca fronti, & syncipiti apposita, & per nares attracta, & medicamentum ex thure & aloe cum albo oui, & alia astringentia. Iubent frigida perfundi caput, præsertim ex insperato, vbi territa natura fluorem omnem ad cor trahit.

Si in sano contingat, idq; sola abundantia grauante, dimittito si per nares: est enim commoda excretionis via. Si verò ex mala qualitate: primùm symptomati occurrendum, mox causa tollenda. Occurrimus ijsdem vijs: sed & ea adhibemus, quæ ex proprietate conferunt, vt iaspis: & tollimus ea, quæ ex proprietate mouent, vt motus omnes, vel animi, vel corporis: & lucem & calorem, & rubrorū inspectionem. Causa verò tollitur sanguinem attemperando contraria qualitate, quæ est frigida, & humida, quæ tum medicamentis, tum cibis perficitur.

De Narium ulceribus. *Cap. XXVI.*

NArium vlcera suspecta admodum sunt, nō solùm ob symptomata quæ inuehunt, sed & ob curationis difficultatem. Symptomata verò sunt, in primis tetrus odor, qui tum ab ægro ipso, sæpe verò & ab astantibus deprehenditur. Deinde & olfactus

ſæpe tollitur, vitiato cerebro vapore, qui à ſanie vlceris attollitur. Quòd ſi malum contumax ſit, etiam ipſam narium chartilaginem, quæ Septum dicitur, exedit: vnde & diſtorquetur naſi figura, aut ſimus etiam fit. Vitiatur verò & reſpiratio, ſeu cruſta meatus ſpiritus repleat, ſeu naſus diſtortus vnà mentum diſtorqueat: vnde & ſpiritus non facilè permeat. Sæpe & vox vitiatur, communicato malo mentui, quo nares palato communicant. Etenim palatum, quaſi teſtudo, ſi exeſum ſit, vocem non reflectit. Nonnunquam & ſanguinis profluuijs leui de cauſa capiuntur, cum vlcus ad vaſa erodenda peruenerit. Difficilis verò curatio hinc fit, quòd multa excrementa à cerebro pars recipit; & quia medicamenta non aptè inhærere poſſunt, ob loci anguſtiam. Quòd ſi admodum enitaris, ſternutationem mouent, & eiaculantur, & ad ſe fluxionem proritant.

Peſsima verò ea æſtimanda ſunt, quæ diuturna, & quæ curata etiam ritè, ſanitatem aſſequuta non ſunt. Deteriora quoque ſunt ſordida, cruenta, & fœtida his, à quibus bona ſanies effluit. Fœtida iam Ozaenę dicuntur. Ex loco quoque affecto prauitas æſtimatur: nam intima deteriora ſunt his, quæ in ſummis naribus ſitum habent. Deterrima, vbi craſſa cruſta eſt: & omnium peſsima, vbi chartilago exeſa, ex Hippo. non regeneratur, neque coaleſcit. Quæ igitur in Gallico morbo affectis eueniunt, peſsimi generis ſunt; ob prauam humoris qualitatem, qui ea facit. Etenim veneni inſtar, carnem & oſſa corrumpens, vt ſæpe fieri videmus: imò prius, magisq; oſſa, quàm carnem: cuius cauſam aliâs veſtigabimus.

Nos igitur in præcedenti lectione altera, quæ ex cauſa externa aderant, curare docuimus: nunc verò ea, quæ ab interna. Ea eſt humorum vitium cum ad acritudinem, & eroſionem quãdam per naturam peruenerint. Author verò fluxionum cerebrũ. Porrò quòd eiuſmodi aceruet humores, cauſa eſt primùm temperies innata, vel acquiſititia. Rurſus eſſe poteſt & venarum omnium temperamentum tale, vnde caput ſuſcipit. Poteſt & mala temperies occulta acquiſita eſſe, vt in morbo Gallico: vnde talis humor aceruetur, ac fluxio excitetur. Scimus verò nares à natura non eſſe purgando cerebro deſtinatas: ſed ad alia officia, quæ ſæpe diximus. Aliquando tamen cũ ægrotat, nõ purgatur per rectas vias, id eſt per palatum, ſed aliunde: vel etiam illa vna ſibi non ſat eſt excernendo, ſed eam quoque requirit, quæ per nares.

Curationem Raſes ita proponit, vt nihil præuiſionis admiſceat: ſed ſolùm morbum reſpiciat. Inquit enim, ſi cruſtoſum ſit vlcus, primùm cruſtam tollere mollientibus humidis: mox vlcus vehementi medicamento ſiccare docet ex ſale, & aceto. Subdit verò, quòd ſi

vlcus

vlcus fuerit,id eſt,ſi ſordidum,& nota dignum vlcus affuerit. Nam remedium illud puri vlceris, non ſordidi,erat,cum ſiccaret ſolum: Ideo poſtea remedia valde detergentia ſcribit, vt quæ ex myrrha confecta ſint, & ſiccantia magis: nempe alumine,galla, & his, quæ tollunt acritudinem ſaniei,ceruſſa,& lithargirio,& oleo roſato.

De cauſa igitur non meminit: nos tamen ab ea indicationem agendorum primam accipimus. Huic igitur malo cum leue eſt,obuiam ire oportet:nam poſt non facilè curam recipit.Incipiunt verò inter initia exiles, leuesq; cruſtulæ, quas ægri, vtpote reſpiratione ab ijs læſi,tollere tentant:ſed paulò poſt manente vlcere regignuntur ex craſſo pure per poros effluente.At dum manent,quod ſub ijs retinetur,perpetuò excedit aliquid ſubiectorum corporum:vnde vlcus fit maius in latum,& profundum.

Statim igitur cauſam,id eſt, fluxionem tollere oportet, quæ neceſſariò ex malo temperamento cerebri fit.Siue enim in ipſo,ab initio mali radix conſtitit,ſeu è reliquo corpore,vt venoſo genere,occaſionem habuerit:neceſſe eſt longo tractu temporis tãdem etiam caput propriè affici,longa conuerſatione fluxionis. Primum igitur curam totius habebimus corpus purgando, & victum talem inſtituendo,à quo temperati, & boni ſucci gignantur, cauendo omnes cauſas calfacientes,& ſiccantes,& acrem & bilioſum ſuccum,aut atram bilem generantes, ſeu in cibo,& potu,ſeu in exercitijs,vigilijs animi affectibus,& ambiente aere. Vtemur quoque & dulcium aquarum lauacris ſæpiſsimè, vel etiam frigidarum ſponte natarum, tum etiam eas propinando. Mox capitis prouidentiam ages, abluendo ſæpe his,quæ ſiccent,& refrigerent, vel modicè admodum calfaciant,vt roſa,lentiſcus,myrtus,edera,lanandifera,cyſthus. Aliquando & abſinthium. Sed & ſi calor multus ſit circa caput, etiam refrigerantia multum commoda ſunt,vt ego feci aliquando. Somnus verò prodeſt maximè.

Ab his ad vlcus deſcendimus:ac primùm cruſtam abijcimus:idque pingui aliquo,vt humeſcat. Sic enim facilè tollitur, quoniam ſiccitate inhærebat:neque oportet vi extrahere eam, ne plus vlcus augeamus diſrumpendo carnẽ.Quòd ſi recens ſit,ſat erit noſtro vti medicamento experto.Recipe roſas,germina aut flores lentiſci,ferueant in aqua & auſterò vino, & abluatur ſæpe. Quòd ſi hoc ſatis non ſit,adde alumen.Quòd ſi vlcus in conſpectum non veniat,poſſumus & aridis vti: vt puluere ex tutia, & thuris cortice, & ſquama æris, cum ablutum prius fuerit, & vnguentum de ceruſſa Raſes, & aliud Pauli,quod Meſ.laudat.At ſi excedit,& ſordet admodum,præcipitati puluerem ſpecillo apponimus.Quòd ſi altius ſit, etiam lici-

nium ex albo oui madidum eo inuoluimus, vel aqua madefacimus, qua Aurifices metalla separant. Statim verò & rosaceam traijcere iubemus, è faciem perfundimus. Hac vsus sum aliquando admista plantaginis succo.

Maxima verò ratio habenda est de natura corporis, id est temperamento: Quanuis enim naris ferè eadem siccantia ferat, quę auris: attamen minora ferent humidiora corpora, vt suprà declarauimus: quæ iudicantur ætate, sexu, victus ratione, aere, in quo habitant: & demum proprijs temperamenti notis.

De Polypo. Cap. XXVII.

Polypi nomen unde sumptum.

POlypi nomen ab alijs similitudine acceptum est. vt aliquando à rebus quibusdam externis nomina sumuntur, vt elephas, cácer, thymi, mirmeciæ, ficus. Vt enim Galenus scribit, proprietate substantiæ pisci sic nominato est similis: quam similitudinem esse ait in colore & consistentia. Vt enim illud vel colores mutat, iusta ea corpora, quibus adhęret: ita & hic pro natura humorum qui tumorem faciunt, colore euariat, nunc albicans, nunc rubeus magis: consistentia verò quia eius instar, mollis est tumor. etenim in mollium generis piscis ille est.

Paulus libro sexto aliã similitudinem addit: & est à scirrhis, quos etiam pedes vocant, quibus inniti & inhærere, ac quodammodo pendere videtur. Intelligit pedes non quales in cancris, sed quia tunica angusta, & corrugata, velut pediculo amplectitur nares. Rases etiam hæmorrhoidas appellat: non quòd diuersum sit malum, sed quoniam duplici nomine est nominatum: quoniam ani excrescentias imitatur, quas hæmorrhoidas dicere solent. Iam igitur velut delineatum Polypum habemus. Erit enim tumor præter naturam, velut ex initijs quibusdam exilibus pendens, atque in latum sese pandens: ac si polypum scirrhis è lapide pendentem videres: quo igitur alligatur, est nasi interna tunica, quæ sensim humore repletur, & extenditur. 4. Metho. Ex his patet, quòd qui verè polypus dicitur, mollis substantię est, pédens in nare, aut etiam extra, si multum excrescat, & situs sit imis partibus. Quòd si in summis magis, vergit aliquando ad palatum, & in os descendit, communes meatus obstruens. Nam tumores, qui duri fuerint, & tetri colore, & omnino cancrum referentes, non propriè polypi, aut hæmorrhoides dicentur. Et de his loquitur Galen. Aph. 6. lib. Aph. 38. occultos cancros circa palatum euenire dicens, scilicet in ea parte, quæ naribus communicat.

mũnicat. Ibi enim apparent visui, quanuis & sedem habeant in naribus.

Causa eorum proxima, materia est crassa, & viscida inquit Galenus, id est, pituita talis, sanguinis portioni admista, & tempore crassescens. author mali cerebrum: ideo rectè dicit Auic. accidere plurimùm post capitis defluxiones. non tum acris est materia: itaque neque exulcerat. Primùm itaque à cancro distinguitur, proprijs cancri notis. Etenim in cancro venæ circum circa tumidæ apparent, plenæ & distentæ crasso sanguine: quæ prius ob exilitatem latebát, quæ hic non adsunt. Rursus durus est, & dolorem inferens tumor cancer. Hic si propriè talis sit, non dolet, colore quoq; distat, qui nigrescit, aut liuescit. Hinc etiam & iudicium de morbi exitu fit. Facilis enim curatu est, qui totus simul pendet: præcipuè si extra nares. contrà difficilis qui in summo, & ad palatum communicat. Rursus qui naturam cancri refert (quem polypi nomine non comprehendit Galen. Paulus simul vno cap. de ijs agit) pessimi generis est, & incurabilis: quanuis aliquam illi prouidentiam adhibere opus sit, vt Galen. ait, Aphorismo suprà posito. Cancri propriè notæ.

Cum igitur verùm polypum curabis, aut chirurgia vteris, aut medicamentis. Vtrum verò eligibilius sit, distingues ex facilitate. Qui enim tenui pediculo inhærent tunicæ narium, statim cum ipsa cuticula excinduntur. Postea vt cruentum vlcus sola posca curari potest. vt Paul. facit. Optimum verò erit si id fieri posit, vti deligatura qua vtitur Galenus ad abscindendas venas, & nos hæmorrhoidas ani, & ortas puellæ in capite: & sæpe plurimum sanguinem fundentes sanauimus. Nam & excrescentiam omnem abscindit, vbi ad radicem deligetur, & sine vulnere, aut profluuij periculo: imò prorsus sanam cutem dimittit. Fit ex serico filo maximè, vel ex pilis equinæ caudæ. Nam intra septimum, vel ad plus decem dies arescit tumor, & excidit destitutus alimento. Reliqua verò chirurgiæ ratio à Paul. petatur. Nec enim hoc nobis intenditur. Auic. omnia ad verbum ex Paulo capit, id est, ex lib. 6. cap. 25.

Curatio verò per medicamenta sic habet. Rases phlebotomat: non videtur esse necessitas. potest enim siccari excremẽtis corpus, & caput longiore tempore. Nec celeritatem tantam exigit malum: ideo supposita debita victus ratione in quanto, vt bene concoquatur: ne excrementa gignantur: in quali, vt sit victus extenuans, & siccans, à quo materia talis nõ generetur: corpus purgabimus ijs, quæ pituitam vacuant: vt Cochijs, Catapotijs, & Fœtidis. Deinde caput siccabimus lotionibus, pulueribus, frictionibus. Demum ad localia remedia descendemus; Quæ cum multa sint descripta, Gal. vnum

vnicè laudat, ex punicis malis confectum. Hoc & Auic. & Mesues accipiunt, sed non est apud eos satis summa fide descriptum. Tria genera capit, & contusa poma vniuersa prælo exprimit, & modicè incoquit, vt densetur. Sic enim melius inhæret, & in vase æreo vel stanneo seruatur. Fex verò expressa in pastillos cõformatur, qui nariũ meatui respondeant: vt ex ijs velut pessulis imbibitum medicamentum naribus imponatur, & nunc hoc vti, nunc ipso succo solo, quo etiam palatum illinire possumus; siquidem eò malum pertingat. Facit hoc medicamentũ tuto, quanuis longiore tempore. Confert, & serpentariæ herbæ succus, & ex eius radice licinium fieri potest. Scopi enim sunt extenuare, incidere, siccare, & durare, vel densare: Si verò cancer sit integer, attingi non debet: at exulceratus continuè ablui succo solani densato in vase plumbeo, cum plũbeo pistillo: aut ex succo foliorum salicis: demum medicamento, quod siccet citra calorem. huiusmodi est quod ex tutia.

Cancri in naso cura.

De Grauedine. *Cap. XXVIII.*

CONtingit quoq; naribus fluxionem catarrhi excipere descendentis à capite: & nos, quomodo cum ea abscindi debeat, infrà in morbis pectoris dicemus: quoniam communis est omnibus scopus hic qui à causa: nunc verò, solùm medicamenta localia adhibebimus. Vbi enim præpurgatum corpus fuerit, & caput: atque ipsius intemperiem abstulerimus, siccare nares ipsas oportet: quoniam nocumentum fit inde odoratui; & prohibet cerebri calorem per aeris inspirationem euentari. Aliquando verò & respirare ægrum cogit, hiante ore. Pasſio hæc, si puerulis eueniat: vbi siccante puluere sine calore multo vsus fueris, suffumigijs ex thure vtere, & ex nigella aceto infusa. Aliquando & acetum calidum olfaciat, & cardamomum, & alia huiusmodi, quę crassa extenuare, & siccare possunt. Idem possunt & alia odoramenta suffita. Nam odores & causam proximam siccando abscindunt, & remotam, id est, intemperiem sanant.

De Oris ulceribus. *Cap. XXIX.*

FRequentisſimum malum est oris exulceratio, atque omni ætati eueniens & naturæ corporum: sed præcipuè pueris, qui etiam nonnunquam eo affectu pereunt. Eueniunt etiam in a-

cutis

cutis morbis, & sunt infestissimè, adeò vt sæpe vniuersas fauces, imò internas gulæ partes offendant. Sunt autem maximè familiares morbo Gallico affectis: sed his præsertim, qui præcipitem illam curandi rationem, quæ per argentum viuum obitur, suscepere. Statim enim vniuersæ oris partes tetra sanie manant, atque exulcerantur. Est autem affectus curatu difficilis, non modò, quoniam multam distinctionem in inuestigandis remedijs habere oportet, sed & quia non facilè ori applicari possunt: quoniam à saliuę multitudine facilè eluuntur, & breui multum incrementum malum facit ob loci naturam, inquit Galenus, quæ calida est, & humida: vnde & putredinem facillimè sentit, vnde depascens fit vlcus, quod esthiomenon Græci dicunt. Præterea pars sensilis maximè est, & facilè ab acribus medicamentis irritatur: quibus tamen aliquando nos vti malum suadet. Neque omnia sanè medicamenta, quæ in alijs vlceribus adhiberentur, hoc loco adhiberi possunt. Quod facilè in fauces & ventrem: aut in guttur, & asperam arteriam quippiam ex ijs dilabatur. Cum igitur tot difficultates in hac cura adsint, non ita sicco pede transigenda res fuit, vt Rases facit, qui nusquam aliàs adeò aridus extitit: melius Auic. & Ætius, qui à Galeno accipiunt. Hic verò omnium optimè, qui multa cum arte horum curationem tractauit.

Igitur vlcera pustulæ præcedunt: quibus diruptis, vlcus sequitur: & de his simul tractabimus, primùm à differentijs orsi. Prima igitur earum est, quòd aliquando summá tantùm cuticulam exulcerant: aliquando profunda sunt, & carnem ipsam linguæ exedunt, vel palatum, vsque ad ossa: imò & integram columellam absumunt, imò & ossa ipsa aliquando sentiunt cariem ob putredinem ibi exortam. Altera, quoniam alia maligna sunt, alia simplicia, & mitia. Maligna dico, quæ exedunt multum, neq; curationem admittunt facilè. Causæ eorum acres fluxiones sunt: quæ primùm tumorem pusillum excitant, cum in partem irruunt, sæpe & multas, & confertas pustulas: demum putrescente, & acriori euadente humore exulcerantur. hæc in genere. Speciatim verò ex omni humoris natura fieri possunt. De bile enim vtraque nullus dubitat, vt in externis fieri videmus. Sed & pituita, vbi acritudinem sibi asciuit, vel ex putredine, vel ex salsæ serositatis mistura, has efficit. Similiter & sanguis eadem ratione acris effectus. Quod verò fluxionem transmittit, cerebrum est, quod etiam aliquando in se mali originem habet: quoniam propria eius natura est, vt hosce humores gignat. Aliquando verò aliunde suscipit fluxionem. Fiunt etiam nonnunquam sola euaporatione, quæ à praua putredine attollitur, seu ex ventriculo,

ſeu etiam ex pulmone: in pueris ex ventriculo, Galenus. Vnde in febribus malignis, & peſtilentibus fiunt. Quòd verò in ſuperficie ſint ſitæ: vel etiam ſubiectam carnem exedant, cauſa eſt humoris prauitas, vnà & craſsities, vt in externis corporibus euenit. Acre enim & tenue, quoniam carnem omnem molliorem peruadit, & cutem à ſumma cuticula remoratum eam exulcerat. Rurſus quod craſsius eſt, & craſſam cutem exedit remoratum: vt & craſsius carnem & oſſa: craſſum autem maximè, quòd atræ bilis naturam maximè ſapit. Cauſa verò malignitatis, prauitas putredinis eſt: quæ etiam naturam humoris ſequitur, qui putreſcit. Dicitur autem maligna putredo ea, quæ facilè à natura, vel à medicamentis ſuperari nequit, & cohiberi, quin ſemper corrumpat, quæ attingit. Signa vero quibus hæc dignoſcimus ſunt: primùm ex colore, vt Galenus inquit. Nam rubræ ſanguineæ ſunt: flauæ bilioſæ: liueſcentes melancholicæ: albicantes pituitoſæ. Tactu quoque multam deprehendimus differentiam: multa enim inflammatio, quam æger ſentit, bilioſum humorem ſignificat. Contrà, quæ non inflammatæ, id eſt, quæ minimam inflammationem præferunt, ex pituita ſunt. Nam prorſus omnes inflammatione participare, & ignea caliditate dixerat. At ſanguis, & atra medio modo ſe habent, plus tamen inflammationis ſanguis inuehit, plus malignitatis Atra: ſeu à principio talis erat humor, ſeu tempore euaſit.

Curatio verò multam, vt diximus, diſtinctionem exigit. Primùm ex affectus natura: alia enim remedia recentibus & ſimplicioribus, alia inueteratis, & malignis. Rurſus alia inflammatis, alia his, quæ inflammationem paucam habent: vt ex ſorde, & putredine multum indicatur. Ex natura quoque corporum non parum: alia enim tenella, mollia, vt puerorum: & poſt hos mulierum, & mollium, & humidorum ex viris: alia verò contrà, dura, & ſicca. Porrò niſi quis optimè has proprias naturas diſtinguet, non ritè procedet vlcerum curatio. Dignoſcuntur verò ex proprijs temperamenti notis, ex ætate, ex ſexu, & ex vitæ omnibus inſtitutis; tum in exercitijs maximè, tum in cibo & potu. Natura quoque partis multum monſtrat: ex tertio Meth. Sicciores etenim ſicciora medicamenta exigunt, & hmmidiores humidiora. Porrò partes oris (inquit Galenus) calidę & humidæ ſunt: ideo quantum ad ipſas attinet humidiora medicamenta exigerent: ſed tamen eſt differentia linguæ, & columellæ ad palatum in humiditate. Hoc enim tactus iudicat, primùm qui in lingua, & vuula multam mollitiem ſentit, in palato nō ita. Sed & ratio hoc monſtrat: nam oſſuoſæ partes, ſicciores ſunt, vt Galenus teſtatur 3. Meth. At palatum cute & oſſe conſtat: quanuis cutis ea multo

ſit

ſit reliqua externa cute mollior homini: quoniam exquiſito tactu præditum eſſe oportuit. quare multa eſt in humiditate differentia. Quanuis etiam palatum humida pars dicatur cutis ratione, non oſſis: adeſt etiã & humiditas, qua neceſſario irrigatur à cerebro ob vſũ naturalem. Vnde & influente temperamento, omnes partes oris ad reliquas ſibi proportione reſpondentes, erunt humidiores. Sed nõ proprij temperamenti ratio habenda eſt in adhibendis medicamentis, ſed etiam officiorum ipſius, & colligantiæ. Quod enim ſapores ea parte percipiuntur, ideo euitare cogimur medicamenta, quæ ſapore ſunt ingrato, quanuis ad vlcerum curam facerent. Similiter quia ventriculo iungitur, & pulmoni; non ſine diſcrimine quouis medicamento vtemur (13. Metho. Galenus ait) ſed familiaribus maximè naturæ, & quæ à ratione cibi non abhorrẽt, ne fortè vnà cum ſaliua quippiam in eas partes defluat, vnde plurimam noxam inferant.

Igitur curatio à cauſæ abſciſione incipiat oportet: ſiquidem adhuc influat, vt repletum caput ſit: vel ipſum etiam totum corpus, ſed præcipuè venter. quo pacto localibus remedijs vrgere oportet. Quòd ſi cauſa hæc adeſſe non videatur, à localibus inchoabimus, inquit Galenus. Ego verò arbitror ſtatim localibus eſſe vtendum inter initia: tametſi corpus aut caput vacuatum non ſit. Nam incrementum mali etiam his ſiſtere oportet. Primùm igitur à pueris incipiamus: in quibus crebro euenit. His autem conſenſu ventriculi euenire Galenus ait, quòd lac vitioſum eſt, & in ventre manens vapores prauos ad os tranſmittit: vnde vlcera fiunt. Nonnunquam & vitioſum euadit in ipſo infantis ventriculo, ob prauam tranſmutationem, quam facit. Nam facillimè lac alteratur, & nuncknunc bilioſum euadit, nunc acidum: vel aliam corruptionem malam patitur: vnde malum fit. Sed & à cerebro ipſo multa defluens humiditas, qua natura abundat, & acre quippiam habens, tenuem illam, & admodum mollem cuticulam facilè exulcerare poteſt. Igitur in infante nutricis prouidentia habẽda eſt, ſi lac vitioſum ſit: vt habetur à Paulo lib. 1. idque tum victu, tum purgatione. Si verò ex mala concoctione pueri, procurabimus eam: tum quantitatem moderando, tum alterando lac ad frigidum, ſi ex calore nimio hoc patitur. Si verò ex nimia humiditate, quæ putreſcit; cerebrum ſiccabimus pulueribus, & demum cauterio. Localia verò remedia erunt, ſi recens ſit malum, & pura vlcera, ea quæ ſiccant ſolùm modicè, & aſtringunt. Sic enim & fluxionem inhibemus, & vlcus iam factum ſanamus. Igitur ab affectu ſumpta indicatione, modica hæc erunt. nec minus à corporis quoque natura: quoniam puer eſt. Sat ergo fuerit, vt nu-

Nutricis prouidentia eſt habenda in cura infanatis.

trix cibum puero mandat, vt Galenus iubet: cui astringentia hæc sint admista, cotonea, punica, pira: Sic & lactucam, & intybum, & & portulacam, & semperuiuum, & solanum admiscemus: & semimansum propinamus, vt rursus ore reuolués, vlcera attingat. Quòd si non mandat, linctu vtemur, aut illitu ex penna. Linctus erit ex medicamento diamoron: vel quod ex succo granatorum, & melle fit. Quòd si sordis habeat nonnihil, mel rosatum illinito, & lingendum prebeto.

Habenda verò ratio est, & affectus naturæ: nam flauæ si sint & rubentes, refrigerantia desiderant: quòd si astringens aliquod adsit, optimè faciet: si pituitosæ, mel rosatum confert: si verò depascentes sint, succum ligustri melle admiscebimus, & lingendum dabimus. Oportet autem detersionem panno molli, vel spongia moliri his intincta, & vbi rubent, & pura apparent, tunc astringente solo vti, & frigido.

Hisdem sanè scopis, & ad curanda oris vlcera in duris corporib. vtimur: nam pueris proximę sunt mulieres & molles; qualia sunt agricolæ, viri temperamento ficciore, & nautæ, & montani incolæ. Hæc enim cum ficciora corpora sint, ficciora quoque medicamenta desiderant, idque in eodem genere. Nam hac distinctione, nisi quis vtatur, nunquam vlcera expurgabit, nec ad cicatricem ducet. Id Empirici per experientiam nouerât: nobis verò ratio dictat: quoniam naturale temperamentum similibus est seruandum. Primùm igitur, vt in priore (siquidem materiam exulcerantem, atq; influentem habet causam) eam tollere oportet. Ac primùm de ijs, quæ sanis eueniunt: postea de ijs, quæ velut symptomata sunt acutorum morborum. Est autem causa, acris materia à capite defluens. hanc ergo siccare oportet. Quòd si fomentum habeat ex copia in toto, quod videbimus, quoniam totum scatet vlceribus: aut aliâs male affectum apparet, & cacochymum, purgare oportet: vt si etiam abũdantia adsit venam secare: quod & Auicen. suadet. Affigit autem & mento cucurbitulas, ad propriá materiam partis vacuandam. Nos verò censemus priorem phlebotomiam vtilem esse, vbi in toto corpore sit copia sanguinis: sed in quo etiam vitium adsit, id est, alius quis humor cum eo exuperet: aliter solùm purgãdum esse, nisi quis cucurbitulis ad reuulsionem vtatur, vt Rases consulit, scilicet collo & occipitio affixis: quod optimum iudico. Vacuationem igitur totius sæpius purgatione faciemus, & sanguinem attemperabimus prouidendò vt boni succi gignantur, & minimè acres. Capitis verò vacuatio primùm fiet per proxima deriuando, vt ad nares: sic enim Galenus deriuationem fieri docet. Sed & ceratum siccans syn-

cipiti applicabimus, aut lotiones earundem virium, vel frictiones.

Post hęc ad localia descendemus: in quibus distinctio prima erit ex affectus magnitudine. Quanuis enim siccantia omnia poscant, & astringentia inter initia, vel postea extergentia, & quę discutiant: attamen eorum intensio ex affectus magnitudine erit. Leuia enim sat erunt, si affectus exiguus sit, vt cuticulam solam exulceret: contrà si cutem crassam vsq; ad ossa depascat. Secunda distinctio erit ex natura humoris: etenim biliosæ plus ægent refrigerantibus non tamen sine astrictione sint, inter initia: at sanguineę minus his refrigerari; plus siccari, & astringi: pituitosæ siccari & astringi multum: melancholicæ his vnà, quæ discutiant. Sed hæ inueteratæ tales fiant:. Ego pono hic tres gradus, cum exulcerantur; cum sordida sunt; cum prauam putredinem præseferunt; cum exedunt vsque ad os, vel etiam os ipsum. Vel potius distingue in simplices, & compositos affectus; qui etiam vel faciliores sunt, vel difficilè curantur.

Igitur in biliosis inter initia solanum & portulaca, & acetosa, & & plantago, & semperuiuum optima fuerint: nam refrigerant strenuè, siccant, astringunt, nec insuauia sunt. In sanguineis verò lentisci, & rubi germina; & cotonea mala, & corna, & mora, & austera punica, & hypocistis, & equisetum. potest autem & ex his oris collutio fieri: vt & fructus agrestium prunorum vtilis est. Si pituita salsa, alumen, aut gallam acerbam (de ea enim semper sermo est) inunges rosaceo melle & illines, vel liquidum medicamentum efficies. Optimè facit & foliorum ligustri decoctum, & myrti, & siluestris oliuæ, & ligni, & eius spuma: vt & horum succi longè efficacius. Quòd si iam sordescunt, extergere oportet, tum panno, & spongia, tum medicamentis ex melle, & fece vini, vel alumine: aut salitas oliuas mandere.

Vt si iam putredinosam qualitatem acquisierint, & malè coloratę sint, & virore, & sanie praua, & acri manantes, fortissimis tandem remedijs vtemur, quæ prauos humores consumant, & extergant etiam carnem putridam. Farina erui cum melle, vel lupinorum optima est: aut ex his collutio oris. Huius generis est & atramentum sutorium cum melle. Quanuis enim talium vsum prohibuerimus: attamen vbi vrget necessitas, victi affectus malitia, his quoque vtimur: cauendo semper, ne aliquid in fauces delabatur. Est autem id quod Græci chalcáthum vocant: nostri vitriolum, vim exedentem & astringentem habens. Huius generis est & cauterium, quod per fistulam iniecto ferro administretur, ne linguam, & alias sanas circumpositas partes incendat. Et os quoque inurere si nigricat, & ca-

riosum sit: vbi crusta exciderit, carne replere. Hodie præcipitato vtuntur felicissimè. Sed tamen id quoque caueatur, ne in guttur labatur. Eger itaque aperto, & depresso ore diu maneat. Ad ea quæ serpunt, & dilatãtur multum, medicamentum ex gallarum decocto & melle: nam iam putredinosas factas, & sordidas, non admodum iuuaret, cum non extergat.

Omnia verò vbi depurata sunt, si caua sint, adhuc his, quæ carnem generant, curantur. Optimum verò est iride replere, & decocto eius ex vino dulci abluere. Si plena sunt, astringentibus succis cicatricem indures. Eadem remedia, & ad gingiuas erosas, & sanguine manantes faciunt, iuxta naturam corporis, & affectus magnitudinem euariantia. Nonnunquam medicamenta ad hæc vlcera, absoluuntur ab astringentibus, propter situm, & colligantiam loci. Multæ enim sanies à capite defluunt, vt pote à parte humida maximè.

De Gargareone, seu Columella. Cap. XXX.

Columellæ morbi.

GArgareon verò, vel Columella, si exedatur, eadem remedia requirit: si verò laxetur, & oblonga fiat, vitium erit in magnitudine, & etiam meatus partem obstruet, cum linguæ radicem attigerit, à quibus partibus suspẽsa esse debet. Meatus verò ille Fauces appellatur. Apparet autem statim ore aperto columella: præcipuè si lingua digitis deprimatur: pendula quædam caro concolor reliquis oris partibus, quam etiam instituit natura, vt voci conformandæ adesset: quasi plectrum quoddam & modullatio: aut quòd vox in eam impingens reuerberata, sonora magis redditur. Alter vsus est vt aeris frigidi impressionem validam tollat, ne scilicet confertim in pulmonem tendat. Vnde ea ablata noxæ in voce fiunt: vt obscurior reddatur, & minus sonora. Fiunt & circa pulmonem tusses, & reliqua vitia, quæ ex occursu frigidi vehementi eueniunt. Nominant, inquit Galenus, veteres Gargareona, vel cioniden, id est, columnulam, vel columellam: quòd quasi erecta quædam in medijs faucibus columna appareat. Vua verò non propriè dicitur. Nec enim similitudinem habet vuæ acino, cum secundum naturam est, vt patet: sed cum laborat morbo defluxionis: & in rotundum tumorem eius extremum euadit. Superiora verò quibus appensa est velut acini vuæ, aut cerasi fructus, pediculum imitantur, extenuata. Si igitur in magnitudinem augeatur ita, vt linguam attingat: siquidem sola longitudine exuberet, vt sæpe euenit: potius

Ex lib. xj. de Vsu par.

verò in latum extenuetur,& fiat quasi lorum quoddam: quòd ad respirationem attinet, nihil impediet: quòd verò ad deglutionem ciborum & potuum, impedimentum præbebit: quoniam necessariò in ipsam impingunt,& dolorem causant. Sic & in loquendo dolorem sentiunt: quòd confertim aer in ipsam expirat. Causæ verò duplices præcipue visuntur, prima est pituita à capite defluens, vnde humescit: aut etiam venas,& arterias abscunditas implens. Altera est sanguis eò fluens per easdem venas; qui aliquando magis pituitæ attinet, aliquando plus caloris inuehit, vnde & inflammatur, nō secus ac aliæ partes phlegmone obsessæ.

Distinguentur verò hæc facillimè tum visu, tum sensu ægri. Visu quidem, quoniam quæ pituita repleta est, laxa,& mollis apparet, & potius, vt lorum protenditur humectata tunicula, quę carnem eam inuoluit adeò, vt aliquando in ipsa linguæ radice inflectatur, & inflammata in latum magis augetur,& durior est, & rubet: vbi illa aut albicat, aut concolor est palato. Ex sensu verò ægri, quoniam dolet inflammata satis,& calorem sentit: vbi in altera, neque calor sentitur, nec dolor, nisi fortè aliquid in eâ impingat durum, & inuertat. Sed lenis dolor est alterius comparatione. Aliquando igitur, vt diximus, lorum apparet, aut columna quædam per vniuersum faucium meatum exporrecta: aliquando vuam imitatur, vt extrema pars vuæ acino similetur. Superior verò appendiculo. Hoc autem ijs euenit, cum malum diu durat: tempora enim tunica illa extenditur.

Curatio ergo communis est cæteris morbis, qui ex fluxione fiunt, vt scilicet in primis causam tollamus. quem scopum hoc loco Rases subiicuit: nos verò simul & de pituitosa,& de inflammatione loquemur. Prouidentia itaque corporis, erit per purgationem in pituitosa, in inflāmata, per venæ sectionē, in ea, quæ vtroq; participat ambobus. Purgatio verò per agaricum fiat, aut per medicamenta, in quibus vis inest agarici. Vena verò in primis cephalica secetur: postmodum, si opus sit, etiam quæ est sub lingua: sic & spatulis, & collo cucurbitulæ affigantur. Victus verò si inflammatio sit, tenuis erit,& abstinere à vino oportebit,& omnibus nutrientibus validè. Sola sorbitione sint contenti, & quidem tenuissima: quoniam de glutiendo laborant, vnde & malū irritatur. Sic & à multa necessitate respirandi cauebimus,& loquelam vetabimus. At in pituitosa, victu siccante vti:& euitare causas, quæ adaugeant malum. Quæ verò à pituita fuerit, exigit quoq; vt capiti prospiciamus, primùm purgando per nares, præter vniuersales illas purgationes: mox & alijs ingenijs siccando, quæ suprà dicta sunt: demum & intemperiem

Curatio Gargareonis.

eius corrigendo, scilicet frigidam, & humidam: vt sunt cerata, & emplastra vsque ad sinapismos & cætera rubificantia. Localia verò remedia hoc commune habent, vt inter initia repellant fluxionem. Hoc verò differunt, quòd vbi inflammatio adsit, euitanda sunt ea, quæ proritant, vt vehementer siccantia, & astringentia. Hæc enim cum exasperát, nimium dolorem faciunt: quæ si vera sunt, non videtur medicamentum Rasis ex sale ammoniaco temere adhibendum inter initia, ne magis accersat: est enim siccatorium non expulsorium remedium, nisi quod addit (ramich) stypticam vim habeat.

Commune quoque est ambobus, vt remedia pro magnitudine causæ intendantur: etenim causam respiciunt. Si igitur influxus exiguus sit, & tardus, sat fuerit austera exhibere: quæ scilicet moderatè astringunt. Si verò magnus, acerba, quæ vehementer: vt quinto de Simpl. acerba nanq; prorsus sicca sunt, & terrestria frigida: itaq; & vehementer comprimunt, & durant. Contrà verò austera dulci & acido participant, & acerbo: & est sapor quidam compositus & temperatus è multis, vt in cidonio, & ceraso apparet, & vinis quibusdam. Si igitur exiguus sit affluxus, quod cognoscitur, quoniã nõ celere augmẽtum morbus facit, nec multa repletio adest in capite: statim ab initio gargarismate ex posca vtemur admodum diluta: imò & ad præseruationem id facit his, qui sæpe solent eo morbo infestari, vt sæpe hoc gargarizent. Fiat verò Gargarisma leuiter, & absque dolore. Potest verò & resupinato capite os liquore plenum teneri sine gargarismo. Similiter & vinum granatorum faciet: nam solis repellentibus exigui affectus sanantur. Si verò maius malum sit, & augeri videamus, diuidenda curatio. In pituitosa enim discussoria adhibebimus, simul & astringentia, quæ validè siccent. Non enim est proritationis metus: ideo alumine vtemur decocto ex vino austero, aut sale similiter. His etiam siccis insufflatis per fistulam, vt & spuma ligni, & decoctio. Oportet autem extrahere columellam ad externa, ac super linguam extendere, mox insufflare. Componito etiam cyperi radicem, & fructus myrti, & lentisci, si adsint, & coquito similiter. Postremò si malum diu protrahatur, discuientibus validè est vtendum. quibus vulgares vtuntur: Sed aliquando intempestiuè, vt piperis triplicis puluere, aut zingiberis, vel macis: multa enim aquosa substantia defluente sanantur. Aliud ex galla, alumine, & sale ammoniaco. Applicat Galenus potius per cochleare paruum, ne in gulam aliud cadat ex acribus. At vbi inflammatio adsit, repulsorijs vtemur pro fluxionis ratione, vt diximus. Cum verò augetur aliqua etiam quę discutiant adijciemus: vt miscentes rosas, & crocum, & myrrham incoquemus mulsa, & offeremus: aut

pulueri-

pulueribus vtemur. Causa verò maximè inflammata est, & dolet, decocto glicyrhizæ & ficuum pinguium ablue ex mulsa: aut ptisanam gargarizato: aut casiæ fistulæ medullam: vel fœnogræci decoctum, & seminis lini.

Si verò cessante inflammatione, columella vuæ similis est redita, tentandum est, si fieri posit, vt tumor absumatur his, quæ discutiant: & sunt eadem genere cum his, quæ ad laxam solum columellam adhibebantur: præsertim cum nulla amplius adest inflammationis, & caloris reliquia. vt in sapa nepetam, & pulegium, & origanum incoquito. Quòd si his passio non cedat, & multum angat, cũ omnia facta fuerint, & iam antiquum est malum, sæpeque periculum inuehat præfocationis, de sectione eius est cogitãdum, vt Hippo. cõsulit, 3. Progn. cauendo semper ne tota ad basem excindatur: sed solùm quod eius superabundare videbitur magnitudine. sic enim minus lędetur æger. Modus verò sectionis à Paulo & Aetio habentur, à quibus etiam alij capiunt.

De Angina. Cap. XXXI.

NVsquam aliàs Scriptores de aliquo morbi genere tanta confusione loquuti sunt, tum in assignandis speciebus, tum in monstranda sede affecta: dum alij quatuor, alij tres species faciunt: è quibus, vt iuniores, intrinsecos musculos gulæ citant, & alias partes, quas profectò nunquam sunt conspicati. Hìc etiam de nominibus digladiantur, vnicuiq; sua nomina imponentes. Quæ omnia vana cum sint, & nihil ad naturam rei noscendam, aut ad curationem faciant: ideo nos omnibus dimissis vtemur dixinctione, ea breuissima & lucidissima quæ Hippocratis est tertio prognosticorum.

Scriptores ferè omnes taxantur de Angina scribentes.

Loquor verò hìc de Angina propriè dicta, quę tametsi apud Gręcos à præfocatione nomen sortiatur: tamen non quemlibet præfocationis affectum, anginam vocamus, nisi similitudine rei voces cõfundere velimus: sed eam solam affectionem, quæ ex phlegmone sit intra fauces, in aliqua particula ex ijs, quæ ibi continentur: Ideo quarto de Vict. phlegmonem ait τ ν κατα τὸν φαρυγγα μερ ν. Interpres malè vertit circa guttur: quanuis Hippo. aliquando appellet eam spiritus difficultatem, quæ ex luxatione vertebræ dentiformis fit: nec de hoc nobis modò sermo esse debet: locus est 2. Epid. 4. Apho. 34. & à Gal. examinatur, 4. de Lo. Fauces verò, dico cauitatem illam vniuersam, in qua tum gulæ extremum, tum arterię: tum epiglottis

& glandes multæ & musculi continentur: è quibus nonnulla aperto ore apparent, nonnulla verò delitescunt. In primis igitur enumerandæ sunt partes intra fauces, quæ inflammari possent, & anginam parere: ac primùm sunt gutturis musculi interni, & externi, quibus cartilagines mouentur dilatatæ, & astrictæ: Sunt autem numerosi à dissectoribus positi.

Hi ergo, vt omnes corporis musculi, facilè inflammari possunt: sic & qui ad linguæ radicem. ad os ὑοειδὲς mouendum perueniunt. Adsunt & glandium genera tria, è quibus primùm in faucium, & palati confinio positum, vtrinque ex gargareonis latere est. Hæc corpora Paristhmia vocant: propterea quòd gargareo isthmus quidam id est, media tellus inter duas cauitates, quę vtrinq; visuntur: quem in medio continent, relicto spacio, per quod spiritus feratur. Hæ & & antiades, & amigdalæ dicuntur. Alterum in capite arteriæ ad laringem est appositum. Tertium genus ad fauces pertinet: & his continuum est, quæ sub inferiore maxilla vsque ad aurem perueniunt, & spacia ea replent. Quæuis itaque ex ijs partibus inflammata anginā facit: quanuis in sæuitia, & periculo multa sit differētia prout magis aut minus spiritū occludit: quòd sanè accidit prout laringa per quam primùm spiritus fertur, magis aut minus affligit.

4. Aph. 34. Porrò ratio dictat, maximè affligere eā, vbi interni musculi sunt inflammati: propterea quòd primùm tumore per se viam spiritus occludunt: de hinc, & ad interna chartilagines conuelluntur: vnde aperiri nequeunt, sed claudunt. Post hanc, vbi externi musculi, & glandulæ circa laringā ortæ inflammantur: nam hæc quoq; spiritus angustiam facere possunt: ideo aspera arteria inflammata, strangulatio sequitur, inquit Galenus, ob tunicæ tenuitatem. At circa guttur tum tunica, tum musculi sunt, qui vnà inflammantur. Tertio loco, vbi circa separatas à laringa partes sit phlegmone, vt in glandulis alijs, & musculis ad linguæ radicem positis.

Hanc distinctionem optimè vidit Hippo. Itaq; tertio Progno. primam ponit eam, in qua nihil tumoris: vel ruboris in faucibus, aut circa iugulum apparet, & est nobis quoque prima.

Secunda huic proxima describitur (hoc autem facit per notas, non propria morbi definitione) cum rubor apparet in faucibus, & tumor. hîc verò secundam describit, in qua externi musculi, & glandes inflammantur. mox tertiam, in qua etiam tumor ad externa tendit, vbi antiades, aut aliæ glandes, quæ sub auribus & mento communicant, inflammantur.

Angina est inflāmatio à calidis humorib. excitata.

Colligamus ergo anginam inflammationem esse, à calidis humoribus, modò à sanguine calidiore; modò pituitosiore, modò etiam

simplici

simplici,& sincero. Locus verò affectus parum diuersus est: sed sat est,si vel per se, vel per consensum quendam via spiritus afficiatur, ad anginam significandam.

Signa verò anginæ alij in spirandi difficultate statuunt: alij in deuorandi,vt Rases. Igitur quousque in spititu difficultatem non facit, angina non erit: quòd amygdalis inflammatis euenit, vbi magna inflammatio non fuerit. Cæteris enim omnibus adest vtrunq; symptoma in respirando scilicet, & deuorando, seu potum, seu cibum. Nam vbi partes intra fauces sunt inflammatę,siue ad arteriam attineant,in consensum quoq; trahunt gulam,siue ad gulam, in cõsensum trahit arteriam,quoniam alligatæ sunt. Si verò externæ partes faucium flammantur, cum omnes cooperentur ad deglutionẽ suo motu,fit vt hæc actio fiat difficilis. Hæc ergo sunt propria maximè signa,vt & dolor in illis partibus, qui necessariò comitatur & calor. Nam cætera signa vt potum per nares trudere, potiùs magnitudinis eius signa sunt, & ad prognosticum faciunt: vt & non nisi recta ceruice spirare. Primùm enim fit, quoniam cum ad faucium partes peruenit,nec in gulam deduci potest præ angustia: per meatus naribus communes, circa gurgulionem positos recurrit in nares. Aliud fit,quoniam facilius sic spirant, quàm iacentes: quoniam iacentibus posterior pars arteriæ mollis cum sit,comprimitur à gula, & spina. Rubor verò ceruicis asśidens est signum, vt rubere fauces, & attolli,vel non. Non enim affectus sunt essentialia signa, sed sedis affectæ: malè ergo faciunt,qui hæc signa confundunt.

Ex his ergo & prognosticum patet. Consistit enim in sæuitia symptomatum & curæ difficultate. Vbi itaq; nihil ruboris apparet, difficillimam curam significat: quoniam medicamenta eò non perueniunt. Multum enim facit ad salutem locus: obducta cute tenui vnde continuè effluit aliquid. Permutationem facilè ad pulmonem facit, & est apud Hippo. lethalis dicta. & ex symptomatis, quoniam tollitur breui spiratio, vel adeò impeditur, vt diu viuere animal nequeat, sed intra quartam pereat: nam & acutisśima intra diem perimit. Aliæ verò longiores sunt, præsertim tertia: & in hac, quæ magis distat. Commune verò signum ex robore vero virium est in omnibus maximis morbis, decimo Metho. Igitur deterrimæ anginæ Hippo. meminit, 3. Epid. 2. in muliere quadam has notas scribens. Obscura inquit vox: hæc enim est actio propria gutturis, vt primi instrumenti vocem formantis, quæ necessariò vitiatur: lingua rubens magnitudinem phlegmones monstrat, vt & colli tumor, & rubor. Spiritus quoque sublimis, id est suspenso, & erecto thorace, & gutture, idem monstrant: similiter & potus per nares. Hæc enim

Anginæ prognosticum.

fiunt prorsus obstructo spiritus meatu, vt nihil deglutire possint. Communicata phlegmone etiam gulæ: vel quia non fit deglutitio sine motu, & auxilio gutturis. Fatetur tamen libro quarto. Aph. 34. fieri posse ab humiditate; & erit sine dolore angina. Hoc nullibi alibi dixit; & videtur potius hoc ad imaginem dicere, ductus verborum Hippo. serie: quàm quòd aliquando visum sit. Præterea id contradicit his, quæ scripserat quarto de Vict. vbi anginę duplicem speciem facit: Alterā enim à biliosa fluxione fieri ait per Autumnum: Alteram à crassiore, & pituitosa magis substantia, Vere. Priorem inquit fieri in gutture magis, itaque & perniciosam esse admodum. Alteram circa faucium reliquas partes. Ratio inquit est; quoniam tenuis, acrisq; humor exiles facilè venas permeat: & in his hæret, phlegmonem excitans. At in laxioribus, & maioribus hærere non poterat, ideo neque phlegmonem facere. Contrà, crassior in latioribus hæret, in angustas penetrare nequit. quomodo igitur vult hic à pituita fieri? An est, & tenuis quædam pituita?

Quòd si hæc vera sunt, non erit verum, quod diximus definientes, Anginam phlegmonem esse, vt & Galen. definit, nisi de ea, quę plerũque euenit intelligas: & erimus coacti fateri, veram anginam esse aliam ex calida, aliam ex frigida materia, & pituitosa, quæ dolorem non faciet. Nam tametsi sanguis pituitosus esset collectus: prorsus dolorem quoque faceret ob tumoris renixum, & tensionem, quod non facit pituita. Rases apertè duas ponit, & Auic. eius meminit. Vidi ego aliquando in faucibus tumores, à quibus multa vis saliuæ deflubeat, & exigui doloris, impedientes deuorationem nontamen ex puro phlegmate. Qui ergo Paulum sectati, dicunt oriri à sanguine calido, videntur parum in arte exercitati: nisi conspexerint, sæpe sine multo calore aliquando, & exiguo fieri. Melius ergo fuerit anginam obstructionis speciem facere in meatu spiritus: quę obstructio, aut per consensum fit, aut proprio ipsius gutturis affectu. Sunt autem affectus obstructionis causæ tumores præter naturam: speciatim verò in genere phlegmones, vel ædematis, vel mistæ affectionis.

Anginæ curatio partim morbum factum respicit, partim futurũ. Illa propriè curatio est, hæc verò præuisio, vel prouidentia. Hoc verò commune est omnibus morbis, qui ex fluxione procedunt: imò omnium, qui causam habent adhuc vigentem, nec prorsus sunt facti, vt primùm causam respiciamus, mox morbum iam genitum. Si igitur in angina causa adhuc adest, à qua morbum augeri suspicio sit, ea primùm tollenda, priusquam ad localia, quæ factam iam ægritudinem respiciunt, accedas. Quòd si vniuersa facta foret, non esset

præui-

præuiſione opus. Et hoc dicit a Auic. ex Galeno ſexto. The. 7. ad initium. Vnde patet non eſſe præceptum illud verum vniuerſaliter, quòd non ſint localia adhibenda ante vacuationem, cum & Hippo. applicat ſecundo de Vict. & Galenus oculis fotum, vbi nihil eſt fluxurum. Tollimus autem cauſam tum vacuando, tum reuellendo, & deriuando, tum etiam reprimendo influentem humorem. Vacuatio verò multitudinis ex accidenti fit inedia in hoc morbo: per ſe autem aut venæ ſectione, aut purgatione, aut vtroque. Huiuſmodi verò electio iuxta vniuerſalia præcepta fiat.

Si igitur à ſanguine ſit, & is in totius venis abundet, ſanguis eſt mittendus, ſiue etiam ſanguis vnà cum alio humore abundet, idq; primùm ſtatim inter initia. Mox ſi alius quis humor abundet, etiam purgatio adhibenda, quæ eſt illi humori propria, vt bili, & pituitæ. Si verò prorſus pituitoſa ſit, quam etiam ſine dolore eſſe dixit Galenus, præterquam cum deuorare aliquid enitimur, tunc purgationis potius intentio eſt. Primùm igitur de venæ ſectione agamus. Hoc diximus ſtatim faciendum, ne morbus augeatur. Nec enim diuinare poſſum, quid in illis verbis Auic. voluerit, qui vſque ad maturationem plebotomiam dimittere vult, quanuis laborent multum eius ſectatores. Quòd ſi ſuper verba falſa commiſcentur veram aliquam ſententiam, habeamus gratiam, quòd nobiſcum ſentiant, & & veritatem ſua aſſertione confirment. Interim tamen eiuſmodi negocia maioribus intenti illis dimittemus: vt & illud de vena eligenda. Quoniam enim legerat apud Aetium, vel eiuſmodi aliquem, prodeſſe multum crurum ſcarificationes in hoc morbo: ſic interpretatus eſt eorum mentem, vt verùm ſit, cum ex retentis menſibus, aut fluxu hæmorrhoidarum malum euenit. Quandoq; enim inquit, ſedantur accidentia hoc modo, & quandoq; non.

Angina quando venæ ſectionē, & quando purgationem, & quando utrunq; remedium requirit, docetur.

Hîc igitur doctrinam habemus, vt in mulieribus non purgatis, Saphenam dictam incidamus, id eſt, malleolum interiorem; quod præceptum longius proſequar, quoniam quibuſdam, quibus ſat eſt ab alijs legiſſe, hoc probatur. Verùm quis eſt, qui non videat hoc eſſe maximè incommodum? Tu enim vis ab vtero retentum ſanguinem deorſum trahere, quaſi ijs moueatur ad phlegmonem faciendam: quo nihil magis ridiculum dici poteſt. Eſto enim ex ſuppreſſa ea vacuatione, ſic in toto corpore repletio, vnde & caput repletum ſit, vnde fluxio: prima illa occaſio eſt repletioni ſolùm, nec nunc occaſio eſt, ſed antea fuit. Quod ergo contrà niteris eam tollere, cum liceat remedio ad plenitudinem commodiſsimo, & celerrimo vti? poſtea per ſanitatem ad prouidentiam venas eas aperire, & citare menſes? Quòd ſi qui inciderunt crura, id ad auerſionem fe-

cerunt, vnà cum alijs factis reuulsorijs præsidijs, vt etiam in phrenitide vtebamur.

Quantitatem Auic. ex viribus metitur: atque adeò varius est, vt multum torqueat sectatores suos. Modò enim dicit ex Paulo, vt nō confertim multa fiat, sed iterata vsque in diem tertium: imò ait, si virtus fortis eò ducatur, vt syncopis appareat: & statim dicit cum Paulo, melius esse, vt syncope excludatur, ne virtus flaccescat. Atq; hi quondam medicinæ proceres. Nos verò quantitatem ad vires metiemur, & corporis naturam, & plenitudinis tum quantitatem, tum qualitatem; & demum magnitudinem affectionis. Purgatio verò eadem die, si opus sit, fieri debet; siquidem pituita crassa sit, per Cocchias, vt inquit, Rases: Si verò tenuis, per agaricum, vel catapotia. Sine quibus, vel ex agarico. Si mista materia per Galeni pilulas, aut hieram. Quòd si non queat iam deuorare, acri clysmate vtitor, & iterato. Cucurbitulis quoque vteris à longinquis incipiens, quo usq; ad collum peruenias, & alijs ingenijs omnibus, quibus apostemata inhibemus reuellendo. Quibus per actis ad localia est deueniendum. Hìc verò Galenum primùm confluere oportet, idq; generatim in omni phlegmone, vbi de localibus agit. Inquit enim sexto. Catatopus, oportere vt talia in principio sint repellentia solùm, postea ijs adde, quæ resoluant, ita tamen vt repellentia superent. In sequenti tempore, qui vigor est morbi æquis portionibus admisceantur. In fine, id est, inclinante affectu, quæ resoluant superent. Colligit ergo perpetuò mistum medicamentum esse oportere. Et ne credatis hoc priuatim dici de angina, legite quæ primo Catatopus in descriptione vnguenti palmei scribuntur, vbi hæc de omni phlegmone repetit. Sed nos singillatim verba examinemus: supputando primùm tempora phlegmonis talia esse, vt principium influxu finiatur augmentum coctionis apertè notis status exactis: declinatio verò cessatione symptomatum.

Tunc de principio quidem, quòd sit repellentibus vtendum solum, verum est, si ipsum affectum respiciamus. Nam alia ratione potest eorum vsus prohiberi, vt si motus sit ne fluxio in principem aliquam partem retrocedat: quod accidit in glandulis omnibus, vt pote ignobilibus partibus. Hæc 6. Catatopus. 3. Epid. 3. Alius quoque casus est 14. Metho. vbi quod influit est venenosum vt in carbunculo, & cancro, potius scarificamus, & attrahimus, quàm repellamus, timentes ne nobiliorem partem errabundus humor inuadat.

Tertius casus, vbi ex dolore, ictu, vel vulnere, 13. Metho. De augmēto verò patet, quòd etiam mista exigat. Nam iam satis influxit, itaque & multitudinem nonnihil minuere oportet: non ita tamen,

vt partem nudam repellentibus dimittamus, ne promptius suscipiat. xj. Metho. neque colo, nec musculis miscemus adstringentia, vbi nil ad locum fluat, neque copia sit in toto corpore. Non enim conducit quicquam tale, vbi nil affluit, & humor firmiter hæret parti: sed admiscemus ventri, & iocinori, vt robur tutamur. Sed de statu est dubium. Primùm ex Galeni verbis, qui in hoc præcepto varius videtur. Nam cap. de quercu in libro de Simpl. Vsum eius esse ait ad incipientes, & increscentes inflammationes, sed non ad vigentes. Hæc enim inquit, astringentia respuunt. Rursus tertio de Simpl. in principio & augméto ea, quæ reprimunt, licet in augmento moderatius, in vigore autem ea, quæ valenter discutere queunt. Tertiò hoc distant, inquit, xj. Metho. principes partes à reliquis, quòd in illis semper adstringente aliquo sit vtendum, nec liceat solo relaxante medicamento vti, vnde & Thessalios redarguit. Quòd si hoc distant, non ergo in omni phlegmones tempore adstrictorijs vtendum. Quarto ratione contendo, principium dico, quousque materia influit: non ergo influit in augmento, vel statu. Quid ergo opus est repellentibus? Præterea in statu aliquando concoquentibus est vtendum, vbi resoluentibus iam vsus parum profeceris, & malum protrahatur. Non ergo declarauit scopos, qui in statu morbi debentur: quin potius impedire videntur concoctionem. Siquidem verùm est, quod aliquando Galenus scribit, siccum suppurare vetat, 4. Metho. Et ratio dictat, siquidem pus non sine putrescentia fit quinto de Simpl. 4. & sicca omnia non putrescunt, aut minus 4. Meteororum.

Pro huiusmodi dissolutione accipiédum est, affectum phlegmones quantum ad sui naturam attinet, nonnisi vacuationem indicare, vt Gal. ait, siue sensili effluxu fiat, siue insensili. Ideo Diaphoresim id est, dissolutioné, discussionem monstrat. Adstringentia verò, quę huic contraria sunt, non ab ipso affectu indicátur, sed à causa primû quæ in corpore est, id est à fluxione, qua gignitur, etiam à causa proxima: quoniam eam euacuant. Hæc enim tum vacuatione totius, tum repulsione tollitur. Mox & à particula, quæ, vt diximus, si ad eá relaxantibus vtamur, prompté excrementa suscipiet, & morbus augebitur: hinc adstringentia admiscere oportet. Quòd si pars etiam sit ex his, quarum maximus est corpori vsus, iam alia quoque ratione adstringi debere monstrabat. Non enim solùm vt fluxionem inhibens, & phlegmones augmentum, sed insuper vt adstrictione robur seruet. Vniuersim enim quæ laxa sunt, imebcilla sunt, quæ densa, fortia: tum propria ratione, tum quia spiritus, & calor multum exhalant. Si verò pars actionem non habet vtilem, vtimur quidem

adstringentibus fluxionis ratione, ne morbus augeatur, non vt roboremus partem, ideo minor est intentio. Contrà verò si ignobilis pars sit, & nulllus actionis, sed solùm vsus, indicatio primùm ea, quę à præstantia de astringendo perit, sed & altera quoque, quoniam non est inhibere fluxionem commodum, quando inde maius aliquod malum expectatur.

Ideo in his repellentibus non vtimur, quanuis causa id monstraret; imò sæpe, & ad partem attrahimus cucurbitula, vt in phlegmones glandularum sub auribus, aut mento, aut alis, aut bubonibus, & scarificamus partem si expediat. Cum igitur quæritur, num passim adstringentibus vtemur? Respondetur, quòd non, sed tunc solum, cum mali generationem modis omnibus inhibere volumus: & cum præterea pars præstans est. Dico modis omnibus: Nam & in glandularum phlegmone inhibemus generationem, non repellentibus, sed vacuantibus solùm, tollendo causam, & vnà auertentib. vel deriuantibus. In his enim metus non est, vt alter morbus succedat. Cæterùm hucusque monstratum solùm est circa prima repellendum esse. Cur verò in alijs temporibus, adhuc non dixisti? Respondetur, ni omni tempore phlegmones semper aliquid parti influere. Quòd si paradoxum videatur: primùm ex Galeno sententia apparet, qui secundo de Febr. differentijs, periodos febrium non alia ratione fieri in phlegmone ait, quàm fiant & sine phlegmone. Vt ergo sine phlegmone fiunt, propterea quòd tempore intermissionis, aut remissionis materia congregatur ad putredinis sedem, quæ velut focus est, & tandem ibi putrescit: ita & hîc continuè materiã influens colligitur & putrescit ordine quodam temporis, quem Typum dicimus, & reuertitur: quam Periodum appellamus. Si ergo hæc vera sunt apud eum, iam fateri necesse erit, cõtinuè à circunstantibus partibus materiam influere, proinde & non oportere, vt adstringentibus destituatur pars.

Typus dicitur ordo quidam tẽporis, in quo putrescit materia.

Præterea si quis cõsideret inflammationes tenui cute obductas, vt in vulneribus, & alijs internis partibus, quis non videat continuè effluere, & multò maiorẽ esse eius, quod influit, molem, quàm vniuersum tumorem, idq; per multos dies? Necesse igitur est perpetuò aliquid in partem influere, ideo & repelli debere, quousq; prorsus desinat morbus. Sed dubitatur statim, Quomodo enim initium morbi influxu terminatur, vt in libro de Morb. temporibus dictum est; si semper aliquid influit, vsque in morbi exitum? Secundò, si hęc vera sunt, sequitur in statu plus influere, quàm in principio: quoniã tunc febrium accessiones maiores fiunt: Siquidem Periodus per te ex influxu euenit. Tertiò, quomodo finietur aliquando tumor, si

semper

ſemper aliquid influit? Sic enim in eodem ſtatu ſeruabitur. Reſpondetur: dicitur principium influxu terminari, quoniam cauſa illa animans, quæ influebat, iam ceſſat magna ex parte, adeò vt ſi quid eius ſupereſt, quàmminimum eſt: ſed ex calore, & dolore excitato in membro ob concoctionem continuè influit à circunſcriptis partibus aliquid; quanuis prima illa fluxio ceſſarit. Dico ergo influxum reſtitiſſe, id eſt, primam illam fluxionem à qua malum excitatum eſt, non illam quæ à parte læſa quodammodo excitatur: Nam ſuis affectibus occaſio eſt, vt excitetur. Ad tertium finitur tumor, quoniam cauſæ attrahentes continuè minoris fiunt, ſcilicet calor, & dolor, & multum effluit: vnde tandem prorſus omnia ceſſant. Ad ſecundum ex dictis patet reſponſio.

His poſitis. Reſpondetur ad obiecta. Cum enim dicit reſpuere vigorem adſtringentia, aut exigere ea, quæ valenter diſcutiant, intelligit ſemper in comparatione ad reliqua tempora, de quibus antea egerat, in quibus intentio repellendi vigebat. Quod verò afferebatur ex vndecimo Metho. ſolùm monſtrat partes, quarum actio eſt neceſſaria toti, eſſe roborandas. Itaque inſiſtendum multò magis adſtrictorijs, idque euidentibus; vt in quibus nulla eſt actio, nullis, ob rationem, quam diximus: in cæteris verò medio modo, vt muſculis: nam vtemur quidem, ſed parcius. Ad rationem verò, quæ eſt inducta, reſpondetur, ſeu diſcutere in ſtatu ſit animus, ſeu concoquere, ſemper ſunt adſtringentia vtriſq; admiſcenda: nec negat Galenus, quin aliquando concoquentibus ſit opus: ſed hoc eſt ex accidenti, quoniam vincimur copia materiei: per ſe enim & primo in ſtatu diſcutere intendimus. Id enim eſt eligibilius multo, vt 13. Metho. habetur, & ratio dictat. Neque adſtringentia oberunt concoctioni, ſed potius iuuabunt, quoniam calorem innatum ſeruant in parte, quod ad concoctionem maximè requiritur, quinto de Simplicibus.

Iam igitur propoſitis ſecundum anginæ tempora, ſupereſt, vt in particularibus exemplis auditorẽ exerceamus. Ac primùm de morbi initio agendum. Vbi enim vacuata ſit plurimum cauſa antecedens, repellentibus inſtamus maximè. Hæc autem fortia ſint iuxta naturas corporum, & eorum mollitiem: & rurſus violentiam fluxionis. Habeant verò communes illos ſcopos, vt familiaria ſint quantũ poſſumus, nec inſuauia. Excogitarunt igitur veteres, Gal. prȩſertim aſtringens aliquod medicamentum, veluti materiam omnium facere, atq; id nunc roborare adiunctis ijs, quæ magis aſtringant: nunc diſcutientia adiungere. Sic enim omnia præcepta ſeruabuntur, perpetuò aſtringente medicamento admoto; non quidem ob partis Anginæ curatio in particulari.

præſtantiam adeo, quàm quòd augeri tumorem, aut in eodem ſtatu perſiſtere lethale eſſet admodum. Hæc verò materia primum cōparata eſt ex mororum ſucco, vel rubi: quo ſanè primis morbi temporibus, quando maximè expellendi negocium inſtabat, ſolo vti poteramus; quo tempore anni haberi poteſt. In reliquis verò temporibus vtiliter admiſto melle, quomodo reſeruari ſolet, vtemur. Nam mel vi diſcuſſoria eſt præditum.

Igitur inter initia hoc compoſitum medicamentum roborare expedit alijs adiunctis. Galenus igitur rhois ſuccum, aut vuæ acerbæ addit. Hunc verò ad ſolem ſine ſale ſiccare licet, atque admiſcere: ſic & hypociſthidis, & Acaciæ ſuccum, & quod vinum myrtillorum appellant. Hæc in ea conſiſtentia accepta debent inungi: nam gargariſmate vti tutum non adeò eſt. In eundem ſcopum multò valentius pharmacum comparauit ex corticè viridium nucum, è quibus expreſſum ſuccum, cum ſapore eas aſtringentes offendiſſet, excogitauit ratione duce ad incipientes phlegmonas harum partium eſſe oportunum; cùm maximè non eſſe craſſæ ſubſtantiæ videretur: ita vt non ſuperficiem ſolam, ſed alta quoque corporum poſſet denſare, & aſtringere. Eius verò tenuitatem agnouit, quòd cum primùm manus tractantium inficit, non facilè detergi poteſt, vnde altè deſcendiſſe in meatus ſignificatur. Hoc itaque ſucco per æſtatem vti poſſumus: at in hyemem eadem ratione ſeruare, & componere ex melle, vt prius medicamentum, & eodem modo vti. Poſſumus etiam & in ore detentum ſenſim illud demittere; aut capite reſupino iacere ita, vt ſedem mali attingat medicamentum. Componunt & ex rubi fructu, & punicorum generibus, id de quo ſuprà, vbi de vlceribus egimus, ſermo fuit. Componet & rationalis medicus mille alia huiuſmodi, vbi præ oculis habens ſcopos illos curatiuos, mox in ſimplici materia verſatus fuerit.

Si igitur his paſsio non ſiſtitur, & materia iam concoqui incipit; cuius ſigna communia ſunt, quòd ſymptomata augentur, & febris inuadit; quanuis non adeò magna inuadere ſoleat: imò aliquando & ſine febre fiat: quòd locus cordi vicinus non adeò eſt; neque vbi per magnas venas putredinem communicare queat: tunc tempus erit, vt diſcutiamus. Id ergo eſt tempus venas proximas ſecandi, quo inde materia impacta, quæ non ceſsit repellentibus, vacuetur. Hæ ſunt ſitæ ſub lingua, à quibus & ſponte parum effluat, ſolemus admotis hyrudinibus vulneri, quodlibet vacuare. Non ergo ſine diſcrimine hoc remedij proponere oportet; quaſi ſtatim vniuerſali illa vacuatione facta, hoc vti liceat. Nec forte eadem die, niſi morbus velox admodum ſit. Sed artificialem temporis cōiecturam ponere

nere oportet: cum etiam repellentibus localibus, vſus fueris. eæ enim venæ etiam impactam materiam vacuare poſſunt è proximo. Ab ijs ni malum cedat, remedijs, quæ digerant, adiunctis vtere; ita tamen, vt ſuperent adhuc quæ repellunt. Quare illis admiſcebis crocum, & myrrham: croco quidem concoquente nonnihil, & aſtringente; myrrha prorſus diſcutiente. Sat verò fuerit hæc trita optimè addere, vt tertiam partem medicamenti æquent. Cum verò iam maxima ſymptomata fiunt, & viget morbus, magis reſoluentibus eſt intendendum, vt vires æquentur adeò, vt adhuc aſtrictio vigeat.

Itaque Galenus nitrum, & ſulfur admiſcet: ſed his primùm in mediocri quantitate vtetur. Huius generis eſſent & alia fortia, quę admiſcerentur, vt piper. Interim & collum obuoluere oportet ſuccida lana, & oleo calente, quòd ſi chamæmelinum fuerit, iuuerit. Si verò tumor in extimis ſe monſtrarit, ad eas partes trahendum eſt malum medicamentis attrahentibus, & cucurbitulis, etiam ſcarifitione adiecta; & hoc opus dicitur tranſlatio; qualis eſt & cucurbitula capiti phrenitici affixa. Et collum inquit Raſis ex anacardi melle Epithimetur: & eſt remedium attractorium: eius loco ſynapiſmo vtemur. Hic vtuntur & canino ſtercore in medicamentum iniecto, intendendo vim eius iuxta affectus magnitudinem. ſic & hyrũdinum cinere. Non ſunt hæc ex proprietate, ſed acritudine. Aliquando cogente affectu, & iam in deſperatione ægro poſito, valentiſsimis diſcuſſorijs vtimur, vt gargariſmis, & illitionibus ex ſinapi vel puluere hyrundinum dicto, & ſtercore eo in puluerem redacto. Galenus eo dicit nullum præſtantius in præfocatione periculo inueniſſe. Poteſt & hoc aſtringentibus admiſceri, quæ etiam ſiccant: hoc dicunt', ſtercus album, quod ex oſſa comedentibus acceptum eſt.

Poſtremum in deſperatis remedium eſt arteriæ aſperæ inciſio, quod etiam veterum inuentum fuit: ætate noſtra, quod ſciam factũ non eſt. Quomodo autem fieri debeat, optimè declarant, & eſt citra periculum. Interim enim aut reſoluitur prorſus, aut ad ſuppurationem venit, & liberantur. Cum verò remiſsiora ſunt ſymptomata, & perſtant vltra quartam diem, tunc maturatio eſt expectanda. (Hoc in materia admiſta pituitæ ſæpe euenit, præcipuè ſi in externis cõmunicet) neque amplius contendere cum diſſoluentibus oportet, ſed concoquentia, & mitigantia admouere; quę tamen ab aſtringente aliquo non abſoluantur. Huiuſmodi ſunt ficuum decoctum cum ſpica, & croco, & melle, & fœnugræci, & altheæ roſis admiſtis. Similiter & extrinſecus applicare emplaſtra eiuſmodi, aut ex cepe al-

bo, vel porris cum ſapa, vel butyro circa mentum, & aures impoſitis. Vbi non ſuppurarint, ſi in tonſillis ſint, quidam vnguibus proprijs dilacerant tuniculam, & pus effluit, quidam & incidunt. Si in faucibus, hoc etiam fieri poteſt. Empirici candela impingũt, & rumpunt. Poſtea aſtringente, & ſiccante curantur. Ex proprietate verò valet filum ſericum purpura tinctum, quo ſtrangulata ſit vipera. apud me habeo, ſed non tincta purpura; adhuc expertus non ſum. Victus ratio iuxta ſtatus diſtantiam fiat, quæ cognoſcitur ex motu morbi, motus verò ex veloci augmento ſymptomatum. In aliqua ergo nihil prorſus dabis: in aliqua ſola mulſa, vel ptiſanæ cremore vteris.

De Coriza: ſeu Grauedine. Cap XXXII.

Coriza quis morbus, & cur grauedo uocetur.

EX fluxione quæ à capite fertur, multiplex oritur in ſubiectis partibus malum, vt Galenus ait 6. de Tuen. ſan. Nam promptiſsimè in nares, & os fertur; aliquádo in aures, & in oculos. Quæ igitur in nares fertur morbum facit, quem Corizam dicimus, id eſt, grauedinem: quoniam anteriores hæ partes capitis circa frontem poſitæ grauantur, & vix oculos attollimus. Morbus verò ipſe obſtructio circa meatus oſsium, quæ ithmoidi à cribri ſimilitudine dicitur, per quos fertur fumoſa exhalatio in olfactorium inſtrumentum: & aer, qui cerebri calori innato, inſpirando deſeruit. Hinc fit, vt ſæpe duo ſymptomata inſequantur, primùm vt odoratus amittatur ob cauſam, quam diximus: ſecundum, vt vox libera non ſit, nec reſpiratio ſecundum naturam. Monſtrãt hunc morbum vel ea quæ diximus, ſed & humor, qui fertur deſtillans; à quo etiam huiuſmodi morbi differentias habemus à cauſa acceptas. Aliquando enim tenuis eſt, & acris, quòd ſignificant ſternutatio plurima, pruritus, ſæpe & vlcera: aliquádo verò craſſa & frigida pituita, mõſtratur & colore. Nam albent prorſus vbi pituita dominatur. At flaueſcunt aut vireſcunt, vbi vnà & bilis.

Cum verò ad os, Catharrus appellatur: Sed eſt adhuc nomen generale Galeno tertio de Simpt. cauſis. Diuiditur autem per naturas partium, in quas influit. Nam priuatim vbi guttur exercet, & laringa, Branchus dicitur. Quòd ſi in pulmonem feratur, proprium nomen fluxio non habet, ſed diuerſa aſſumit nomina, prout hunc vel illum affectum generat, tuſsim inquam, vel aſthma, vel phtiſim, aut ventris intemperiem, & cruditatem & vlcera. Nam hæc omnia ex eadem genere cauſa fiunt. Si igitur branchum facit ſymptomata

ſunt,

sunt, primo raucedo, quę semper aucta, tádem eò sensim deuenit, vt vox intercipiatur. quàquam ego alia ratione perijsse vocē viderim, obstructis scilicet fluxione neruis reuersiuis; per quos musculi gutturis mouentur. Huius signum erat, quòd subitò, & non sensim malum eueniebat. Alijs autem sensim id fieri vidi humectis musculis, & interna tunicula, quæ cartilagines induit, destillatione. Potest verò & ab alijs causis vox vitiari: sed de his, pòst dicemus, vbi de affectu, quem destillatio creat, loquuti fuerimus, qui communem habet causam cum Coriza. Igitur in hoc quoque paſsionis differentia dignoscetur ex symptomatis. Nam & pruritus circa palatum, sępe & rubor, & incitamentum quoddam ad tussim accidit, si materia mordax sit, & acris; sitim quoque facit, & calor mani festè sentitur: vbi contrà, si à tenui fiat pituita imbibita; nam crassa non videtur admodum morbum hunc facere posse.

Causa verò antecedens in corpore, est humor in cerebro aceruatus, qui etiam aliquando sponte sua mouetur, id est, nulla adueniente externa causa: vt senibus, & alijs obnoxijs huic malo euenire videmus. Aliquando verò interna ab externa mouetur, calida scilicet fundente, vel frigida exprimente. Hæc autem vel iam abijt cum primùm impresſit, vel adhuc perstat: quæ verò sine externa causa fieri diximus, rursus vel fiunt à natura sese exonerante, vel quoniam humor sua grauitate defluit, non potens contineri, quod morituris sæpe euenit. Quòd verò in capite aceruetur, causa primùm est cerebri intemperies, vel quia aliunde transfluxit. Intemperies verò, quę multas humiditates per se generat, humida est: quę verò ex accidenti ob malam concoctionem, frigida, vel sola, vel iuncta humiditati. Calida quoque vbi iuncta humido sit, caput replet facilè: quoniam rarefacit, & suscipiendo fluxui præparat. Secundò obest, quoniam & cerebrum exponit, vt facilè ab ambiente frigido patiatur. Hinc videmus eiusmodi capita facilè catharris capi, tum à causa calida, tum à frigida, quòd rara textura sint. Hæc verò vniuersim vel innata est, vel tempora acquisita ex procatarcticis causis.

Qui igitur ex procatarctica causa de materia fluxionis ratiocinantur, falluntur. bene enim verùm est, quòd caput intemperie calidum, calida quoque gignat excrementa, & frigidum frigida: sed si repleatur calore, stat tamen excrementa quæ defluunt, calida non esse. Sic quoque si à frigore densante excidunt, sæpe videmus acria, & calida tamen esse. Est autem & calido capiti occasio repletionis maximè tarditas concoctionis: seu vitio cibi assumpti sit, seu ob imbecillitatem ventris, sexto de Tuen. vale. præcipuè si ingesto cibo quis dormiat, ac præsertim calido loco. Aliquando verò & ambo

causarum genera concurrunt ad fluxionem generandam: causa inquam calida externa replens, & causa frigida astringens: & has duas Rases coniungit initio capitis. Igitur frigidum cerebrũ natura, vel acquisititio habitu, facilè capitur destillationibus. primo de Alim. De naturali verò secundo Tech. Calidum verò obnoxium est, vt aliunde repleatur sole, crapula, balneis, & alijs causis calfacientibus.

Quod ad iudicium attinet, primùm salubrior est defluxus ad nares, quàm catarrhus. & inter catarrhos periculosior, qui ad guttur tendit: pręcipuè si pulmonem offendat. Ex his autem pessimus est, qui acris. Expectatur enim inde exulceratio. Hæc autem fit serius, aut ocius iuxta calorem, & acritudinem humoris, & calorem partium, in quibus colligitur. Vnde & biliosa corpora, & iuuenum pessimè afficit: & nos modò duos eiusmodi præ manibus habemus. Quòd si febris quoque adsit continua, vnde & putrescit humor, & inde acritudinem assumit, breui in tabem incidunt exulcerato pulmone. Diuturnas etiam raucedines tandem ad phtisim delabi vidi.

Curatio, vt distinctissimè procedat, primùm defluxionem ad nares assumet, à qua obstructio, & grauedo oriatur: mox de gutture læso agemus. Communis igitur curandi ratio, primùm causam abscindere debet, & malorum fontem tollere, caput sanando. Primùm ergo omnes procatarcticas causas euitare oportet, à quibus vel caput repletur, vel lęditur, ita, vt infirmum cerebrum fiat. Id verò fiet per debitam victus rationem, cauendo calfacientia omnia, & repletionem, & somnum à cibo, & cibos, qui difficulter concoquũtur, & vaporosa multum. Demum & aerem frigidum, & humentem, nocturnum, & stagnantem iuxta palustria loca, & austrinos flatus. Primùm igitur curemus eum, qui à causa procatarctica ortum habuit, vnde vel intemperatum cerebrum est, vel repletum. Si enim intemperatũ est frigore, facilè curabitur, quòd in affectu morbus sit, non in habitu, idque per calfacientia. Sed prius siccato corpore vacuationibus & capitè ipso. Sed & victus ratione siccante, & calfaciente vtemur, quod labor, vigilia, cibi abstinentia, potusq; faciunt: attamen omnia moderata. Vigilia nanque vt contrà quàm somnus, siccat, ita & somnus ad concoctionem facit. Vigilia verò immodica cruditates parit, vt experientia monstrat & Galen. testatur. Caput verò lotione, pulueribus, medicamentis, pituitam per os purgantibus. Post hæc nares aperiemus, & materiam obstruentem siccabimus: id verò odoramentis fit in manibus retentis, & suffumigijs, & attractis per nares.

In vsu

In vsu verò sunt maximè nigellæ semen, præcipuè Creticę, & cardamomum, & calamus odoratus, & aceti calidi odor, præsertim pipere iniecto. Mulieres ad puerulos vtuntur furfuris suffimento, & oleo amigdalarum amararum inungere. Quòd si dicas vulgatum esse apud Hippocratem, quòd aromatum suffitus caput grauat, concedimus nos, sed non omni tempore: quin potius quandoque grauitatem sanat. Contrà enim quòd grauat, & multitudinem materiæ dissoluit: quæ si non adsit in capite, solum nares siccat, & purgat.

Si verò catarrhus calidus sit ex materia acri in cerebro congesta, seu ob ipsam cerebri naturam, quod rarò fieri potest. Nam caput multum calidum vacat excrementis, secundo Tech. Seu quòd à venis corporis multus calidus vapor tendit, quod aliquando accidit in biliosis corporibus, & calidi iocinoris: Tunc materia excrementorum non erit adeò multa, sed acris, calet, rubetque facies. Inde verò sequuntur morbi circa guttur, & nares, qui dicti sunt. Tunc ipsi capiti alia via prospicere oportet. Oportet enim vt excrementa vacuentur, sed citra calfactionē aut siccationem. Nam etiam hi parum dormire solent, & vigilia multa proritari, quando acrior materia euadit. In his igitur tum balneis toti corpori adhibitis medemur, tum præcipuè capiti per aquam potabilem: prius tamen vniuersum corpus vacuare oportet. Per balneum enim & ardor capitis mitigatur humectando, & refrigerando, & materia exhalat, & mitior redditur. Quòd si æstas sit, & ardor maximus, etiam rosaceo vti ad syncipiut, frontem & nares.

Quòd si acris materia fluxerit per nares, etiam rosaceum cum frigida traijciemus, aut violaceum oleum, aut de nimphea. Proderit etiam hîc decoctum ex papaueris semine, & floribus salicis, aut folijs, & rosis rubris. omnia enim siccant sine calore.

De Brancho. Cap. XXXIII.

HIc verò morbus ad intēperiem pertinere videtur, atq; ipsius causas diximus; nempe easdem, à quibus etiam & coriza oriebatur, & quæ easdem differentias obtineant; vt modò sint à bile, modò à pituita. Diximus & notas, & quomodo præsagiri periculum debeat, & iudicari quantum sit curatio difficilis. Remedia verò partim cōmunia sunt, partim propria. Cōmunia, quę attinent ad totius, & capitis prouidentiam in vtraque materia. Propria verò

ſunt,quæ raucedinem curant ſic ortam,& applicandi modus. Cum igitur humida intemperies ſit, ſiquidem frigida ſit hæc pituita, detergentibus,& ſiccantibus curabitur; & aſtringentibus aliquando. Hoc autem partim cibis fiet,& potione,partim medicamentis. Cibis quidem vt ptiſana, & amigdalarum diluto; quòd illis quoq; vis deterſoria inſit,præſertim adiecto ſaccharo.Potus verò mulſa vtraque.Si calida, his quæ ſiſtunt, & craſsiorem reddunt materiam,vt diaſpermaton,diacodion.Si verò calida amplius materia ſit, nō his ſolùm vtendum,ſed ad temperandam acritudinem etiam amido,& farre, & ouo ſorbili.

Medicamenta verò alia liquida ſint,alia, quæ linguntur ſolidiora: liquida quidem in pituitoſa ſint, quæ ex ficubus, & paſsis vuis conſtant,& melle potata,vel gargarizata.In calidiore verò glicirhizæ radix,præſertim viridis,& Sebeſten fructus,& iuiubæ,& ſaccharum coquantur. Solidiora verò in calidiore ſunt; medicamentum ex ſaccharo candido,& oleo amigdalarū dulcium confecto,& Diacodion ex ſapa,vel ſaccharo,vel melle,&diadraganti dictum,&penidia vocata.In frigidiore verò porrum ex ſapa coctum, & braſsicæ ſuccus cum melle:& quod ex thure,myrrha,croco,& ſcylla fit,& cępa cocta ſimiliter.In calida etiam gargariſmus ex lacte iuuat.In alia, croci,terebintinæ lotæ,draganti,ſucci glicyrhizæ,amidalarum q. ſ. excipe melle,conformantur boli tenendi ſub lingua.Sed alia multa addentur cum de tuſsi agemus.

Fit & Branchus,id eſt,raucedo alijs de cauſis.Etenim & nihil patiente gutture, ſed ſolis, qui guttur mouent, neruis euenit, cum fit affectus veluti paralyſis. Fit & ex affectu ſimili laſsitudini, quando ex nimio motu,non ſecus,atque in reliquis corporis muſculis fieri videmus, cum ſupra modum mouentur.Euenit enim laſsitudo ea, quæ tenſiua dicitur,cum membra quaſi tendi videantur &doleant. Quanuis inter exercitandum omnes modi laſsitudinis euenire poſſunt; attamen phlegmonode ſola facit raucedinem ob affluxum humoris.Fit autem ea,ſcilicet tenſiua, tertio de San.tuen.ex diſtentione villorum,quæ inter exercitandum fiebat.quę & adhuc perdurat.Vt enim inter exercitandum multos calor afficit ita, vt inflammata membra videantur,ita & poſt exercitium remanet affectus.

Sic igitur in gutture, clamore nimio cantoribus, & hiſtrionibus euenit ob vocem magnam, & acutam. Sic venatoribus,ſic iratis. Hinc fit laſsitudo ea, quæ tenſiua dicitur, non ſine calore quodam inflammante:conſiſtit aūt aut in tunicula,aut in muſculis.Poteſt & quarta illa laſsitudinis ſpecies eſſe,quæ ariditate conſtat. Vnde & æger perſentiſcit aliquando quandam velut aſperitatem, vnde rauca vox

ca vox efficitur,& inæqualis, & aſpera: qualem præſeferunt adoleſcentes, cum primùm epheborum ætatem excedunt, quod τραγίζειν appellant.

Hìc ergo medicamenta mollientia,& mitigatoria adhibere conuenit: quorum exempla ſunt tragacanthum in aqua violarum diſſolutum, ſaccharum violatum, & iulep violatũ, gargarizatum cum tepida,& cibis lenibus,& relaxantibus vti oportet, vt amydo, ptiſanæ ſucco, alica, lacte. Pilulæ quoque ex gummi, & tragacantha,& glicirhizæ ſucco cum paſſo componuntur. vtantur & butyro in cibis. Quoniam verò inter exercitandum nonnihil humoris affluxit, ideo cum dolor,& calor,& aſperitas ceſſauit, detergentibus lenibus vtantur, vt mulſa,& tragacantho. Nam ex humiditate influxa fit raucedo, id eſt, vox aſpera. Illam ergo ſiccare oportet,& extergere iiſdem præſidijs.

De Tuſsi. Cap. XXXIIII.

NVnc de Tuſsi agendum; quæ eſt & ipſa diſtillationis aliquãdo ſoboles, vt diximus. Eſt autem in genere ſymptomatum, quoniam morbum inſequitur. Attamen vt de Sympt. cauſis docet Galenus, Symptomata quædam prorſus à morbo proueniunt, vt dolor, abolitus motus, vox deperdita. Quædam verò morbum velut occaſionem habent, cauſam verò authorem naturã, ſeu animam, quæ tamen à morboſa aliqua cauſa violenter mouere cogatur. huius generis ſunt ſingultus, ſternutamentum: Tremor verò medium quodammodo eſt. Definit autem Galenus Tuſsim per efflationem. Eſt enim eius ſpecies, in qua cum plurimo ſpiritu celerrimè foras erumpente, conatur natura noxam aliquam ex pectore excutere. Symptoma igitur hoc ad motum vitioſum pertinet; qui eatenus vitioſus eſt, quatenus cauſam præter naturam habet adiunctam; aliàs eſt naturali ſimilis. Non poterat autem natura ſolo motu aſtrictionis noxam expellere; quoniam expulſio per arteriam aſperam fieri debet, quæ non ſicut reliqua caua inſtrumenta, poteſt villis ad id inſtitutis procurare expulſionem; quoniam cartilaginea eſt,& aſtringi non poteſt, ideo efflatione illa,& impetu ſpiritus, natũra abutitur in hunc vſum, vt pectus expurget, quod aliquando corporibus non modicis eſt repletum. Eſt ergo ſymptoma virtutis motiuę,& eſt deprauatus motus, in ſenſu, quem expoſuimus, tũ quia irritatur à morboſa cauſa, tum quia adeò validum motum natura non faciat, niſi inſtrumenta malè affecta ſint.

Tuſsis à Galeno diffinita.

¶ Iam symptomatis huius causas, id est, morbos audiamus: hoc autem vnum genus nō est, sed multa. Primum est repletio arteriarum pulmonis, quod est frequentissimum, in quas si quid confertim incidat, tussim excitari est necessarium. Etenim spacium illud aeri peruium fecit natura. quicquid ergo aliud repleat, statim lædit. Hęc obstructio puluere fit, & alijs corpusculis, præsertim si mordicent. Tunc enim duplex erit causa: Primū, quòd si etiā potionis aliquid percolari in arteriam etiam & sanis, & sine noxa putandum sit, 4. Metho. attamen nec id multum, nec confertim, sed veluti per parietes quosdam, non per medium spacium sensim delabitur. Tria ergo sunt, quæ faciunt vt noxa careat: primùm quòd non confertim, labatur: secundum, quòd parum sit, multum spacij non obstruens: tertium, quòd lateri arteriæ inhæreat, nō per media spacia procumbat: ideo & bibentibus nobis, si vel gutta proruat, tussim excitare potest. At contrà sæpe in Asthmate pectus repletur, haud tamen tussiunt adhuc: sed vbi moles nota digna spacium occupauit.

Tussis causæ, id est, morbi sūt multi generis.

Secundum genus morbi est intemperies inæqualis, quę cum noxam infert thoraci, insurgit natura ad eam expellendam, non secus atque alij motus fiunt, vt oscitatio, & pandiculatio, rigor. Concutiuntur enim musculorum carnes, vt à sese noxam expellant, seu intemperies sola sit, seu pręterea vitiosus aliquis humor, quasi ros quidam sit adiunctus; aut etiam vapor per membri substantiam dispersus, ac mala qualitate affectus. Conantur autem expellere suo motu ad interna pectoris, atque inde per pulmonem. Sed nunquid omnis intemperies possit tussim facere? Nam Galenus solùm de frigida meminit, secundo de Sympt. causis. Meminit & caloris quarto
" de Loc. ad vltimum libri dicens: Fit hoc tussis genus refrigeratis
" spiritus instrumentis. Et 5. Metho. huius tussis meminit, nosq; eam sæpissimè experientia intuemur. Hippo. meminit quinto Aph. 24.
" frigida, vt nix, & glacies, &c. At si causa hæc Galeni vera est, videtur itidem facere in calida; quoniam etiam laborem inducit, & noxam. Præterea cum ea magis fiunt mordacia excrementa in musculis, vnde proritantur. Quæ verò siccant, & sicca intemperies, dolorem facere non videtur, adeò, & tussim, nisi asperitatem causet. humida enim prorsus molestia caret.

Tertium morbi genus asperitas est: quæ & ex siccitate ortum habere potest: & est vitium in tunicis: fitq; aliquando in summo gutture solum; aliquando in tota arteria ex causis branchi: fit & ex asperis corpusculis ingruentibus cum aere. Videtur autem Galenus hoc genus reducere ad obstructionem. At primùm mihi magis placet, vt ad noxam afferatur partis ad superficiem: quam natura lenem fecit,

cit, propterea quòd in asperam impingit spiritus, non in lenem. De hac Galenus primo de Differentijs morb. excitari dicens tusses ex faucium asperitate. Exasperant & acres humores, & medicamenta extergentia, secundo de Causis morb. Cuncta verò quæ exasperant, dolorem faciunt, & continuum soluunt. Quartum genus mordicatio est, & omnino dolor partium: & videntur omnia ad vnitatis solutionem reduci. Siue enim ex asperitate, siue ex intemperie dolor excitetur, seu ob morsum humoris influentis sponte, vt in destillatione, vel extrinsecus, vt pipere, euphorbio, oleo, præsertim acri. Hæc enim omnia eadem ratione tussim videntur efficere. Sæpe igitur vnus ex his morbis est, qui tussim facit, sæpe & varij iunguntur simul; quin & ab vno, eodemque principio & causa, varios gigni affectus apparet.

Nunc quæ sit pars affecta in tussi considerandum, atque in hoc multum laborant sophistæ, parum verò proficiunt: quoniam nec definientes, nec distinguentes omnia confundunt. In hoc verò versatur quæstio, num pectus patiatur, an pulmo in tussi, & cuius affectus esse dici debeat. Quòd si sedem affectam quærerent, gratia illis habenda erat, vt qui rem vtilem inquirerent, & ad curationem necessariã. Cęterùm de symptomate illo viciosi motus, disputãt solùm cuius sit: de affectu verò, qui morbus est, nihil inquirunt. Præterea de symptomate disputãtes quod Sophistarũ propriũ est, non sensus & rationem cõsulunt à rei natura acceptã: sed, sic dicit Auic. sic Gal. sic Auer. Inquiramus nos affectam partem, & ad quæstionẽ illorum respõdeamus. Cum de tussi quæritur, cuius sit passio; si de symptomate solo quæritur, parum vtilis est quæstio; quoniam ipsi primùm non debetur curatio, nisi rarò, cum causæ, & morbi rationem obtinet, 12. Metho. At si tum quis hoc quærat, respondemus, eius esse vitium, cuius erat actio secundum naturam. Scimus verò pulmonem per se non moueri apud Gal. sed ad motum pectoris; ideo musculorum pectoris motrix est, quæ symptomate afficitur. At tussis apud Medicum aliud quoque significat, quod nomine accidentis significatur, & cui remedia adhibentur, & sunt quatuor morborum genera iam dicta, quibus curatio debetur, quorum sedes requirimus. Hìc ergo non vnam partem lædi videas, neq; vno modo. Aliquando enim membra respirationi deseruientia per se læduntur, vt musculi, septum, pulmo: aliquando solum consensu quodam, cum in ipsis læsio propria non fit: vt cum iocinoris gibba phlegmone laborant. Et de hoc post dicemus, aut cum gula lęsa est. Nam coniuncta tracheæ in consensum eam trahit, & tussim facit.

Similiter & cum fauces mordentur extrinseco vel intrinseco ali-

quo irritamento. Cum verò propriè afficiuntur, quæret quis, num semper pulmo afficiatur. Videtur autem Galenus dicere, aliquando musculis pectoris moueri ad noxam propriam intemperiei pellendam, secundo de Symptomatũ causis: experientia tamen monstrat, quòd nisi affectus pulmoni aliquo modo communicent, tussim non faciant: Confossi enim latus tussiunt; propterea quòd, aut sanies decidit, & pulmonem tangit; vel medicamenta, quæ inijciuntur. Sed cur tussis sicca in pleuritide accedit, cum pulmo adhuc nõ repletur? Similiter & tumores, qui in externis partibus thoracis eueniunt, tussim non faciunt. Contrà verò statim, vbi aerem frigidum multum inspiramus, aut parte aliqua pulmoni attinenti lædimur, fit tussis: Ideo motus ille pectoris, vt seruit in respiratione, ita in expurgatione à noxis pulmoni seruire videtur. Igitur obstructio asperarum arteriarum pulmonis tussim facit, & vulnera, & morsus circa eas partes, & intemperies visceris. Hæc autem qua parte maxima sensum habet. Aer enim in simplici illa carne, quam affusionem dixere, non sentitur. Quòd si extrinsecus aer pectus refrigeret, certum est, qualitatem illam frigidam ad pulmonem quoque velocissimè peruenire. Quanuis verò per motum hunc intendat natura expultrix noxas pellere, frustratur tamen sæpe fine suo; cuius ratio est varia. Prima, quoniam nihil aderat obstruens corpus, quod expelli posset; sed vel intemperies, vel vlcus, vel affixum tuberculum: & dicitur tussis sicca. Secunda causa est, quoniam materia est rebellis, & contumax, non cedens impellenti; vt cum viscida nimiũ est, & hæret; aut crassa, quæ non facilè per minores arterias preterlabi possit. Tertia, quoniam à spiritu dissipatur, dum impellitur ob tenuitatem, quod accidit in aquosa, & tenui distillatione. hæc primo Epid. primo de Tussi arida.

Causæ verò horum affectuum ferè sunt expositæ. Nam obstruentes dictæ sunt destillatio, tuberculum, & quæ extrinsecus in arteriam incidunt. Quæ intemperiem faciunt, externæ sunt; quæ exasperant siccantia multùm, & extergentia sunt: cuiusmodi puluerum genera quædam inter respirandum attracta, & sitis nimia in febribus. Addit 6. Epid. libro 2. in eo Aphor. Siccæ tusses ex cibis, & potibus exasperantibus, cuiusmodi sunt austera nimis, & acerba: quæ etiam mordent; aut acria sunt extrinsecus incidentia, vt acetum, oleum vetus: rancidum, piper, euphorbium, aut destillatio talis.

Signa tussis ab obstructiones.

Signa verò distinguentia, num sit ab obstructione, hæc sunt; primùm quòd vehementior, & impetuosa magis fit tussis. Et signa alia distillationis affuerunt circa fauces, nares, oculos, vel etiam totum caput. quòd si quid educatur, aut sonitus aliquis sentiatur in pectore, certò

re, certò id significatur. Si verò ab intemperie, necesse fuit præcessisse causas externas, aut saltem præcedentes in corpore, vt febrem ardentem, calfacientem. Si ex asperitate, eadem extitisse est necessarium. Sunt autem notæ causæ exasperantes, siccantes scilicet nimium. Si à morsu, iam dolor ipse manifestat, & eò magis, si de mordente aliqua causa certi sumus. In plenum non sunt eę tusses vehementes, sicut vbi affectus obstructionis adsit, sed moderatiores, vt Galenus testatur. Signa tussis ab intẽperie. Signa tussis ab asperitate. Signa tussis à morsu.

Num verò per consensum pulmo lædatur, monstrant primùm aliarum partium affectus, vt circa gulam irritationes à quacunque causa fiant: quibus etiam adnumero vermes in pueris: quam causam cum quidam scripsissent, Galenus nec negat, nec probat. Dicit solùm eos non scripsisse, num ita fieri experiẽtia, an ratione compererint. Sed ipsi loquebantur de ore ventris, quod non communicat arteriæ, nos dicimus de gula, quæ illi iuncta est & experientia monstrat id fieri aliquando.

¶Prognostica ex ætate: tusses infantium deterrimæ, quòd respirationem & somnum impediant, & præfocent: sæpe & ex multa agitatione febres acutas, & comitiales excitent: plurimi ergo pereunt. Senes verò ob ætatem non maturant, & affectus ad mortem comitatur. Secundo ex causis: quæ ex destillatione acri, periculosissimæ de tabe, præsertim in iuuene. Quæ verò à fixa causa obstruente, & difficillimam sanationem habet affectus, & periculum tandem minatur. Cæteræ causæ faciles sunt curatu, vlcere excepto. Tertio ex adiunctis, si febris multum eam exasperet. Si grauida mulier sit, de abortu periclitatur. Prognosticum tussis ex adiunctis.

¶Qui verò curaturus est hunc morbum, primùm consideret oportet, aliquando affectum esse respiciendum, aliquando symptoma. Etenim tussis ex his est, quæ ad se aliquando vertunt, etiam neglecta causa, non secus ac dolores, quòd rationem causæ obtineat, aliquando & alia symptomata grauissima gignat, & morbos. Ex tussi enim febres exasperantur tum motione, tum & vigilijs, quarum ratione etiam vires debilitantur, vt & motione ipsa. Præterea si vehemens sit, aliquando ad causam addit. Nam tussis vehemens caput replet. Videmus enim & venas capitis intumescere, & faciem rubere, non secus ac vomitione. Tussim curaturus quandoq; respicere debet affectũ, & quãdoque symptoma.

Primò itaque de morborum cura agemus, mox de symptomate, atque eodem ordine procedentes, à morbo instrumentario incipiemus, id est obstructione, quæ si à re externa fit, sponte sua soluitur affectus: Nam tussi causa eijcitur, nisi vehementer inhæserit: quando & præfocari metus est, & aliqui visi sunt, vt historijs est proditũ,

non adeò, quòd via clausa esset spiritus à tam exiguo corpore, sed tanta, & tam vehemens expiratio sine intermissione ad præfocationem adducere potest: quòd ad cor aer inspiratus non perueniat, præoccupatus à pulmone extra ferri. Nonnunquam in his, qui aqua præfocantur, plenus est aqua pulmo, & ex syncope, amisso sensu, non proritatur ad pulsionem. Si verò ex destillatione sit replente, multis modis communicat cum cura branchi. Primùm enim vt ibi, totum vacuare, & à capite reuellere oportet: siquidem copia humorum adsit in toto. Vacuatio autem fiat iuxta qualitatem copiæ. Nam vbi sanguine æger abundet, præcipuè circa capitis venas, & præsertim si calida quoque fluxio appareat, expedit venam secare, mox purgatione vti pro qualitate humoris, vt suprà sæpe diximus. Mox capiti prospicere oportet, alijs præterea auertendi ingenijs: cuiusmodi sunt frictiones, quæ ab infernis incipiant, & semper ex supernis deorsum fiant: & cucurbitulis itidem.

Mox & si opus sit auersione ad posteriora per sinapisinum facta, prius abrasis occipitij capillis iuxta eminentiores partes. Dehinc deriuatione vti, & tralatione. Deriuatio quidem ad nares fiat, tralatio autem ad cutim syncipitis per ea quæ siccant. Hic tamen iam diuersificantur remedia pro natura materiæ, & intemperiei. In frigida enim hęc acria esto: in calida verò, siccátia citra calorem. huius generis est in frigida ceratum de quo suprà.

Post hæc ad partem affectam descendendum. Primùm verò prohibere oportet ne in fauces materia descendat. mox pectus expurgare ijs, quæ defluxerunt. Primò igitur scopo satisfacimus, si calida materia sit, frigidis siccantibus cuiusmodi, sunt trocisci, dia spermaton, de quibus quinto Metho. Sunt enim in his, semina siccantia, & frigida vi, quatenus siccant, cogunt, & densant: quatenus frigida sunt, caliditate mobilem humorem immobilem reddunt. huius generis est diacodion. Fit verò cùm sapa, & cum saccharo. Huius generis est, & confectio ex succo nucum, & pilulæ de arnoglossa, & de cinoglossa. Cum enim sistere oporteat si prohibere volumus, id faciunt siccando, & refrigerando: cum verò & astringere partem, quæ recipit, id astringentia faciunt: ideo & Diacodion admiscere solemus bolum armenum, & saccharum rosatum, quousque materia sensibiliter influere à capite cernitur. In frigida verò, quanuis non multus sit fluxionis plerunque impetus, aliquando tamen propter tenuitatem, & aquositatem vehementer fertur. Ideo ijs ingenijs quoque vti oportuit, sed erunt vi maiore siccandi prædita pharmaca, cuiusmodi sunt pastilli nostri ex thure, mastice, croco, confectis addito glicyrhizæ succo, & tra-

gacanthæ.

gacanthæ. Similiter & theriaca noua vesperi exhibita id facit, vel sola, vel rosato saccharo admista. Sequitur post, vt omni ingenio pectus expurgari iuuemus, impediri verò scimus expurgationem viscididitate, crasitie, tenuitate humoris. his omnibus contrarijs insistemus, si viscididitas sit, ijs, quæ incidant: si crassities, quæ extenuant: semper verò detergenti vi est opus, ne inhæreant.

Sed quæ incidunt, inquit Hippocrates, nimis sicca non esto, ne magis glutinosum faciant: ideo aquosum oxymel est optimum; & ad crassos aliquando mulsa iuuat humectando. Hic syrupi omnes ad calidam, vel frigidam, crassam, vel tenuem materiam. sed parum valent vbi non diu in ore detinentur.

Modus verò applicandi communis erit omnibus faucium morbis, id est, vt diu in ore teneantur, & sensim dilabantur: ideo & consistentia glutinosa esse, opus erit; Eclegmata vocant: aut aquea sensim demittantur. Semper enim aliquid in arteriam percolatur, quarto Metho. Iam ergo hic multæ compositiones occurrunt. De vsitatis verò est compositio nostra ex terebinthina, & succo prasij, & succo brasicæ; quæ verò in officinis confectæ sunt, est loch Sanum dictum, & loch de pino. Et præ omnibus loch de Scylla in viscida. Confectio ex iridis radice, & alia, quæ, quòd fortiora sunt, in capite de asthmate proponentur. Ex potionibus verò sunt, quæ ex hyssopo, & marrubio, & melle fiunt cum ficubus, & pasis vuis; pectus verò inungere butyro, & croco.

Quòd si materia aquosa sit, si frigida, siccantibus, & calfacientibus vtemur. Sic enim crassescẽs à natura per tussim expurgabitur. Pectus ergo iuuat concalefacere, & cibis, & potione actu calida vti & pastilli illi iuuabunt, & demum quæ calorẽ innatum fouent. Contrà verò in calida, quæ siccant, & acritudinẽ tollunt, quæ dicta sunt. Optimum verò est, quod glutinosum reddit, quod est fluidum, vt confectio ex tragacanthæ: & succus tragacanthæ solus: & loch de saccharo candino, quod descripsimus, & quod vulgò Sauoneam dicunt. Delicatæ sanè confectiones. Confectio verò ex radice tussilaginis prodest in omni humore. Si verò inueterata admodum tussis sit, ob humorum qui influxerunt rebellionem, etiam suffumigijs est vtendum. Huiusmodi sunt folia bechij. Iuuat & cum dormitum eũt, dragmam Mitridatij capere cum cyatho aquæ ordei mediocris coctionis, vehementer calido: hoc in vtraq; materia. Valent & alia, de de quibus in capite de Asthmate dicemus. Quòd verò volunt ante purgationem totius, cõcoctionem iuuare, absonũ est: Etenim id foret expectare dum malũ fiet, postmodum sanare. Materia enim quę cõtinuè fluit prohibẽda est, idq; vacuatione & auersione, qua-

Curatio tussis materia existente frigida, & aquosa.

lifcunque fit.bene quæ iam fluxa eft præparatione eget. Nonne vident miferi, quòd fi ante vacuationem ea adminiftrentur, quæ fecent,& extenuant,neceffariò fluxus augebitur fufa materia? Ideo eft pefsimum præceptum. Quòd fi aduerfus fymptoma fit pugnandum,ijs,quæ à fenfu proritatem leuant eft vtẽdum; cuiufmodi funt pilulæ de arnogloffa,& trocifci de Carabe, & Diafpermaton. vtantur cum cautela debita.Hoc autem exigimus vbi metus eft, ne rumpatur vena, ne vehementia præfocetur, ne acris catarrhus pulmonem erodat. Victus verò, qui fuprà in brancho eft dictus.

Si verò tufsis ab intemperie frigida fiat, calidis vtendum extra admotis,fotu,vnguentis,tũ victu ex his,quæ actu,& poteftate funt calida. Contrà verò in calida: & hîc quoque vtendum erit his, quæ hebetant fenfum. Nil enim obfunt materiæ,quæ non adeft, & ex tufsi periculum eft in refrigeratis, vbi duriora vafa funt affecta, ne rumpantur:ideo admonebat hoc Hippoc. cum frigidum difruptorium appellat 6.Epid.

Curatio tufsis ab afperitate.

Si ex afperitate, lenientes cibi, & potiones faciles funt inuentu, præfertim fuccus tragacanthæ.Si acritudine,fiquidem extrinfecus irruat,facilè fedatur obtundentibus frigidis,& humidis, & abluentibus aqua, mulfa, lacte.Si intrinfecus iam de deftillatione dictum eft. Si iam factum fit vlcus,cura vlceris mox dicetur.

De Afthmate. Cap. XXXV.

Afthma unde fumptũ

LATini crebrum anhelitum, vel anhelationem dicunt : nomen eft à fymptomate fumptum.Etenim fpecies eft vitij in refpiratione,& eft actio deprauata,non fecus ac tufsis, & fternutamentum.Mouet enim natura fed irritata à caufa præter naturam, & morbofum affectum fequitur. Qualis autem fit vitiofa refpiratio defcribunt; quoniam creber eft inftar eorum, qui vehementer funt moti. Creber autem dicitur,vbi exigua quies intereft inter vtrunq; motum dilationis,& depresfionis pectoris.

Afthmatis caufæ.

Affectus verò à quib. eiufmodi anhelatio prouenit, plures funt: Siue enim multum circa organa ea, imò circa thoracem collectus fit calor, hoc efficere poteft; fiue viæ fpiritus repletæ fint, vt pulmo repleri nequeat aere;atqui repletio hæc non vniufmodi eft.Nam aliàs à crafsis, & vifcidis repletæ funt afperæ arteriæ, aut ab abfceffu aliquo : vel à pure,vel fanguine. Nos verò hoc nomine folam eam repletionem appellamus, cum ab humoribus crafsis, & vifcidis fit:

Nam

Nam alias alijs nominibus nominamus, vt abſceſſus, vel ſputi ſanguinis. Et vt diuerſum habent curationis modum, ita etiam diuerſo capite de his tractandum. Erit igitur hic affectus eiuſdem generis quidem cum tuſsi ex obſtructione, magnitudine differens. Ibi enim tanta erat humoris portio in arterijs aſperis, quæ poſſet proritare naturam, vt proritant expulſiuam omnia alia, quæ in eas cauitates incidere. Hic verò tanta multitudo adeſt, quæ magna ex parte vias ſpiritus occludat: vnde exiguis inſpiratur aer, & multa vi inſpiratur. Sæpius verò, & cum humore admiſcetur, illumq; diffringit, ſuo tranſitu ſonitum quendam efficit in pectore, qui ab aſtantibus ſentitur. Coguntur ergo ſatisfacere paruitati inſpirati aeris per iterationem, vnde fit crebra, & frequens, magna verò inſpiratio fieri non poteſt. Bene autem dictus eſt creber: nam non neceſſariò velox, imò aliquando tardus, quòd aer difficulter ſubintrat. Sed ſi caliditas quoque adſit, fit etiam velox. Contrà, prius acquiritur velocitas, quàm frequentia. Reſpondetur, niſi quid obſtet, ſed obſtructio plus obeſt velocitati, quàm frequentiæ. Quòd ſi dicas, quid prohibet multum dilatari pectus, atq; ita magnam inſpirationem effici? Reſpondetur, Dilatatur quidem modis omnibus thorax: Nam & imas eius partes, & ſummas dilatant: ſed non poſſunt intro trahere aerem, quia permeare nequit in pulmonem. Contrà: Si dilatatur pectus, ergo & pulmo; quoniam ſe conſequuntur. At ſi pulmo dilatatur, neceſſe eſt pro modo dilatationis ſubingredi aerem, aliâs eſſet locus vacuus. Galenus itaque vult, magnam quidem fieri dilatationem, ſed non inſpirationem, tum quarto de Loc. tum lib. 1. de Difficili reſpiratione: quare eleuabitur pectus, non pulmo ita: nam diſtendetur exempli gratia, membrana, qua appēditur.

Iam ergo habemus, & quid morbi genus ſit anhelatio, id eſt, inſtrumentarius, & obſtructio, & quæ ſint eius cauſæ: nempe humores à quibus & difficultas naſcitur. Erit enim aſthma obſtructio ex humoribus aſperas arterias replentibus. Quòd verò pulmonem repleant, cauſa eſt eorum copia, plerunque in capite, aliquando pręterea in toto corpore. Et eſt inſuper alia cauſa ex parte ſuſcipientis, Pulmonis debilitas: vnde & periodo reuertitur morbus, non ſecus atque alij morbi, qui ex fluxione fiunt, ſecundo de Diffe. febr. cum ſatis materiei aggregatum fuerit in partibus, quæ tranſmittunt. Aggregatur autem tum ex innata intemperie, qua & nutrimentum nō concoquunt, & facilè ab alijs ſuſcipiunt; tum ex errore victus, vt circa ambientem aerem calidum, & humidum. Circa cibum & potum, cruditatibus plenum, & paucam exercitationē, & ſomnos à cibo. Incidunt autem facilè aſthma, quibus pectus anguſtum eſt, vel natura

Aſthma quid.

vel accidente, vt in gibbosis; tum quia facilè vitiatur respiratio, tum quia imbecilla sunt, & facilè recipiunt.

Cum verò, vt diximus, hoc symptoma multos, variosq; affectus sequatur, necesse est, vt distinguamus illum, quem propriè asthma dicimus, ab alijs: ne fortè & naturas morborum confundentes in curatione delinquamus. Qui igitur ex caloris multitudine anhelant, efflationem magnam & sonoram faciunt. Nam multum aeris inspirant, siquidem nihil sit impediens. Præterea & calidum admodum spiritum emittunt, & thorax talis sentitur, & æger fatetur: neque exurgere cupiunt, & recti spirare coguntur. At vbi est angustia ea vasorum, res contrà se habet. Nam expiratio, & exsufflatio magna non est, quòd multus aer inspiratus non sit: nec etiam calida, nisi vnà alius quoque affectus iungatur, & recta ceruice spirát, & stertor quidam in pectore sentitur. Distinguendum postmodum est de natura causæ, an pus, an sanguis, an tuberculum, aut phlegmone sit causa. Et quidem ex præcedentibus, & concomitantibus facilè distinguuntur. ex præcedentibus quidem vitijs, vt si pleuritim passus sit crudam, diuturnam, de suppurato metus est: si pulmonia adsit, notæ eius aderunt, vt si cruor. Quòd verò tuberculum sit, mōstrat, quòd sine manifesta à capite fluxione, sine sputo, aut humida tussi id patiuntur. Nam vix sine his asthma potest consistere. Dubitatur de vehementissimo asthmate, quo præhenduntur laborantes ex vtero. Non enim humor aliquis in pulmonem incidit, tussiunt tussi leui, & nihil expuunt. & sic sedatur symptoma. Alij quoque sunt, quos noui, qui ex pulueribus quibusdam, quasi præfocantur. Et quosdam noui, qui plumæ odore statim asthma incidebant: non ergo semper ex humore. Sed nec generatim verum est, quòd ex humore crasso, & viscido. Sæpe enim vidimus à tenui destillatione fieri: & ratio dictat, quoniam omnia corpora, quæ replet, spiritum impedire possunt. Sic fieri dixeris & his, qui metallica tractant, qui etiam aliquando præfocantur, vt Galenus in Cypro accidere dicit circa chalcanti venas. sic & carbonum fumus præfocat.

Videntur igitur hęc fieri potius qualitate attracti aeris, quā quātitate. Vt autem externus aer hoc efficit, ita & vapor venenosus internus. Sed adhuc quæritur, qua ratione fiat hic creber anhelitus. An quia refugit multum eius respirationem, ideo crebro ad inspirandum reuertitur ob necessitatem? tandem verò pręfocat, cum nihil inspiratur, vel cum cor refrigerare nequit; quia non admittitur. Hoc euenit etiam in aere cauernis incluso, & ita putrescente. De ea quæ mulieribus accidit nihil fortè incōuenit dicere, quòd afficitur

pectus

pectus per consensum vteri. Etenim genitalia pectori multum con sentire Galen. ait, primo Epid. 13. & causam ibi exponit: ideo ab vna parte ad alteram abscessus fieri ait facilè.

De signis verò prognosticis difficultatis, illud cōmune est, quòd in ætate decrepita nō sanantur: neq; diuturnæ iam propter magnā infirmitatem, quā viscus contraxit. Sicut nec diuturni dolores articulorū, nec aliud malum vllum eiusmodi, quòd ad multam infirmitatem partem trahat. propterea & qui malè formato sunt pectore, vt angusto thorace, vel natura, vel ex accidente, vt gibbositate, quæ dorsum ad externa torquet. Nam & imbecillum fit his viscus, & à lei causa læduntur ob eius angustiam. Maximum verò periculum imminet cum in febre acuta euenit. Etenim à calore febris, modò si suaptè natura sit difficilis screatu, multò redditur difficilior siccatione plurima. Præterea cum ea multa egeat inspiratione frigidi aeris: hæc autem ob angustiam fieri nequeat, breui periclitari vim vitalem est necessarium. Adde quòd febris irritatur maximè, minimum verò febri adiuncta læduntur, qui ex aquosa pituita id patiuntur: Nam crassescit, & excreatur. Tunc verò maximè periclitantur cum viribus sunt inualidis. Citò enim in syncopem aguntur, & mortem. Proximos igitur morti iudicabis, cum iam inæquales sunt admodum pulsus; præsertim si intermittant, idque in iuuene. hæc ex adiunctis affectibus. Asthmatis prognostica.

Curatio plurima cum tussi communia habet, vt in causis, & affectus natura communicat. Communis est corporis prouidentia per ea, quæ vacuant copiam, & reuellunt à capite, vel partibus superioribus omnibus, quæ transmittunt. Mox capiti prospiciendum. Cæterùm distinguendum prius est, aliam esse curandi rationem ijs, qui iam in accessione sunt, alia in tempore medio. Atq; ante accessionē medendum est in primis per victus rationem, qua instituuntur cibi concoctu faciles, & qui tenues succos gignunt. Et demum omnis cruditas est vitanda: in ea enim caput pituita repletur: vinum modicè assumatur, tenue, aquosum, & suppallidum: & in summa quod caput non tentet. Aer verò clarus eligatur, & à paludibus semotus, siccus, apricus, insolatus. Asthmatis cura.

Exercitetur vehementer, non tamen à cibo: & reliqua victus ratio sit qualem in apoplexia descripsimus. Priuatim etiam caput exercitetur, vt eo loco diximus, & fricetur spongia, & lauetur siccantibus: Quòd si magna intemperies sit, & æger adhuc viridi ætate, ad thermas ducatur. Pectus verò fricari linteis debet & calefieri: vt si quid præ debilitate aceruarit, insensibiliter transpiret. Iuuat & vociferatio, & cantus ad exercitium. Purgentur quoque ex interuallis

aliquando vomitu, si aceruare pituitam in ventre consueuerint, idque singulis mensibus, vt iubebat Hippo. præcipuè ijs temporibus, quibus pati consueuerunt, præsertim si facilè vomant, & assueuerint: sin secus purgatione per aluum vtantur, vel etiam clysmate. Iuuat & medicamentis vti siccantibus pituitam, & extenuantibus: quibus maximè tutò vteris, si vniuersa moles corporis ad humidũ declinet. Huiusmodi sunt theriacæ, & sales theriaci dicti, & vsus diatrion pipereon, & Diacalaminthes eximius est, & oxymel scylliticum præ omnibus: vt prorsus à periodo liberare queat: nisi quis magnopere in victu deliquerit, si manè cochlearium duorum mensura sumatur. Iuuat & ad nares deriuare materiam quoad possumus extra paroxismum.

In ipsa verò accessione ob causas antecedentes, si copia sanguinis adsit in corpore, & magnitudo affectus suadeat, vena secãda est communis dicta, vt vnà & caput respiciat, & membra pectoris, itaq; vacuet, reuellat, & deriuet. Mox purgandum est, purgatione non adeò forti, sed quę possit attrahere à capite, & à supernis, & reuellere. Hiera itaq; vtemur etiam agarico adiecto. Vtemur & auersorijs reliquis. ęquationẽ antea nõ faciem⁹. Hæc enim fit, vt mobilis materia fiat, quo facili⁹ trahatur: At ipsa plus nimio mobilis est, & ea ratione infert periculũ. Sed prius bonũ erit nõnulla deuictus ratiõe dicere. Igitur donec materia influere videtur, maximè interdicendũ est cibo, & potu, & si hoc fieri possit, donec æger expuere cœperit. Quòd si quid dandũ est, id sit exiguũ, & in potu interdicatur vino eo tẽpore. Cibi verò sint postea, q̧ extenuent, & extergãt, & inciforia vi sint prædita, vt ex hoc etiam genere nobis auxilia comparemus. Huius generis erit vinum tenui substantia, mediocriter calidum. Cibi verò concoctu leues sint, cum illis viribus. Vnde si ptisana exhibetur acetoso simplici condiatur. & aues monticolæ, & columbi. Apparentur verò ex aromatibus. Nec siticulosi maneant, ne multùm materia exiccetur. Nam sponte sua assidua anhelatione plurimum exiccatur. Ideo mulsa paranda ex cinamomo adiecto, & sæpe propinãda. Aer verò clarus sit & lucidus, & domus ampla, in qua iacet: minus enim præfocatur remoto odore omni, nisi grato aliquo tenuissimo, & qui sine fumo fundatur. Exercitio tunc vtendum non est, prius quàm morbus inclinet: Somno verò tantùm, vt naturæ fiat satis.

Vbi vniuersum corpus vacuatum fuerit, siquidem in causa caput permaximè sit, etiam caput reficcabimus eadem ratione, quam posuimus vbi de tussi egimus: quanuis vehementiore nonnunquã remedio hìc opus sit, vt si accessio diu durat, & multa materia est,

quæ demittitur, vnde & cerata apponimus. Dum vehementer etiam fluit sistere astringentibus, reuellentibus, & vacuãtibus: quòd si nulla ex parte caput peccare suspicio sit, sed à toto confluunt vndique excrementa. Vbi vacuauerimus iterato, & auersio facta sit humorum ad contraria, & purgatum excrementis corpus: ad pectus ipsum purgandum est intendendum. Sunt autem quædam, quæ vnã & meatus pectoris expurgare solent, & aluum vt terebinthina resina, de qua Gal. dicit, quòd omnia viscera detergit elegantissimè. Et quidem vis eius purgatoria nõ sistitur in primis venis, quod multis alijs euenire solet: sed penetrat vsque ad cauam, & vrinas, quod ex odore deprehenditur. Vsus autem eius est eiusmodi, vt ad ad summum vncia media eius propinetur ex oleo amygdalarum dulcium, cui etiam vis non exigua inest extergendi. Quòd si nimis delicatus æger non sit, etiam amararum: additur enim illi virium non parum, & commodior fit ad deglutiendum. Præterea nec adeò caput tentat, quòd citò è ventre descendit. Quod vitium solet euenire ijs, qui eam sumunt. Componitur & in eclegmate adiecto saccharo: vnde non ea modò commoda, quæ diximus, habebuntur, sed & pectoris repurgatio non mediocris. De usu resinæ terebinthinæ.

Quòd si æger ventrem pituita plenum habeat, vt quia cruditates antea incidit, commodum erit vomitu vti: siquidem nec angusto pectore sit, nec vomitu vti insuetus: aliàs temerè prouocandus nõ est, nisi etiam dum recens sit in ventre crapula. Etenim difficilis vomitus caput replet, & humores agitatione parat ad fluxum. Cætera verò medicamenta ad repurgandum pectus, facilia inuentu sunt ijs, qui methodum callent: Etenim extenuare oportet, extergere, & incidere quæ inhærent bronchijs. Cæterùm interim metus est, ne nimium resiccentur, vnde & difficiliores euadant. Quam ob rem à potu arcere eos non conuenit, neque siticulosos manere expedit. Quocirca vel liquida medicamenta sunt danda, vel cum solidis liquida. E liquidis est oxymel aquosum, in quo interim hyssopum sit incoctum, vel pulegium, vel marrubium. Sit autem mediocriter acidum, considerando etiam gustantis appetentiam. Crassa verò medicamenta tum ex Terebinthina fiunt, tum ex helenij radice. Est autem egregiè repurgans amaritudine, & incidens acritudine nõ modica. In hunc quoque vsum confert Aristolochiæ rotundæ radix, & Ari, & Dragontij. Ex compositis verò loch de scylla, & alia quæ de tussi diximus. Quæ ex proprietate iuuant, est vulpis pulmo siccus, & in puluere propinatus, vel eclegma, quod ex eo componitur.

In maximo quoque affectu sæpe suffumigijs vtimur, & extrinse-

cus appositis vnguentis, & emplastris, de quibus mox dicendum. Laudant ex simplicibus sandaracæ fumum; non est ea, quæ hoc nomine venditatur, sed alia resina ex iunipero accepta. Ea vsus aliquando vidi contulisse; sed si multa materia sit, & difficilis admodum respiratio, non video quomodo his vti possimus: cum nõ nisi in aere libero manere possint. Ad educẽdum verò materias ex proximò inuenerunt emplastra siccantia apponere, vt ex pumice, & vini fæce, & farina lolij cum melle. hæc cum diuturna passio fuerit, ad morbi reliquias tollendas. Nam inter initia his potius, quæ concoquant, vtimur.

De Asthmate verò, quòd fit per consensum malæ, & venenosæ materiæ vaporis vice petentis; dicendum primum curam eius esse causa abscissionem; vt si à matrice, illi succurratur. Si ex externis causis, aut aere infecto, vel fumosa exhalatione, hæc tollantur primum, mox redolentibus, & spiritus confortantib. curentur. Qui igitur nõ euidenter spirant amplius, vt prorsus desperatis rebus nihil polliceri oportet. Qui verò adhuc spiritu fruuntur, sed angusto admodum, & iacent semimortui primùm excitandi sunt magis vocibus, & extremorum contrectationibus (nam syncope etiam ad præfocationis causam addit) mox suffitu vtendum: & si vinum absorbere possint, propinãdum, tenue, odoratum, cuiusmodi est creticum; & extrà, cordi eiusmodi medicamenta applicanda. De internis quoque abscessibus dicendũ, si quando accidant: Nam qui hos, vt asthmaticos curaret, delinqueret, inquit Galenus. In his itaq; post vniuersales vacuationes, vteris, vt xiij. Metho. & septimo Catatopus his, quæ tenuium partium sunt siccantia, & extenuantia, vt ad longinqua peruenire eorũ vis possit. Talia inquit sunt, quæ ex aromatibus componũtur. Præterea magnę medicamentorum compositiones, cuiusmodi sunt theriacæ, Ambrosia, Athanasia. His ergo & debita victus ratione iuuamus ægros.

De Sanguinis sputo. Cap. XXXVI.

Affectus.

QVòd verò tum ad tussis genera quædam, facilè sanguinis sputum accidit, insuper & ad disrupta tubercula, ideo de hoc affectu modò est agendum: atque diligenter animaduertendum, quòd nullus æquè ineuitabilem mortem inducat, non quidem subitam, sed diu miserè contabescente corpore. Primùm ergo quod ad affectum attinet, symptoma est notissimum, in excrementis: excernitur enim quod non debet, & qua parte non debet.

Sympt.: excrementu.

Nulla

Nulla enim excretio sanguinis à natura est instituta, excepta ea, quæ per menses, tertio de Caus. sympt. Quòd si 5. Aphor. 33. solum profluuium è naribus laudatur, intelligit Galen. comparatione aliorum, quę ex ore fiunt: quoniam ex eo, aut nulla, aut facilè euitabilis noxa adest: neque quantum in se est, noxam facit, sed fortè multitudine excretionis. At affectus à quo prouenit, multiplex est: & nos de his diximus, vbi de sanguine profluente è naribus loquuti sumus. Quoniam verò ex ore profluens sanguis de multis partibus euenire potest, vnde & prognosticum maximè euariat, & curatio: hinc primùm oportet distinguere, quæ sit pars, quæ afficitur, & à qua sanguis profluit. Partes igitur hæ sunt, primùm per narium communes palato meatus in os descendere potest. secundò à faucium venis. tertio à lingua, & gingiuis. quarto ex pectore, vel pulmone, arteria. quinto è stomacho qui etiam distinguitur: quoniam vel à liene est, vel à iocinore, vel mesenterio.

Methodus verò distinguēdi affectā partē hic erit. Primùm enim operationes læsas considerabimus, si quæ sunt, quæ sensibiliter læduntur, vt motus praui, cuius sint, exēpli gratia, respiratio: num concinna sit, & secundum naturā, an contrà se habeat. Si enim vitiosa sit, aliquod ex instrumentis illi seruientibus laborare est necessariū, arteriam scilicet, vel pulmonem, vel thoracem, vel septum. Postea excrementa spectabis, atq; in primis excernendi modum: num cum tussi, an sine: Qui enim cum tussi fit ex membris spiritui deseruientibus educi videtur: Et ratio est, quoniam vias spiritus ingreditur, & eas occupat, vnde irritatur natura ad propellendum. Et hoc signum satisfacit Rasi, & Auic. sed signum est inefficax. Etenim, vt Galenus quarto de Loc. habet, is, qui à faucibus fit, & omnino à capite descendit, tussim etiam facit: & ego sæpe hoc vidi. Vnde plurimi tum vulgares, tum medici frustra sunt perterriti. Alijs ergo notis distinguere oportet, vt quia esset affectio per consensum, considerare num pars, quæ mittere possit, malè affecta sit, vt caput. Quòd si quid per nares feratur, clarior res erit, caput verò vel calfactum, vel omnino dolens hoc mittere solet. Solet, & hirudo faucibus affixa id facere: sed intuenti ad solem inspicitur, vt & sanguinolentę fauces, & gurgulio, si inde excidat. sed & tussis leuissima erit. Solùm enim leuis quædam gutturis proritatio est. Motus verò excernens screatus. Cognoscimus autem, non posse ex tussi adeò leui quippiam ex pectore educi.

Quòd si sine tussi, vt screatu, vel vomitu, statim certò scimus ex pulmone, aut pectore non esse, & ita arguere negatiuè est validius.

Signa.

Distinguere igitur num ex faucibus, an ex pectore eueniat coniectura certa non est; ideo sępe medicos inter se certare videas; sed ex multis præcedentibus conijcitur, præter operum læsionem, quam diximus: puta affectibus capitis, partium oris, & pulmonis, vel pectoris. neque enim subitò ex his fertur sine aperta causa. Sed de alijs partibus ad ventriculum facilis, & certa est agnitio. nihil enim sine vomitu ex eo ferri potest.

Ex dolore verò sedes affecta dignoscitur, vt circa fauces, & guttur: dolor, pruritus, titillatio, si ex partibus capitis. At si ex pectore ibi dolor aliquis erit. His itaq; spiritalia instrumenta distinguimus: sed adhuc certi non sumus, quænam pars laboret ex his. Quòd igitur ad actiones attinet, exigua nota, & obscura haberi potest, clarior verò ex excrementis. primùm ex modo: Nam tussis minor multo ex aspera arteria; vehemēs, & diutina ex pectore; medio modo, quæ ex pulmone. Semper enim è longinquiori spacio motus quoque diuturnior est, si eadem facultas moueat; maior etiam vis quoniam per angustiores vias pertransire debet, extremas scilicet bronchiorum scissuras. Deinde ex qualitate eorum, Nam spumosus sanguis efficax coniectura est, quòd ex pulmone: & est signum Hippo. quinto Aphor. 13. Ibi verò Galenus ait, non esse signum pulmonis absolutè. Nam sæpe, inquit, eductus est è pulmone ob externas causas irrumpentes, bene coloratus, & plurimus; vnde constabat ex vase rupto educi: sed significat, inquit, esse vlceratam veram pulmonis carnem. Et quidem in animalibus dissectis apparet, incidenti eius substantiam, eiusmodi sanguis emanare spumæ similis, id est, bullis exiguis plenus, & albicans ex rubro. At 4. de Loc. dicit efficax esse signum. Cæterùm efficax signum est, si ex spuma de pulmone arguamus: sed non negatiuè, quoniam à vasis pulmonis spumeus non educitur. Aliud verò ex colore sumitur, qui tamen obseruari debet, cum in præsenti educitur astante medico. Etenim qui ex pulmonis vasis, bene coloratus est, inquit Galenus. 5. Aphor. quo verbo, & spumeum excludit, & pectoris. Spumeus enim bene coloratus nō est: quoniam albicat; qui verò pectoris, bene coloratus non est; quoniā nigricat. At qui in pulmone, egregiè sanguinis naturam refert; quoniam est maximè elaboratus, & florentem illam purpuram repræsentat. Tali enim sanguine nutritur, vt quinto de Vsu par. habetur. Præterea sanguinem è pectore latum, necesse est liuidum expui, & admodum alteratum; quòd à longinquis aduenit: Etenim & extra vasa fertur, & in bronchijs diu manet, vnde & trombosus fit, & color mutatur. Ille verò tenuis, & floridus quòd citò educitur, & tali secundum naturam colore est.

Dubi-

Dubitatur primo, num ex spumeo sanguine efficacissimè significemus pulmonis vlcera, quoniam Auic. dicit, etiam ex pectore talem educi, & ex arteria: vnde multum laborant expositores, sed reuera nisi iungatur aliquando pituitosum sputum, non repræsentat spumam; neque vndiq; quasi spuma quædam visitur: magis tamen ex calore, & colore distinguitur, vt Galenus quinto Metho. & ratio dictat: propterea quòd è vicinis vasis egreditur. Dubitant & de trombis, & fabulantur multa. Etenim non coagulatur nisi in bronchijs: vt quærendum non sit, quomodo coagulatus subeat poros pulmonis. Ad excernendi etiam modum attinet considerare, num facilè, vel difficilè. Sic enim conijcimus, num ex pectore, vel pulmone. vt si confertim fluat ex pulmone potius: contrà ex pectore. Mox ex doloribus, exiguus in pulmone est, aliquando nullus, vbi caro eius interna afficitur. In pectore dolor adest ob membranosam, & musculosam substantiam. Sed hucusque concludimus, excludentes pectus; sed num ex arteria, vel pulmone? Signum primùm erit ex modo excernendi; nam exiguus est, qui ab arteria, & leui tussi educitur. secundo ex doloris situ.

Consequens est de causis agere, id est de morbis, à quibus sanguis profluit. Quoniam verò suprà cum de profluuio narium egimus expliciti sunt, communes verò omnibus sunt morbi: sat modò fuerit rerum capita in memoriam reuocare; quatenus ad ea, quæ dicturi sumus, satis visum fuerit. Profluit enim sanguis vel apertis vasorum osculis, vel rarefactis tunicis, quę exudatio dicitur, in quo genere exiguarum venarum aperta oscula ob fluxus similitudinem comprehendimus; vel diuisione continui. Priores morbi ad meatus, vel cauitates attinent: vnde instrumentarij dicendi sunt; vel alterum ad superficiem referas: nempe cum plus iusto rarefacta est. Causæ Symptomatis

Morbus instrumentalis.

Causa verò apertionis est & irruens copia, & vasis cōtinentis imbecillitas: Nam acria medicamenta aperientia id efficere nequeunt in pectore, vel pulmone. Irruit copia fusione, natura excernente; fundunt verò quæ calefaciunt. Causæ diapedesis rarefactio est: hęc autem ex calidis causis prouenit: præsertim si sanguis quoque tenuis adeò sit, vt sponte sine apertione è vasis effluat. Causæ diuisionis continui omnes possunt esse. Etenim pectori, & pulmoni vulnus accidere potest, & erosio, & ruptio. Erodunt acria, & ignea qualitate præditi, sicci, vt salsa, & amara. Rumpunt, quæ distendunt nimium, vt plenitudo vasis nimia cum feruet: subita & valida pectoris dimotio, vt in tussi, vomitu, clamore, & collisione, vt in casu ab alto. Ponderis eleuatio ad distentionem pertinere videtur. Causæ Morbi.

Primùm igitur discernere oportet, quis sit affectus: Mox à qua Signa.

causa fiat, si plures habet causas. Hinc enim tum de ægro iudicium, tum curatio euariat. Igitur solutionē continui primū dolor significat si adsit: quanuis negatiuè arguere nō liceat ob pulmonem. Sed si absit, alijs signis est ratiocinandum; ea sunt prægressæ causæ, & affectus interni corporis. Finge enim præcessisse causas ex his, quæ vasa rumpere possunt. hæ manifestum signum erunt.

Quòd si plenitudo adsit ad vasa, facilè ex causis, quæ fundunt, & inflatus, & vapores ducunt sanguinem, coniectura est, de ruptione, vt in nouo mustovtribus incluso euenit, vt rumpantur: attamen causa hæc communis est anastomosi: & ego aliquando anastomosim fecisse vidi. Facient verò ruptionem, vbi & copia maior sit, & & causa externa vehementior, ideo nota non certa. Si etiam catarrhi acres præcesserint, & tusses validæ, & vomitus, manifesta signa sunt, diuisam esse venam, & à qua causa diuisa sit. Prima enim erodendo, hæc tendendo: ideo vlcus ea dicitur: hæc verò tensio & disruptio.

Quòd si hæc absint de anastomosi suspicio erit: quæ sanè à diapedesi distinguitur, tum qualitate sanguinis quæ vacuatur, tum quantitate, & vacuandi formula. Nam cum hîc magnarum venarum ora aperta sint, multus quoque & confertim proruit cruor: ibi paucus, & sensim: sed & hîc potest secundum naturam esse, non ibi; sed tenuis, & aquosus visitur. Cur verò anastomosis euenerit, primùm considera si externa causa adfuerit: Mox num affectus corporis, vt grauans multitudo, quæ naturam proritet. Porrò id in sanis etiam num fit aliquando; nonnunquam in acuto morbo laborantibus. Sic enim & menses profluunt, & dysenteriæ hepaticæ fiunt, & sanguinis vomitus, sæpe & screatus: & sanaui hos sępe, cum euenissent mulieribus mensibus suppresis, ac bene habiti corporis: vnde coniectura erat ea ratione accidere.

Prognostica. Signa verò prognostica, primū ex natura affectus distinguimus. Erosio enim grauius malum est, quoniam minus glutinationem suscipit. Est enim necessariò cauum vlcus, ac sordidum, quod erosum est. Aliqua enim tunc carnosa portio, tum membranosa perijt. Simpliciter verò affectus resudationis minus est periculosus. Nam astringentibus facilè sistitur, dicebat Galenus quinto Meth. Et huic in salubritate proximus est affectus apertionis. Nam vacuato multo humore sistitur: quanuis sępe multitudine lædere posit, & etiam quòd non conuenienti regione vacuatur à natura. Aggregari enim & vacuari per eas partes commodum non est: tum ob tussim, quæ necessariò sequitur, tum ob partem, quæ facilè afficitur, si mala aliqua qualitate sanguis sit prędìtus. At diuisio cōtinui ex alijs causis

mediam

mediam naturã obtinet:nec enim periculoſa eſt, vt eroſio:nec ſecura adeò,vt apertio,& exudatio. Simpliciter tamen periculoſus admodum eſt morbus, quoniam, vt Galenus ait, non facilè glutinatur vulnus in his partibus ob perpetuum motum. Quòd ſi vulnus iam inflammationem ſenſerit,vnde & pus contraxerit, tunc multis modis periculum augetur:nam expurgari pus oportet,idque tuſſi. Vnde & continuè vulnus dilaceratur motu illo violento: ideo inquit, Exigua ſalutis ſpes eſt. At in cruento vulnere ſpes eſt aliqua ſanitatis.

Ex ſede quoque affecta magnitudo periculi ſignificatur: Nam ex pectore profluuium minus periculoſum,vt Galenus dixit. Primùm quoniam venarum vulnus quòd paruæ ſint,facilè coaleſcit: neque enim impedit ſanguinis copia. Quòd ſi non ſanatur primùm, ſed vlcus faciat, at hoc periculum non affert, vt vlcus pulmonis: Nam & magna quoque pectoris vlcera ſanantur,& reſtituitur caro. Vlcera verò arteriæ ob ſiccitatem facilè ſanantur: plurimum enim ex eroſione fiũt. At eroſio ſanatur,vbi putredo facilè ſiſtitur,ſiſtitur verò facilè vbi ſiccum præualet,ideo 5.Metho.eiuſmodi partis vlcera ſanari ait. Quòd verò iam phlegmonã contraxit vulnus, coniectura eſt ex tẽpore,primùm ex quo laborauit,mox ex febre, quæ neceſſariò ad phlegmonẽ ſequitur,ob viſceris calorem, & cordis vicinitatem, præſertim ſi pulmo ſit. Demum & quòd ſanguis paucus,non florens, ſaniebus admiſtus effluit, vtpote qui iam putreſcere incipiat.

Vbi igitur ad recens factum profluuium acceſſeris, & iam de affectu certus ſis,præter communes indicationes partis, etiam ab affectu indicia ſumes. Eſt autem quòd indicatur à parte, primùm, inquit Galenus,remotum eſſe,quinto Meth. Multas enim partes medicamentum tranſire debet, priuſquam in pulmonem perueniat. Quamobrem, neceſſe eſt interim euaneſcere, & vim remitti, quare nil proderit. Ideo ad hoc euitandum monſtratur, vehementia multum pharmaca idonea eſſe,præ ijs, quæ ventris vlceribus adhibentur,aut externæ parti. Huius ratione coacti quoque ſumus, calida & tenuia medicamenta miſcere, ſeptimo de Med. 5. lib. quoniam quæ per ſe ad vlcera conducebant vel aſtringentia erant, vel emplaſtica. Ambo verò hæc, tantùm abeſt, vt per longinquas, & exiles vias ferantur,vt potius ſibi vias præcludant, ac morentur: vnde ea quæ vim medicamenti deducant admiſcendum. Rurſus verò partis formatio monſtrat, quomodo medicamenta componantur, & eorum adminiſtrandi formula: quoniam eorum ingreſſus ad has partes in ſummis faucibus eſt per guttur,idq; præceps, neceſſe eſt,

vt aliquid misceatur lentore participans, quo diu in ea parte morā trahat: Nam sensim aliquid eius percolatur in arteriam, vt & potionis aliquid per sanitatem. Hinc etiam vtendi ratio: Nam iubemus ægrum supinum iacere, & musculos remittere, id est, non eos solùm, qui gutturis sunt externi, & interni, sed & qui fauces attingunt, quos astringimus, & mouemus cū deglutire volumus: tū verò deglutire nō est animus, sed figi, ideo vim musculorū remittimus. Sūt aūt hæc materia viscida, tragacanthæ gūmi. Causa verò penetrationis mel admiscemus, si quando vti astringētibus, vel emplasticis est opus. Cum igitur tres genere affectus sint, atq; diuersas causas habeāt, nimirum diuersam quoq; curationem poscūt. Itaq; à diuisione continui incipiemus, vtpote à grauiore malo. Et quia ex curatione affectus huius, aliorum quoq; curatio aperta erit. Erant huius tres causæ, Erosio, Ruptio, & Diuisio. Quòd igitur his omnibus commune est, est victus ratio in primis: & quòd ad aerem attinet, componere potius æstate ad frigidum, hyeme vel sinere, vel temperatum facere oportet. Calidum enim profluere sanguinem facit, quinto Aphor. 16. Potius verò in obscuriore maneant loco, & res atras inspiciant, aut fuscos colores. Lædit enim purpuræ aspectus, præsertim splendidę. Quòd ad victum attinet, quid expedit catalogum ciborum numerare? Quod quidam faciunt: cum dum symptoma vrget, & quousque cesset, sæpius integram inediam seruare expediat. Multa ergo frustra inter se disputant de acribus, de aceto, de carnibus, omnia præter propositum sunt. Vel enim nihil dandum est, vt diximus, si vires ferunt, vel sola sorbitione, & ea exigua contenti esse debent. Nec enim augere sanguinem, sed minuere expedit: & morbus maximè vrget ab initio. Extremæ ergo tenui victu est vtendum, primo Aphor. Et sic Galenus facit, quando alicam, vel ptisanam propinabimus. Potu verò vtemur medicam vim habente, ex his compositionibus quarum postea fiet mentio. Illa verò diligens ciborum disquisitio iuuabit fortè in præseruando, fortè etiā in alijs profluuijs: At in hoc est inutilis, pręsertim si ex ruptione fiat. Nam pòst priuatim de erosione dicetur.

Motus verò omnis interdicatur: non loquantur: respirationem cohibeant quantum possunt, quantò magis tussim? nisi vbi pectus expurgare opus sit, vt dicetur. Ideo, & somnus iuuat: ideo aliquando est prouocandus, non tamen ita, vt altè diu dormiant ob sanguinis coagulationē in bronchijs, vnde postea non nisi multa tussi educatur. Patet etiam, quòd motus animę omnes vehementes nocent, quòd sanguinem quoq; & spiritus mouent, quæ conuenit esse immota. Nunc de præsidijs agamus ex Galeno qui sic ratiocinatur.

Qui

Cum his farmacis

Qui effluit sanguis vel sistitur, quia posthac nō profluit, vel quòd vulnus occlusum est, vel quia ambo conueniunt: quando etiam securissimè sisti dicemus. Nam ab altera earum causarū facilè refluit. Rursus confluere prohibetur in partem reuulsione, & deriuatione refrigerantibus tū totum corpus, tum partem ipsam à qua profluit. Demum & adueniente animi deliquio. Quæ enim deriuant, & reuellunt, aliò impetum trahunt. Quæ refrigerant, tum immobilem faciunt, tum repellunt à parte in proximas venas. Animi verò deliquium in viscera, cor, & magnas venas sanguinem retrahit. Vnde à loco vulneris abscedit.

Clauditur verò vulnus, quòd ad has partes attinet, partium coalitu. Nec enim his deligatura, aut sutura vti possumus, non manuū alio opere, ideo medicamentis est vtendum. Igitur in primis tentandum est cogere, ne ad partem vulneratam confluat, seu sit pulmo, vel pectus, vel arteria. Iubet reuulsionis, & deriuationis gratia venam cubiti secari Galenus: quod & facit Rases, qui ab ea vena inchoandum dixit. Galenus in hoc varius eodem libro videtur. Dicit enim antispasis in his, quæ suprà sunt omnibus deorsum semper agitur. Respondetur, profluuium causa est sine qua non potest vulnus curari, quoniam impedit tenendò vulnus dilatatum, ideo sistendum prius. Confert verò ad sistendum maximè ad contraria auersio, & longinquissima. Sic enim serius colligetur in parte. Auicenna vtitur cura preseruatiua ex Sauena: aut vbi menses suppresi. Canon Galenus de Ven. sec. Si ideo validus sit profluētis impetus, vt in anastomosi accidit, seu ex fusione, seu natura pellente, optima erit ea, quæ ad inferna: At vbi profluit ex vulnere, non sponte naturæ pellentis, tantùm auertere conuenit, quatenus fluxus nimium non impediat glutinationem. Nam sanguis nimius influens impedit, vt suprà de vlceribus diximus. Quare satius erit tunc venam cubiti incidere. Nam reuellit nonnihil, & deriuat simul à loco vulnerato, vnde facilè cessabit influxio. At auersione sola vtendum, cum fluxio maximè irritat, quarto Metho. Quod autem in anastomosi aliter faciundum, postea dicemus. Galenus igitur primùm profluuio occurrebat: mox vulnus solum sanare contendit. Quantitas autem erit, iuxta plenitudinis quantitatem. Quòd si in puero eueniat, cucurbitulis vtemur cum scarificatione. Quoniam verò auertere vult, ideo partitur venæ sectionem, & bis, aut ter detrahendum ait. Non enim vacuationis gratia: sed auersionis. Est enim vacuationis symptoma ex qua non solùm sistitur, sed etiam prohibetur phlegmone à vulnere, vt notat Auer.. Sed num eadem die, quantúmue spacium interponat, non dicit. Su-

pra libro quinto, horam vnam interponebat, & similiter pluries itè rabat pro laborantis viribus. At lib. de Ven. sec. iterat secundo die, vel tertio. Respondeo, hoc metiendum est pro eo, quod vrget. Nam in acutissimo morbo vtemur magna, crebra. At in alijs rariore: quã quam in hoc quoque postridie rursus detrahere velit. A vena secta alijs quoque præsidijs vtendum erit, quæ reuellunt, inquit Galen. Artus omnes vincies, id est brachia, & crura, quæ & magnã vim habent ob venarum magnitudinem & multitudinem sanguinis qui in eas partes confluit. Sic & frictione vtimur earum partium. Succedebant à vacuatione, quò melius procederet retractio, & inhiberetur influxus ea, quæ repellerent. Sunt autem hæc frigida, & astringẽtia, tum in corpus assumpta, tum exterius applicata. Etenim his ambobus modis sanguinem sistere posse videntur. Et quod ad externa attinet, suadet Galenus æstate melino vnguento pectus perfundere, hyeme nardino. Vtriq; astringendi vis inest. Sed hic nonnihil cal facit: num verò actu frigida adhibeantur non dicit. Puto autem vehementem frigiditatem obesse, quòd tussim excitet: vt & calorem, quòd sanguinem moueat; ideo tepida admouenda, id est ea frigiditate, quæ non feriat. Adhibet etiam enæma, barbarum dictum, emplastri loco. Descriptiones eorum habes lib. 2. Catagem. Et sunt optimè resiccantes, & astringentes, quæ exquirimus in hoc casu. Animaduertite: anno elapso à vi maximè astringentium iuuenem præfocatum vidi, iam agebat animam, cum eum inspexi. Huic medicus quidam circumforaneus emplastrum ex gipso, bolo, acacia, sanguine draconis effecerat toti pectori: adeò, vt immobiles musculi fierent, nec pectus expurgari posset: Erat autem ex cantu ruptio, cum aliàs esset ad hoc paratissimus. Nostri mumiam aceto terunt, & apponunt, & thuris mannam, vel corticem addunt. Hæc per multos dies obseruanda, vt & medicamenta quæ deglutimus; de quibus mentio fieret, nisi hora interpellaret, quòd velut symptoma est sanguis coactus.

Quod igitur in bronchijs sanguis cogatur, manifestum est experientia. Quòd etiam coactum apprimè lædat, imò accidentia praua efficiat, omnes norunt: & ponitur inter venena: igitur studendũ est vt educatur. Quoniam verò nõ facilè educeretur si thrombus foret ob crassitiem, ideo medicamentũ propinamus ex his, quæ thrombos dissoluunt. Etenim cum nõ nisi tussi educi possit, studendũ est, vt quàmminimus motus fiat. Poscã igitur dilutã, & tepidã exhibet. dilutã, ne acetũ proritet: tepidã, vt melius operetur. Patet aũt quòd & sensim dimittẽda est, vt in viscus aliquid eius penetret. Auic. dicit & quãdoq; Gal. ponit, quasi semper eo vtendũ sit. Hic verò in vsu aceti

ceti contendunt ſcriptores. Sed errāt ex Auic. & Auer. qui poſcam legunt acetum cum aqua: ignari eſſe eam miſtionem, quæ potui iucunda ſit: vnde experientia monſtrat, quòd tuſsim non facit. Eſt autem neceſſarius vſus ob accidentia dicta. Faciunt quoq; ad fluorem ſiſtendum quædam ex proprietate: cuiuſmodi eſt iaſpis lapis. Faciunt & egregiè quæ ſoporem inducunt: quæ, vt Philo author eſt, à morte in hoc caſu liberant. Inter hæc laudatur in eo affectu Trociſcus de Carabe, & philonium, paſtillus ex electro dicitur, deſcriptus ab Aetio, & Paulo.

Mirum verò videbitur, ſi Auer. non viderit, neceſſe eſſe medico, vt contrarijs ſimul indicationib. ſatisfaciat, præ eligendo eam, quæ magis vrget, & alteram non negligendo, quod & hîc facimus. Cauere enim oportet grummos: & ſi ſunt, diſſoluere, neq; expectare donec eorum euidentes notæ adſint, & ſymptomata grauia inferant: quando etiam valentioribus vti oporteret, vt coagulo leporis, vel hædi, quibus vis ineſt maxima diſſoluendi, vt omnes teſtantur, & eſt acerrimũ viribus. At poſca mitiſsima eſt, quod maximè ſani experimur, dum bibimus. Et ſcimus eam in externis vulnerib. ad glutinationē maximè facere, ita etiam bibita faciet: vnde tantùm abeſt vt eius vim pertimeſcat Gal. quin potius etiam ad medicamēta glutinantia propter eius deductionē, vtatur. Eſt ergo tunc ea vtēdum, cum iam magna ex parte fluere ceſſauit, quod cognoſcitur, quia rarius fluit, & iam colore non adeò florido eſt. Hęc de pulmone. Nam ſi malum in arteria ſit, vel in pectore, nihil obſtabit, quin tuto vtaris. Non ergo vt Auic. ait quandoq; vtendum eſt, quo pectus expurgetur, vt Galenus voluit.

Poſt hæc procuranda eſt omni ingenio glutinatio. Hîc verò duplex genus medicamentorum ſeſe offert, è quibus alia emplaſtica ſunt, alia verò aſtringentia. Differentia horum eſt, quoniam prima illa ſiccant ſolum ſine aſtrictione, cuiuſmodi ſunt multa terræ genera, & lapidum, vt Lemnia terra, & bolus armenus, & alia eiuſmodi. Aſtringentia verò ex his, quæ ſuprà diximus ſæpe, nota ſunt tũ ſimplicia, tum compoſita. ſed ſingulares deſcriptiones habentur. Trociſci de terra ſigillata dicti, & ex corallio lapide. Quòd igitur aſtringentia, vulnera glutinent ſuprà dictum, vbi curam vulnerum poſuimus; quòd vero etiam emplaſtica, patet, quoniam ſine morſu ſiccant: ſed neceſſe erit adiungere ea, quæ aſtringant vnà. Laudatur verò præcipuè portulaca viridis, ſenſim deglutito ſucco; & in hunc vſum paratur ſyrupus: ſed non adeò valet. Laudatur & poligonos, vel equiſetum. Non tacebo mirā illam compoſitionem quam adeo laudat expoſitorum quidam, non alia ratione, quàm quòd lau

pari eã audierat ab inuentore, qui conciliator eſt dictus. homo pluſ quam Patauinus inuentione, & iudicio. Primùm enim laudari ſenſerat centaureum ad ruptam venam glutinandam præ omnibus. Cum ergo cum Meſ. & Auic. nomina confunderet, longam quæſtionem facit, quî fieri poſsit, vt conglutinet ea herba, quæ ſoluit adeò aluum, vt venas quoque aperiat, & ſanguinem effluere faciat. Ideo reſpondit, quòd in certa doſi ſiſtit, & glutinat; in alia ſoluit. quam doſim, quoniam ipſe nouerat, fortè ex magica, deſcribit compoſitionem, quam Gradius ille ſingularem apppellat. Quam legentes, diſpeream, ſi non ſoluantur in riſum. Quæcunque enim ſcripta inuenerat prodeſſe, omnia admiſcet, quaſi quo plura ſint, eo melior ſit compoſitio. O tempora, ò mores. Et tamen hi vniuerſo quondam orbi miſerè imponebant. Equiuocatio verò eſt de Centaurea, ſicut & Meſues de Rhabarbaro equiuocat, cũ eius vſum in ſputo ſanguinis laudat. Erat autem hæc vis ponticæ radicis, quæ licet idem nomen habeat, vis tamen eius eſt admodum diuerſa, vt omnes vident. Hodie mutata ſunt nomina in officinis, & ob vicinitatẽ maius centaureum, rhaponticum appellatur.

Atque etiam ijs vteris, inquit Galenus, vſque in quartam diem. Iam enim de phlegmone ſecuri ſumus, quanuis de recidiua ſit metus, ob cicatricem teneram adhuc, & quæ facilè rumperetur. Ideo victus ratio tunc inſtituenda eſt, ſimilis quidem priori, ſed varians quo ad magis, vel minus. Sit igitur optimè ſiccus aer, vt cicatrix durior, fiat & glutinatio melior eo inſpirato. Similiter motꝰ parciſsimi adhuc ſint, & cibi tum quantitate mediocri, tum qualitate conuenienti, vt oua, & piſces ſaxatiles, & far & ptiſana. Potus verò, auſterum vinum aqua miſtum, in qua plurimum ferrum reſtinguatur. Diu verò hoc ſeruetur euitando calida, acria, ſalſa, & repletionem nimiam.

Quoniã verò ſuprà diximus: neceſſe eſſe ob diſtantiam loci medicamenta ita componere, vt aliquod admiſtum perpetuò ſit, quod eorũ virtutem deducat: Ideo de hoc dubitatur. nec enim quod ſupponitur verum eſt, quia non minus proxima pars affecta eſſe videtur, quàm ſit in ventriculo. Siquidem iam ſuppoſitum eſt delabi ſemper aliquid medicamenti, per aſperæ arteriæ caput in pulmonem. Quare euidens eſt via, & proxima, qua medicamentum in affectam partem peruenire poteſt. Et quidem de quodam Galenus ait, ſentiebat apertè vim aſtringentis medicamenti in aſperam arteriam deſcendiſſe, quòd ſi huc peruenit, cur non in pulmonem: verba Gal. in Meth. circa quinti libri medicamentũ, vbi loquitur de indicatione à parte. Excogitarunt medici fortiſsima medicamenta

ad

ad pectus,&pulmonem,quia difficilius sanátur,quòd longè absint. Ipse igitur libro quarto ad finem, considere videtur in his, quæ linguntur,in aspera arteria solùm.

Nam statim subdit,Si verò vlcus in thorace, vel pulmone sit,mel est admiscendum, neque solis astringentibus est vtendum, vt affectus fortè exigebat:quoniam necesse est vt aliquid adsit, quod vim medicamenti deducat, & distribuat in corpus, neque morentur in ventre,quod facerent sola astringentia.Innuit igitur in pulmone,& pectore hanc solam viam esse adhibendi remedia per ea,quæ in ventre deuorantur. Id, & libro septimo de Med. *.*. Dicimus igitur apud Galenum,quanuis aliquid in arteriam influat,& ita posit vlcera eius extergere,& siccare, tamen id exiguum est, & inualidum, vt aliquid in pulmone,vel pectore posit efficere,sed per deuorata medicamenta id fiet.Itaq; non linctus in hunc vsum facient, sed solum ad asperæ arteriæ, & gutturis morbos. Ideo etiam ex validis medicamentis componunt,quæ calida sint & tenuium partium,vt possint deducere aliorum vim. Hæc est Galeni sententia:& talis etiam veterum fuisse videtur.non negamus tamen,quin etiam à linctu nō nihil iuuari posint.

Maximè verò verendus videtur casus,cum ex tusi vena rumpitur,quod maximè euenit, vbi refrigratæ sunt partes pectoris, & inde tussis.Nam hìc contrariæ oriuntur indicationes sistendi sanguinem, & tussis sedandæ. Nam quæ tussim à frigore sedant, necesse est calida sint, vt inspiratio,& ea, quæ extrinsecus calida applicátur ad intemperiem tollendam. At calida sanguinem fluere faciunt, vt suprà diximus. Galenus igitur historiam ponit iuuenis, qui tussiēs ex refrigeratione pectoris sanguinem excreauit. Cura verò fuit hęc. Primum enim procurauit vt sanguis sisteretur,quod magis vrgebat secta vena,& vinculis,& frictionibus:mox medicamento soporante Diaspermaton est vsus. Secunda die itidem detraxit:sed pectori mox emplastrum ex tapsia apposuit, ad tollendam intemperiem pectoris.Sed diu morari non sinebat, ne multum calfaceret, alio similiter die apposuit: itaque per interualla, & vacabat symptomati tussis,& spacium naturæ præbebat, vt glutinaret:nec adeo calfaciebat,vt venam aperiret: & semper medicamentum Diaspermaton dedit vsque in quartam diem.Sed dices,Qua de causa?Respondeo, vt tussis symptomati occurreret sensum hebetãdo, & ita proritationē,& vt sanguinis fluorem sisteret. Deinde ad Tabias misit pro siccanda magis cicatrice,vt firmior esset.

Si verò causa adhuc perstet, quæ vulnus facit, vt tussis ex catarrho descendente à capite?:tunc bifariam id contingere potest: Vel

enim ex tussi fit continui solutio ob partium distentionem, vel quoniam catarrhus erodens erat, ideo vlcus fecit. Si enim insipidus sit catarrhus, sola tussis causa esse videtur. Si verò salsus, vel amarus, & flauum quod expuitur, de erosione suspitio est.

Galenus igitur posuit vtriusque affectus curam: ac primùm eius qui ex sola tussi fiebat, vt in illa nobili Romana. Nec enim illa erosione pulmonis reiecerat. Nam hi, vt mox habet, insanabiles sunt, & curam nullam admittunt, nisi vt vita prolongetur. Et errarunt multi in hoc, quia crediderunt historiam illam, & curam conuenire erosioni ex catarrho: vnde frustra de multis dubitant circa eam curam, quomodo apposuerit capiti calido, toties calidum emplastrum. Et ego aliâs de hoc dubitabam, & respondi, laborare Galenum contrà symptoma. Sed reuera optima est curatio, quæ tollit causam, nec lædit, quoniam siccat, & calfacit: in capite laboranti destillatione, est vtile: vbi si esset erodens catarrhus, profectò malum esset. Mirum non considerasse hunc locum veteres, qui historiam referunt, quasi catarrhi erodentis. Mesue, & Rases. nullam historiam æquè admirantur, & colunt, cui tamen morbo medentur, prorsus ignorant. Vnde iuuenis ille, qui tuniculam gutturis expuit, ex catarrho erodente id passus est: neque in hoc hanc curam posuit, sed longo tempore curatum, nempe ratione, quam post posuit: quoniam succi vitium corrigere oportuit purgatione, & alimentis, idque non potest nisi longo tempore fieri. Quòd historia mulieris sit catarrhi frigidi & humidi patet, primò quia citò sanata est: ergo nō erosione. Præterea erosionē dicit esse insanabilē. Preterea etiā post agglutinatum vulnus, ad caput Tapsia vtitur, vt pateat non aduersus symptoma pugnasse, sed aduersus causam. Quòd si dicas, cum præcauet catarrhum acrem, & erodentem, adhibet capiti Tapsiam: Respondetur, potest esse sine calida capitis intemperie, sed potius cum humida, cum reliquum corpus plenum est vitiosis humoribus, qui caput petunt. Sed si esset ex capitis intemperie, hoc non fieret.

Sed ad catarrhum prius accedamus, atque curationem ex Galeno ita instituemus. Primùm itaque, vt in eiusmodi alijs affectibus, sanguinem mittere decreuerat, quod id morbus exigeret, tum ad minuendam materiam catarrhi, tum ad reuulsionem, & deriuationem à parte. Sed alia dissuadebant, nempe quatridui inedia: fortè verò, & gracilis erat, & æstiuo tempore, & alia aderant contra indicantia, sat nobis est affectum id exigere. Postmodum quia eam diuiserat, alijs reuulsorijs ingenijs vtitur, clystere acri, scilicet & vinculis, & fricat calfaciente pharmaco, vt puta synapi ex aceto. Hæc enim auersio maxima est. Hucusque auersio, mox ad causam tussis

proximam.

proximam accedens, Raſo capite emplaſtrum ex columbino ſtercore impoſuit, ex recenti in quā è turribus collecto, cui maxima vis ineſt calfaciendi, & ſiccandi, & attrahendi catarrhum ad extimam cutem. Hoc vſus per horas tres eſt, ne ſcilicet exureret nimium. Sed caput pro tempore idoneo operimento contexit; hoc eſt quatenus externo aere non læderetur, mox in balneum duxit. Hic verò dignum conſideratione eſt, quomodo in balneum ducat eos, quibus ſanguis profluit, cum vniuerſim calidum promoueat profluuia, 5. Aph. & priuatim balneum ea augeat, 1. ad Glauc. ca. de Accid. & in hiſtoria Metonis 3. 1. Epid. ad ſanguinis profluuiū augendum caput lauat. Præterea in fine curæ. Dicit in balnei abſtinentia eum continuiſſe, vt ſcilicet ſiccaret. Reſpondetur, primùm quod reiecerat exiguum erat, itaq; ruptū vas erat exiguū; ſed potius timor erat futuri, q̃ prȩſentis affectus. Prȩterea inedia præuacuata ea, nō videbatur timor fluxionis, & ideo reſtiterat. Vel dicito, nō eſſe eandem rationē laborātis pectoris, & capitis. Calidū enim balneum caput replet, id eo ſanguinē è naribus profluentem proritat. At à pectore reuellere videtur: non ſecus atq; alui profluuia ab inteſtinis. Hic nota, ſolùm lauat cum capiti emplaſtrū apponit. Et Auic. dicit, propter medicamen, id eſt, ad tollendam acrimoniam eius, non vngit caput, ſed lauat: quoniā vnguenta plus morantur & humectant, & quia quod attractum eſt, exhalare non ſinit, ſexto de San. tuen. Vt ergo frictione vti potuit, cur non & balneo? Cȩterùm hæ reſponſiones ad logicam quidem diſputationē vtiles forent, ad medica verò præcepta inutiles. Neq; enim quid reſpondendum ſit, & quomodo dicta authorū, vt aiunt, ſaluanda, ſed quid vtile præceptum ſit exquirimus. Non igitur Gal. nobis id, vt præceptum perpetuū ſtatuit, ſed viſum illi eſt vtile eſſe eo tempore. Cauſas aūt particulares, quib. motus ſit, non refert: non lauat tamen caput, nec vngit pingui, ne humectet. A balneo nutrit ſola ſorbitione, quod inediam ferre non poterat; poſtea auſterum quid propinat, tum ad tollendam euaporationem ad caput, & vt aluus probè concoqueret, & deijceret; ſed & ad morbum id facit. Veſperi dormituræ theriacen dedit nouam intra menſes quatuor, vt ſomnum induceret: quod tum ſiſtit profluētem ſanguinem & fluxiones ſiccat, & craſſat: vnde non facilè influunt ad pectus. Iam his catarrhus finitus videbatur: ſed multa erat in pectore materia, quæ expurgari deſiderabat, quod ex ſonitu deprehendit, & ex reſpirandi ſpecie, quæ anguſtiam vaſorum monſtrabat, ſed timuit tuſsim cōcitare. Itaq; quod ab initio fecerat, ſeruauit in taciturnitate, & quiete pectoris; & iiſdem reuulſorijs poſtridie vſus, veſperi theriacen dedit; paulominus. Tertia die quietem etiam impera-

uit:sed manè mel coctum exhibuit, vt pectus purgaret. ac paulo largius cibum dedit,& frictione est vsus. Quartò, mane dedit theriacam vetustiorem, id est, in ætate vigente; & mel copiosum dedit manè: quoniam non erat ad soporem inducendum, sed pectus purgandum. Rursus quia feruor prioris medicamenti capiti impositi desierat, rursus admouit. Quintò, ad purgandum pulmonem conuertit sese, scilicet cũ eclegmatis, quæ tussim excitant; & capiti cera tum ex Thapsia imposuit: mox conualescentium victu est vsus: sed lotionibus abstinuit: nempe vt siccaret corpus: Nam & dum ægrotaret solum prima die, & quinta lauit.

Hìc nugatores suspectam habent maximè quatuor mensium theriacam: & quoniam glossare, id est, peruertere ijs mos est scriptorũ verba, dicunt intelligi, ab eo tempore, quo incipit fermentari. Sed hæ nugæ sunt, imò & duorum mensium exhiberi potest. Debebant Galenum legere cur sic dabat, vt in ea vis adhuc opij vigeret. & nos sic vtimur.

Excrosione. Qui verò ex erosione laborant, siquidem iam sanguinem reijcere cœperint erosa vena, prorsus insanabiles esse videntur. Ratio est quoniam sanguis erodens, & vitiosus fit ex prauis saniebus admistus. Eiusmodi autem corpora breui, & facilè attemperari nequeũt: quoniam attemperatio non fit, nisi vacuatione & renutritione, nono Metho. Hæc autem longius tempus exigunt. Quare cum causa erodens citò tolli non potest, opus omne medici frustrabitur. plus enim proficiet ea exulcerando & erodendo, quàm tu attemperando. Præterea cum catarrhus à bronchijs ad venas peruenire debeat, siquidem exulceret, & interim intermediam pulmonis carnem, qua venæ circundantur exulcerasse verisimile est; sed nec ipsum venæ corpus subitò quasi ictu quodam ferit, sed sensim erodit, itaque vlcus esse purulentum necesse est, & inflammatum: Quare, vt impossibile ferè erat talia sanare, ita & vlcera ex erosione non poterunt. Pręterea resarcire carnem oportet. Est enim cauũ vlcus: id autem breui fieri non potest. si qui verò seniores sunt, & sicco corpore, hi in longius tempus perdurant. Et vt apud Arabes legitur, vitam multo tempore protrahere possunt: & quidem multos vidi, vsque in extremam senectutem vixisse. Causa erat, quod febribus non adeò absumuntur, quæ pulmonem exulcerant; vtpote quorum corpora minimo calore sint prædita. Præterea eorum corporum non facilè resoluitur humidum ob duritiem: & ita non adeò febre siccantur. Vidi autem aliquos etiam iam consistenti ætate perijsse.

Quòd si adhuc non est factum vlcus, tunc cum catarrhus descendit,

dit, poteſt his prouidentia exhiberi: ſiſtendo catarrhum acrem, vt ſuprà fecimus cap. de Catarrho. Nam corpus purgabimus educentibus excrementa acria, ſiue biliosa ſint, ſeu exuſta: vel ſerum putre factum, & temperabimus ſanguinem. Et in hoc purgatio ex ſero lactis iuuat. Et potus poſtmodum lactis, & balnea, & cætera, quæ temperant acritudinem. Aliquando non in pulmone eſt malum, ſed in aſpera arteria fit vlcus ex catarrho: quod ſanè inſanabile non eſt. Cur autem potius hac parte ſanetur, cauſa eſt, primùm quòd medicamenta facilè applicantur tum extrinſecus vlcus ſiccãtia, tum intrinſecus, ſenſim delapſa, & ſunt ea, quæ adduximus ad cruenta ſananda tum emplaſtra, tum linctus, vt conſolidæ maioris radix, & portulaca, & terra lemnia: ſi ſordidum, extergente, & ſiccante eſt opus. Secundò, quoniam pars natura ſicca eſt, ideo leuiter putredinem ſuſcipit. Situs quoque facit lubricus, vt non facilè figantur ibi acres humores. Hinc Galenus recitat multos ſanatos, ſed præcipuè eos, qui ex febre peſtilenti hoc inciderãt mali; quòd erant ſicca vlcera, & ſcabiei ſimilia, vnde exigua ope ſiccabantur. Hęc autem eſt vlceris curatio.

Quòd verò talia eſſent vlcera ex ſputo monſtrabatur; quo cruſtulæ educebantur. Maximè verò ad horum ſanationem facit, ſi excrementis corpus vacet, quod ſanè euenit ijs, qui poſt febres acutas, & criſes id paſsi fuerant. Si verò ijs eueniat, qui ſunt corpori adhuc vegeti, ſiccare oportet, & curare cura catarrhi acris, & erodentis, cum ſiccantibus, & temperantibus ſanguinem. ſed hos, ſecuritatis gratia, ad Tabias, & lactis vſum dimittit. Videtur autem collem talem deſcribere, qualis noſter hic eſt, S. Iuliani, apricus, nõ procul à mari, & herbis ſiccisſimis conſitus, vnde lac idoneum.

Iam igitur omnes affectus diuiſionis continui in his partibus curauimus. Sequitur vt de anaſtomoſi agamus. Diximus hanc euenire, vbi fuſus ſanguis, & ita ruens in venas, & replens tandem minores, ora aperit, vel natura proritata, ſicut profluuia menſium euenire ſolent: quibus, in mulieribus ceſſantibus, vt ait Hippo. mala euenire ſolent: & inter cętera hæc anaſtomoſis: quod ego pluries vidi. Cura ergo eſt eadem, qua vtimur in ſanguinis profluuijs alijs. Primùm ſcilicet reuulſione valida vti, non adeò leui, vt in rupta. Sed ſi à multitudine fuſione facta ſit, vtemur ad remota valde. Fit autem reuulſio non modò, ne multus nimium vacuetur ſanguis: ſed & quia per regionem conuenientem non fertur: ideo tametſi vacuatione eſſet opus, at ea tamen, non ea facienda eſt via, ſed alia vtemur. Vtemur etiam reuellentibus alijs, quæ dicta ſunt. Dehinc & apertioni medebimur; hoc autem fiet aſtringentibus tum ebibitis,

tum foris appositis; & sunt ea omnia, de quibus suprà mentio fuit. Sic & Diapedesis curatur.

De Phthisi. Cap. XXXVII.

QVæ cruenta non sanantur pulmonis vlcera, facilè in Tabem transeunt. Etenim, vt dictum à Galeno est, curatio omnis vana: nam nonnisi tussi pus purgari potest, quod in phlegmone necessariò fit, quæ vulneri accidit: ab ea autem vulnus lancinatur, & reuirescit, vel etiam augetur. Fit ergo putridum vlcus cauumq; sæpe & erodens. Vnde caro quoq; pulmonis depascitur, & chartilagines quoque malum attingit ita, vt integra bronchia ligamentis erosis extussiantur. Tale enim quid accidit, quale & externis putrilaginibus, quæ circa ossa contingunt, vnde eroduntur. Age, factum sit ingenio medici, vt vlcus sic putridum siccetur, quoniam medicamenta non possunt adhiberi, quæ cicatricem inducát, quæ carne repleant, sicut in externis, fit tale vlcus quod labia dura, & callosa habeat. Quæ cum talia sunt, facilè renouantur ex leui motu, & occasione minima; vnde malum quasi ab initio rursus reuertitur. Sic tamen potest in longius tempus seruari, siccato sic vlcere, & velut callo durato per siccantia medicamenta, & aeris inspiratum sicci. Vnde & historia est de Furnaria pistoris vxore, quæ sic diu vixit.

Quòd si negligentius agatur, aût vehementes causæ vlceris sint, vt siccari nequeant, febris necessariò hectica insequitur ob causæ fixionem, & cordis vicinitatem. Tales ergo Phthisici dicuntur. septimo Aphor. propriè dicitur de his, qui ex pulmone. Quidam ergo scribentes φθύσιν per, υ, à πτύζω, quod est spuo deducunt. Alij melius per, ι, deducunt à φθίω, quod est absumo, & corrumpo, quòd vniuersus corporis habitus in his corrumpatur. Latini tabem dixere, & tabescentes, & tabidos. Quæ autem melior ethimologia sit, patet. Non enim solùm phthisis ad sputa cruenta, & purulenta sequitur, sed ad alias causas, vt febres ardentes, & siccitates, quarundam partium, quæ multam vim altricem tribuunt vniuerso corpori. Significat igitur id nòmen, morbum in magnitudine, & contra obesum distinguitur. Adest verò vnà & alius affectus, nempe corporis siccitas: & erit similarium sicca intemperies, atq; his affectibus phthisis describitur. Est enim siccitas corporis immodica. sed pressius tum sumi videtur à scriptoribus, vt solùm dicatur de ea siccitate, quæ vlcus pulmonis consequitur.

Aliàs

Aliàs verò Marasmos solos appellauit. Vt marasmus genus sit, hæc verò species quædam, licet nomina id significent. Possumus & definire tabem vniuersim, vt Galenus facit, quòd sit animantis, vel etiam viuentis interitus ex siccitate. Libro de Tabe. Tale enim quid his contingit, qui sic laborant, quale per naturam seni contingit. Quæ etiam arefactio inevitabilis est, primo de Sanuitate tuen. Solidæ enim partes arescunt: quarum humiditas propria restitui nequit.

Est verò hæc siccitas aliquando sola; & est simplex tabes, cum actiuæ qualitates mediocriter se habent. Est & cum alteri qualitati iungitur, idque bifariam. Nam si calori iungitur, torrida tabes appellatur: si verò frigori, ex morbo senium: quoniam sic afficiuntur, vt senes refrigerati secūdum partes omnes, & siccati. Dico, secū dum partes omnes: nec enim tabes de vna parte dicitur, sed totius est morbus. Vnde necesse est necessariò principem partem, scilicet cor, affici. Neque enim potest vniuersalis aliqua intemperies euenire vniuerso corpori, nisi cor afficiatur, vt sæpe Galenus ait: sicut neq; affici corpus animantis, nisi simili affectu cor comprehen datur. Potest tamē affectus hic primò à corde ipso oriri: potest & ab alijs partibus, quæ cor in consensum trahunt ob vicinitatē, vel multam colligantiam. Quæ autem sint hæ partes, exponit Galenus libro decimo Metho. & septimo. Iecur enim siccatum maximè & citius potest in consensum trahere alimenti ratione: mox & venter tum hoc, tum vicinitate. Reliquæ verò partes, vt septum, renes vicinitate, vel colligantia similiter. A pulmone verò fieri tabes non solet, inquit Galenus, quòd humida pars sit, nec facilè ariditatem sentiat, quanuis id prorsus non neget. At cum vlcus patitur, eius ratione potest facere, quòd cordi calorem impartit, & febrem hecticam facit tempore.

Iam ergo habemus morbi naturam, & causas. Nam siccatio hæc totius habitus, modò solum affectum primùm cordis sequitur, vt in febre hectica: modò ab alijs partibus siccitas cordi communicatur, vt in sicca ventris, & iocinoris intemperie. Febris verò illa hectica aliàs insequitur vlcus pulmonis, vt Hippocrates inquit: A sanguinis sputo, puris sputum, à puris sputo tabes. Sed num ex alijs quoque vlceribus pectoris? profectò ex fistulis pectoris id fieri vidimus, diuturnis, non sanatis: & ex fistulis quoque aliarum partium, superueniente super his hectica febre: quæ viscus ipsum exiccat.

Et 5. Aph. 15. non alia ratione videtur dicere, quòd ex empiemate

post quadraginta dies tabes succedat: nisi quia pectus exulceratum est; & cum sordidum, & insanabile sit vlcus: qunauis Gal. dicat in eo casu pulmonem quoque exulcerari ex putrescente pure.

Cum verò multis modis tabes contingat, vt diximus, nos hoc loco nō de omni tabe, sed de phthisi solùm loquimur, id est de ea, quæ ad purulenta è pulmone sputa succedit; vel etiam quacunque parte pectoris. Hìc itaque iam complicatus affectus esse videtur: Etenim in toto siccitas adest, & est affectus magnitudinis, & intemperies solidarum partium. Est & pulmonis vlcus, & febris hectica. Rases igitur hoc capite solum de siccitate totius agit, nec de ea solum, quæ vlcus insequitur, vt eius expositores putant: sed de omni, quauis de causa fiat. quod & verba ipsa testantur, licet ipsi extorquere nitantur, & contrahere solum ad eam, quæ ex pectoris partibus. Sed & curatio manifestat, quæ omni conuenit, extracta partim ex libro septimo Metho. partim ex decimo. Vlceris verò curam non ponit, neque hecticæ febris. Hanc enim inter hecticas curat: vlcus verò curatur ijsdem modis cum empiemate.

Imaginantur & quidam haberi occultas causas, vt hæreditentur ex principijs generationis, propterea & commisceri cum talibus coniugio euitant. Quòd igitur filij parentibus similes sint, & vt quo ad externa lineamenta sunt similes, nihil obstat etiam quo ad internas similari partes: quoniam formatiua vis naturalis, vt aliâs monstraui, extensa est per seminis corpus: ideo iuxta seminis partes, potest & partium oriri varietas. Sic & elephantici tales sæpe gignunt, & debili cerebro, debiles, sic & articulis. Attamen cum formationem & temperamentum longè distare viderimus à parētibus, quid prohibet etiā longè à periculo morbi distare? At inter initia vitę ferè manifestātur ijs expositi ex capitis tēperamento, & figura: & similiter pectoris, & corporis totius temperamento, & habitu. Quòd verò & contagione quadam ij, qui vnà versantur affici soleant, fama est apud omnes, & Galenus fatetur. Causa quoque prompta est, quoniam putridum spirant. At putredo illa vaporum si per aerem trahatur, malè potest pulmonem afficere. Ego tamen nullum vidi contagio perijsse.

De signis modò agendum. Et quidem quod ad totius affectum attinet, signa hecticæ febris habenda sunt ex capite proprio. Signa verò tabis totius ex ipsis sensibus habentur, vt Rases ponit. Quis enim est, qui non videat extenuatum præter modum corporis habitum? Sed prius marasini modos distinguere oportet. Et primò, vt Galenus facit, cum siccitatem significet solidorum alia in generari est, alia facta, & genita. Vel melius: Cape diuisionem quam ponit

Galenus

Galenus septimo Metho. Siccitas totius, aut est absumpto plurimo sanguine è venis, vt per inediam, & penuriam cibi aliquando contingit, & alijs siccantibus causis. Secunda est vbi ros, qui est per spacia particularum dispersus, quo statim partes nutriendę sunt, est absumptus: quod ex vehementioribus causis euenit, longis scilicet febribus. Tertia vbi carnes ipsę, & adeps absumptę sunt: ex ijsdem causis eueniens. Quarta verò vbi ipsa solida patiuntur. Solida verò appello, inquit Galenus, eas partes, quæ similares cum sint, sunt velut corporis fundamentum, quibus etiam caro adnascitur. Tres priores, Tabes non dicuntur, & curam recipiunt; at cum siccitas solida inuasit, tunc trifariam est: Vel enim ipsum roridum humorem per particulæ poros in alimentum dispersum est absumptum, & est primus modus: secundus vbi caro ipsa solidorum est absumpta.

Habent enim & ipsa propriam carnem, quæ fibris solidis adnascitur, quæ & augetur, & imminuitur. Si verò fibræ ipsæ siccentur, quæ propriè solida dicuntur, est vltimus siccitatis modus, & verè iam marasmus factus. Priores verò illi, in libro de Tabe, fieri: & generari marasmum dicitur. At 7. Meth. & 10. dicitur consummata, id est perfecta solidorum siccitas. Hæc est diuisio, quam Arabes tribuunt hecticæ febri, cum tres species eius faciunt. Sed est marasmi diuisio per gradus quosdam: qui marasmus & cum hectica febre, & sine ea esse potest: vt si frigiditati sit iunctus, vel in calido, & frigido non habeat euidentem excessum. Absumptio igitur quæ apparet, marasmum non significat, nisi ad solida peruenerit: ideo alia signa habere oportet, vt sputum saniosum. Cuius signa proponunt primo Hippo. quòd super carbones iniectum fœtet, (quanuis satis ex præcedentibus de vlcere pulmonis iudicare possimus, & concomitantibus: ex præcedentibus quidem, sputo sanguinis; ex comitātibus verò, hectica febri) attamen ad certiorem notitiam, hoc etiam signum exquirimus.

Signa verò, quibus sic affectos, id est, quibus siccitatem solidas partes inuasisse, & vnà pulmonis vlcus purulentum pati dignoscimus, sic accipi debent. Primùm enim, quòd ad vlcus attinet, de præcedentibus causis considerabis; quales scilicet affectus præcesserint, vt si sanguinem screarunt, neque cito sanatum vlcus fuit, sed perpetuò tussis perdurauit; quis dubitat, hunc vlcus in pulmone pati? Quòd si febris fixa, pusilla, semperque sui similis eueniat, eò amplius signum habebimus affectionis. Si etiam praua pleuritis præcessit, in qua abscessus ruptus sit, & diu saniem excrearit: iamq; quadraginta dies excessit, iudicabimus hūc, vlcus in pulmone pati

atque in via eſſe, vt phthiſicus fiat. Vt enim maraſmus duplex erat, qui iam factus, & qui fiebat, ita & phthiſis: Hæc enim via eſt ad ipſum, quo tempore maximè dignoſcere expedit.

Num verò poſsit vlcus fieri, & ſanies excreari abſque his præcedentibus, conſiderandum: Nam ſi poteſt, neceſſe erit notas ſaniei ſeorſum ponere. Dicunt quidam in catarrho hoc euenire poſſe, vt primo caro pulmonis erodatur, mox ad venas perueniat eroſio, & inde ſanguis excreetur: Primùm verò citra ſanguinem ſanies. Ego verò ſcio ex Galeno ſanguinem ſpumoſum ex ipſius pulmonis ſubſtantia excerni, ſexto Aphor. quanuis exiguum, & paucum: neque ſcio aliquem ex catarrho in phthiſim lapſum, quin prius aliquid ſanguinis expuerit: Quanuis Galenus id voluiſſe videatur, 4. Aph. 75. ſi ſanguis, aut pus minxerit. Et 80. legit etiam coniunctim, ſi ſanguis & pus: vbi vult aliquando ſanguinē mingi, aliquādo pus ſolum vt cum in venarum ſubſtantia, vel in vaſe aliquo nota digno vlcus conſtiterit. Cæterùm ipſe non negat, quin neceſſariò exiguum quid excernatur: ſed comparatione eius, quod excernitur rupto vaſe nihil eſt: ita & in pulmone accidet: at non aduertet ſæpe æger, nec curabit præ exiguitate. At manifeſtè quinto de Loc. exempla ponit, in quibus nō niſi poſt multum tempus expuebatur ſanguis. Fiebat ergo vt in externis vlceribus, quæ citra ſanguinem pus habent ſæpe. Tunc ergo alijs notis inueſtigare oportet, num vlcus adſit, ſputū conſiderando quale ſit. Etenim cum id ex catharro accidat, color cōcocti in pectore catarrhi, & pus adeò ſæpe ſimilia inter ſe ſunt, vt peritos quoque fallant colore, & conſiſtentia; ſicut & fallit vrinæ hypoſtaſis, quæ ſaniem referat, aut crudum ſuccum. Primùm igitur febris ipſa aderit neceſſariò, hectica in proceſſu, quæ ſigna euidentia referet, habenda ſuo loco. Deinde ſputū conſiderando, quod ſaniem refert.

Nam in globum, & rotunditatem multam ſe colligit ſputum pituitæ: Vnde & talia ab Hippo. damnantur in Prognoſtica: At ſanioſum diſpergitur, vtpote minore viſciditate, & craſsitie iunctum; vnde & minus albicat ex incluſo aere, quantumuis coctum ſit, ſecundo libro 46. vbi candida glutinoſa ac rotunda ſputa appellat: vt verò facilem diuiſionem agnoſcant, in aquam ſpuere iubent. Nam materia facilè medium diuidens deſcendit, quæ verò non deſcendit, craſſa, & glutinoſa eſt. Sæpe tamen admiſcentur, & impeditur agnitio. Aliud purulenti ſputi ſignum eſt, quinto Aph. 12. ex fœtore, qui tum aliâs, tum maximè ſentitur, cum ſuper carbones proijcitur ſputum effumando. Sic fœtorem annotauit in veſicæ vlcere. Nec obſtat quod dictum eſt, optimum eſſe pus album, & minimè fœtens

primo

primo Progn. vltimo. Neque enim ſine fœtore eſt pus, cum ſine putreſcentia non fiat, & veſtigia habeat putridi caloris: ſed ſicut graueolentia, vt Galenus ibi ait, eſt putredinis, non coctionis indiciũ: ita & modicè fœtere bonum ſignum eſt: ideo non ſimpliciter pus eiectum vult eſſe olidum, ſed tunc ſentiri, cum exuritur. Sic enim maximè odores tetri, & boni quoque ſentiri ſolent. Præ omnibus verò ſaniem ſignificat colligi facilè, & diſsipari in aqua: quod pituitæ ob viſciditatem non poteſt contingere: Nam pus reſiduum eſt eius, quod eſt exuſtum in phlegmone partis, vt tertio de Præſag. ex pulmone dicitur, & ita vrinæ hypoſtaſis vera, non crudus humor.

Signa verò quæ tabem ſignificant, ſic accipito, Communia quidem omni cauſæ, quæ tabem facit, ſeu calida ſcilicet ſit, ſeu frigida: ſed ſeorſum danda ſunt iuxta gradus, quos quaſi ſpecies medicus conſiderat, quoniam curam, & prognoſticum variant. Hîc verò primùm notas eius, quæ iam prorſus tabida eſt, afferamus. Mox vt aliæ ab hac diſcedunt extrema, gradu quodam, ita & notas recedentes habent: ideo enim qui eò deducti ſunt, vt ſolidæ partes ſiccari cœperint, ſigna euidentiſsima præſeferunt. Nam & caui oculi, & ſqualidi euadunt, & viuidus ille color perit, & prorſus ſui diſsimiles ſunt facti. Frons quoque intenta eſt, & ſquallida, ſicut & vniuerſa cutis: tum rugoſa ſenum inſtar, tum tactu aſpera: quæ ex ſiccitate alimenti defectu eueniunt. Collapſa quoque tempora, aureſque inuerſæ, & vehementer extenuatæ: & quid aliud ſunt quàm oſſa & arida cutis? Nam & viſcera omnia nudatis hypochondrijs abſumpta videntur. Sæpe verò quòd vidimus, & arteriæ magnæ tangentur, pulſus ſentitur extenuato abdomine. Quanto verò ſigna ab his recedunt, eò magis ab extrema illa tabe recedere eſt neceſſarium. Sed hæc diſtinguere probè ferè impoſsibile eſt, illi præſertim, qui in his multum exercitatus non fuerit, & ægri naturam omnem peſpectam nõ habeat. Vnde in iudicio ſæpe medici aberrant, vt nobis contigit in filio egregij equitis Cæſaris, Nobilis, qui præter ſpem eſt ſanatus: patiebatur autem tabem ex hectica ſine vlcere. Ideo ne in iudicio decipiamur, nec facilè deſperemus, videnda ſunt ſigna, quæ ineuitabilem prorſus pronunciant mortem: poſtea & ea, in quibus ſpes aliqua eſt.

Quòd igitur ad vlcus attinet, diximus eroſionem inſanabilem eſſe; attamen ij dimittendi non ſunt. Nam occurri poteſt, ne in extremam illam tabem traſmigrent, & diu detineri in vita, & ſic ſententiam de ijs ferre. Sed magnitudo vlceris mortem ſignificat, vt cum vaſorum fruſtula expuuntur; vel etiam arteriarum iam eroſa. hoc

enim vlcus ſiccari præ magnitudine nequit. Ex ſuperuenientibus verò ſunt, quæ dixit Hippo. quinto Aphor. 14. & ſecundo, cum capilli defluunt, & aluus profluit, mors eſt proxima. Adeo enim ſiccata ſunt ſolida, vt nutrimentum pilis non adſit. profluit verò aluus contentricis ventris imbecillitate. Inteſtina verò grauantur facilè, & pellunt: nec alimentum ob venarum conniuentiam in corpus diſtribuitur. hoc verò vt ſignum malum eſt, & cauſa. Nam prorſus ſic alimento deſtitui breui eſt neceſſarium. Cum verò in tabe conſtituti ſanguinem excreant, proximè moriuntur. Accidet verò & faſtidium tandem cibi; & eſt extremum malum, vt ſignum ſcilicet & vt cauſa augens. In eis igitur qui pus iam excreant, & in via ſunt, vt tabidi fiant, aggredi curationem oportet. Nam ſpes eſt ſiccato, debitis remedijs vlcere, ceſſare febrem, & ita conſumptionem, vt multis eueniſſe Galenus teſtatur. Sed eos qui iam ad Tabem peruenerunt, ſtultum eſt aggredi: & cum neq; in illis integram ſanitatem reſtituere poſsimus, neque id polliceri, ſed ſolum vitam protrahere, ſiſtendo cauſas ſiccationis, ideo ſemper continua præcautione vti oportebit, vt in his, qui dubia ſanitate fruuntur, & perpetua egent medici opera.

Signa ſimul, & cauſæ.

De Cura ulceris in pulmone purulenti. Cap. XXXVIII.

PRimùm igitur curandum ægrum ſuſcipiamus, cuius vlcus purulentum ſit, & febricitare cœperit, non ſit tamen adhuc febris in habitu, neque ſenſibilis extenuatio: Tunc ſoli vlceri animũ oportet intendere. Nam ſi ſiccemus id, vnde & putredinem ſiſtamus, facilè præſeruabimus corpus illud, ne in deterius labatur.

Hæc ergo erit cura, quæ debetur vlceri purulento, quam aliquãdo Gal. tentauit, ſed non ſemper perfecit. Eſt enim difficillima, nec de glutinatione ſpes eſt, vt aliqui ſomniant, qui ægrum eò curatione quam imaginantur, deducunt, vt vuulnus purgetur, & glutinetur, quaſi id fieri poſsit ſine tuſsi, & tuſsis non dilaceret partes pulmonis; vt dixit Galenus. Calloſum ergo & ſiccum, quo ad labra vlcus fiet, & velut ſicca quædam labra habens, vnde neq; ſanguis profluet, neque ſanies, niſi recrudeſcat accidente aliquo. Quod ſi eius cura, & prouidentia ſemper habeatur, poterit ſic diu perdurare, perfectè verò ſanari eſt impoſsibile. Quanuis enim vlcus ſemper aliquid tenuis ſaniei tranſmittat, vt vetuſta, & calloſa vlcera facere videmus, id tamen exiguum eſt, neque tale, vt febrem accẽdat. & quidem

dem vidi sępe, diu sine febre perdurasse. Hîc non videtur lac locum habere ob humectationem, sed in secundo, vbi intentio est renutriendi, & humectandi.

Summa autem curationis consistit in victu: itaq; quàmprimum possumus, eos tali victu regemus, id est, priusquam magna sit putredo, & febris. At primùm aerem eligere oportet, quod maximum auxilium arbitratur esse Galenus. Quod tamen Galenici hi non animaduertentes, transeunt, quasi leuis sit res: quinimò seu vlcus purulentum esset, seu suspicio foret, ne fieret ex non bene glutinato vulnere, in primis aerem eligit, quàm fieri potest siccissimum, cuiusmodi describit eum, qui ad Tabias, quinto Meth. quo mittebat omnes, quibus de purulento vlcere erat suspicio. Ratio verò remedij est, quòd aer maximè omniũ pulmones alterat, quòd inde inspiratur: vt per ebibita, & comesta tum intemperiem, tum reliquos ventris morbos curamus: sic & aere vtimur ad pulmonem ob assiduum contactum. Laudat verò aerem illum his notis, quòd ad mare non longè absit, quod sanè ad teporem facit; modicè editus sit, ne ventis nimis sit expositus: neque probè planitiem nimium, vt vaporibus, & humidis nebulis irroretur: nec è paludibus, fluuijsq; proximis id accipere possit.

Situs verò sit primùm in temperato loco, & regione, non auersus à sole: sed vel occidentem, vel orientem spectans. Nam à meridie humidi venti ad nos feruntur. His ergo aerem insolatum siccum describere videtur: At apprimè siccus non est, nisi etiam calidus sit nõ nihil. In hunc eundem vsum, & aliquos in Aphricam nauigare iussit: quoniam siccissima ea terra est, quòd ferè pluuia careat, raraque sint flumina. Sic si æger talis non sit, vt possit longè exquirere talia loca, in sua patria quantum possumus similia inueniemus. Huiusmodi est in nostri maris littore Massetanus collis. Huiusmodi sunt loca, quædam in hoc monte, qui Pisas, Lucamq; interiacet: præcipuè in finibus quibusdam, vbi à ventorum flatibus sint abscondita: quos vitat, ne catarrhos excitent, vnde tussim. Sic & Florentiæ Fesulanus mons. Sed & aerem quoque ad siccum alterabat perpetuò, vt quarto de Loc. ad postremum; idq; odoramentis, tum inspersis cubiculo, tum etiam in manibus detentis, vt dum inspiratur aer, aliquid eius effumet in viscus. Collis Fesulanus.

Habet verò tam collis Tabiarum, quàm ij, quos proposuimus aliud commodum, quòd consiti fruticibus, & herbis sunt siccis, & odoratis, quæ ad sananda vlcera multam vim habent. Sic igitur nunc de victu agendum, & de lactis potione, quæ etiam in hoc casu vtilis est: &, vt Galenus ait, miram vim habet. Etenim ex se abluendi vl-

cus, & detergendi vim habet: ad siccãdum verò præualidum est, ex herbis depastis, quæ sunt rubi, arbuti, lentisci, mirthi, abrotani, cysti, ederæ, cythisi, quibus nullæ sunt, quæ æquè siccent, & partem astringant, ac roborent. Ideo ad huiusmodi lac sunt mittendi. Et hoc primùm remedium est, quo vtitur Rases. Præfert verò asininum, mox caprinum: de quo quæres, cum Galenum legas omnibus muliebre præferre. Soluitur. Præfert cum ad extenuatos, & siccatos eo vtimur ob familiarem qualitatem, vnde & facilè renutrire potest, quòd natura familiares succos celeriter vincat, & trahat. At in hoc casu præferendum asininum, vel caprinum. Volumus enim vti ad vlceris curam, vnde & lac ipsum possumus effingere cum pastu herbarum, non ita in muliere possumus. Malè itaq; dicũt quidam, quos nostis, ad pauca respicientes, præferre humanum. Neq; cum de vlcere agit Galenus de humano mentionem facit; sed cum de siccitate ageret lib. 7. Sic & Rases de asinino, & caprino egit; vnde subdit Galen. Veteres verò mulierem lactantem his, qui tabe absumerentur astare voluerunt. de quo postea dicemus.

Simplicia uim siccandi, & partem astringendi habentia. Lac asininum primum, deinde caprinũ in cura ulceris præualet.

Præcepta notanda in lactis usu.

Lactis verò vsus, quia abundè est expositus 7. Meth. non est cur longius de eo dicamus; sed sat est præcepta nosse, primùm, vt astante animali bibatur, ne refrigeretur. Velociter enim mutatur. Adijciemus verò saccharum, ne cogatur in ventre. Vult verò Rases, & cum pane sumi, & bibi, vt scilicet multum quoque iuuet sua quantitate. Nam in his tanta obseruatione opus non est, quòd corpora adhuc sunt vigorosa, & robusta digestiua: neq; febris adest, vt suppono, vel exigua.

Tertium remedium est, medicamenta vehementer siccantia, & quæ vi sua multa nata sunt penetrare, vsque ad remotas partes: cuiusmodi est theriaca, Athanasia, Mithridatum, Ambrosia; quotidieque aliquid horum dabat. Laudant in hoc plurimi saccharum rosatum è purpureis confectum rosis vetus. Habet enim vt siccet, extergat, astringat, & non est calidum: vnde potest alijs dictis admisceri ad contemperandum. Laudatur & ptisana aliquando lactis loco. His ergo maximè alendi sunt. Quòd si alijs vti oporteat, austeris fructibus vtendum, & carnibus siccioribus: cuiusmodi sunt aues quæ montes colunt, & grandiores hædi, & biscoctus panis, & potus exiguus vini tenuis, albi. Hìc verò multum obfuit has curationes miscere, vt omnes faciunt: neque enim omnia in omnibus laudantur; sed & multa prioribus nocerent, quæ subsequentes iuuabunt; de quibus statim dicemus. Et sunt quibus febris iam adest, & extenuatio, sed non confirmata, id est perfecta, quę solida inuaserit. Hìc enim non modò vlceri attendere oportet, sed & febri hecticę, &

extenua-

extenuationi. Quamobrem lactis vsus exquisitissimus hic esse debet: Etenim concoctricem debilem habent; vnde facillimum cõcoctu, & familiare admodum sit ad restaurationem. In eo etiam administrando tantùm exhibendum, quantum bene cõcoquere possint ante balneum, quo in his est vtendum. Nam priorum medicamentum non est. Habent enim venas angustas, vnde nõ facilè distribuitur: itaq; plus sacchari datur, & potius asininũ eligitur, post humanum, quia tenuius. Cura ergo hæc longè difficilior erit ob indicationes cõtrarias: nam siccari poscit. At extenuatio siccitas, & febris humectari. Igitut vtriq; attendere oportet. Et primũ accipiemus cõmunia remedia, illa ex victu, quę posuim9. Tamẽ in vsu lactis sollicti plus erim9, vt bene cõcoquatur, nec in vẽtre fluctuet, & moretur.

De Pleuritide. Cap. XXXIX.

NVllus est morbus adeò decantatus, vt pleuritis. Etenim Hippo. libro de Acutorum victu, ferè huic vni dicauit priores, quando & eo vtitur pro exemplo in victu instituendo libro primo, & rursus libro secundo, priuatim curationem eius exponit ordine. Quod factum puto, quoniam frequentissimè euenit, multamq; inuehit difficultatem symptomatum. Nomen verò à costis est deductum, quasi costalem morbum dicamus. Latini verò à situ partis dolentis, vel doloris, lateralem. Vt verò sit nomen, quod per se nullum priuatim affectum significat, sed communem, institutione postmodum fit, vt particularem quendam morbum significet, vt & phrenitis, quem sanè definire oportet. Est autem, vt Galen. ait, 2. ad Glauc. Inflammatio membranæ, quæ costis subtẽditur. Cum verò dico huiusmodi phlegmonem esse, intelligo nõ solius. Nam vnà etiam & circumpositę partes inflammatur ob contactum, id est, musculorum intercostalium duplex illud genus: vt aliquando contrà euenire potest, vt phlegmone primã sedẽ habeat, in musculis, sed cõmunicet & membranæ. Semper igitur vel magis, vel minus membrana patitur: hinc fit, vt modò exquisitior sit pleuritis, modò minus, ex sede scilicet affecta. Tanto enim minus exquisita erit, si in exterioribus musculis dolor contingat. Sed neque dicenda talis, nisi ob similitudinem: tota enim natura diuersa est. neque enim definitione comprehenditur.

Ex his patet, quis nam affectus sit, quæ pars affecta: vnde innumeras ambages specierũ ponere inutile est. Aliæ enim omnes, dolores pectoris generatim dicũtur: pleuritides nõ dicuntur. Nos verò

pleuritim propriè deſcribimus. Cuius notas etiam nullo narrante, Methodo ex natura affectus, & partis affectæ accepta, facilè accipere eſt. Primùm igitur quòd membrana ſit, neceſſe eſt dolorem punctorium ſentiri: talis eſt enim membranarum dolor cum diſtenduntur, à materia in vno loco collecta; à quo etiam neceſſariò trahuntur, & diſtenduntur reliquæ partes omnes vicinæ, quòd villi omnes contrahuntur: vnde & dolor modò ad iugulum, modò ad infernas coſtas, quæ hypochondria attingunt, protenditur. Ita primũ ſignum ſumitur ex doloris ſpecie. Nam dolor affectũ ſignificat, ſpecies ſedem. Rurſus aliud ſignum ab accidentibus ſpiratione ſcilicet, quòd annexa ſit ſpiritalibus organis, neceſſariò vnà afficit. Fit autem ſpiratio parua, quòd æger cohibet pro dolore multum eleuare: atq; ideo fit frequens. Nam frequentia minimum percipit doloris: multum verò, ſeu multum eleuet pectus, ſeu velociter eleuet.

Superuenit, & neceſſariò febris ob affectus naturam: Nam phlegmone in vicina cordis parte conſiſtens, prꝫſertim ad aliquam magnitudinem aucta, febrem faciet acutam, & vehementem. Pulſus quoque à naturalibus bifariam euariabunt. Primùm quòd febris adſit, vnde velociores, & frequentiores fient, & maiores: ſic dicit de Conſt. art. ob partis verò naturam, quoniam neruoſa eſt, cum duritie, & tenſione. Pulſus ſecantis ob duritiem, & tenſionem fit, tertio de Cauſis. Nam tenſio arterijs quoq; communicatur, vnde ſpecies ea duritiei fit, quæ tenſiua dicitur, non quòd vaſa ipſa induruerint. De pulſu tamen quinto de Loc. cap. 3. ait, pulſos paruos facere. & ratio dictat. Quomodo enim vbi tenſa arteria eſt, plurimum attolletur? Hæc ergo eſt contradictio. Apertè enim de Conſt. ar. dicit, pulſant μείζον καὶ σφύττον. libro de Cauſis pul. Ob tenſionem, inquit, minor eſt, quàm febri conueniat. Igitur ſic ſolues: Sed maior eſt, quàm ſibi ſano conueniret; non ſic reſpiratio, quoniam voluntaria eſt, & ab animante prohibetur. Tuſsis quoque ſeiungi ab affectu non poteſt, quòd aliquid neceſſariò per membranam effluat ab initio, & ita pulmonem afficiat, vnde ad tuſsim proritetur: ſed non ſemper excreant. Etenim vel quia dura membrana eſt, vnde parum effluit, vel quia materia praua eſt & cõtumax ſolutu. Vnde fit vt proritare quidem poſsit, ſed nihil ſenſile educere. & tuſsis hæc ſicca dicetur. Hꝫc itaq; ſunt propria, & inſeparabilia ſigna, quoniam ex natura rei neceſſariò conſequentia ſunt, vt eſt monſtratum.

Cum verò phlegmonem dico, neceſſariò, niſi vox tranſmutatur cauſam eſſe ſanguinem dico, id eſt, materiam in qua ſanguis dominatur, quanuis modò ſincerior ſit, modò admiſtus magis alteri humori,

mori, necessariò tamen calido, & biliofo, vt Galenus scribit de differentia eius à pulmonia: quoniam crassi humores nequeunt membranam afficere. Quòd si dicas Galenus, & quinto de Loc. 2. & de Const. art. meminit pleuritidis pituitosæ, & Melancholicę; ergo nõ est verum, quòd semper à sanguine puro, vel biliofo fiat. Respondetur, vt ipse ait in de Const. art. cùm materia illa in musculos, & venas vicinas, vel pituitosa, vel melãcholica infarcta est, tum ex putredine quam acquirit ibi, tum ex dolore, quem excitat, accerset fluxionem sanguinis, vnde afficitur membrana, non quòd ab initio inflammatio ex eo humore dominante foret. Et hoc innuitur etiam sexto Aphor. 33. vbi ait Galenus, Non valde, id est, rarò pleuritide capiuntur pituitosi acidum eructantes, quoniam non est nata extendi his membrana. Sed possumus dicere musculos, & venas vicinas illum humorem continere; vnde erit phlegmone illa diuersa in suis partibus, vt biliosior in membrana, in alia parte poterit pituita, vel atra consistere. Galenus tamen videtur hîc fateri, posse à quatuor humoribus fieri, id est, ex eorum mistione dum naturã seruent phlegmones, id est, vt sanguis superabundet.

Gignitur verò hic morbus, vt omnes aliæ fluxiones corporis, vel ex interna causa, cum natura excrementis refertas habet venas, & de parte in partem transfluunt. Fluxionibus verò gignendis occasio est, tum externus calor fundens, tum frigus exprimens: vnde & Vere fiunt maximè à calore: Autumno verò exeũte, à frigore; vtroq; verò tempore excrementis scatet corpus: Verè quidem multitudine bonorum aceruata per hyemem: Autumno verò prauis aceruatis per æstatem. Sic quarto de Vict. de fluxione per Autumnum meminit in angina facta. Cùm itaque monstratum sit, quomodo pleuritis dignoscatur, nunc dicendum, quomodo eius causæ distinguantur. & maximè quidem distinctio est, cum expuunt ex colore, vt Galenus ait, Color enim naturam humoris significat. Sed & antea conijcere ex victu est, & ambientis statu, & modo doloris, & febris vehementia.

Quoniam verò quidam sunt affectus pleuritidi admodũ similes, vt qui multis signis illi cõmunicant; hinc fit, vt notis quibusdam distingui oporteat. Sunt enim dolores pectoris multis modis, sexto Aphor. Dolores pectoris quantum differant perdiscendum. Hoc enim tum ad curationem, tum ad præcognitionem facit. Primùm ergo accidit, vt musculos exteriores dolor occupet, ipsis inflammatis, vnde & spiratio. Similiter frequens fit, & parua, & febris adest; sed distinguũtur tussi, & febris magnitudine. Hic enim leuior est: & pulsu, qui hic durus non sentitur. Sæpe verò & dolor ad extima ten

dit, & tangenti, & prementi dolet; & demum suppuratio ad extima præparatur, & inciditur, vel resoluitur.

Est & alius affectus, vbi catarrhus cum febre multus est, & flatuosi sæpe dolores circa latera fiunt, & tussis adest. Hi igitur pleuritides non sunt, & concocto catarrho cessant. Distinguuntur sputi natura, quæ prorsus pituitosa est: distinguuntur & febris magnitudine: nam non est acuta vt pleuriticis: quanuis hi periclitentur ne in veram incidant pleuritim. Modum verò Galenus posuit in libro de Const. art. quòd ex dolore sæpe ad affectas partes materia trahitur; & processu fit phlegmone. Similis etiam est iocinoris phlegmone: siquidem in gibba parte constiterit. Habet enim signa omnia pleuriticis communia. Nam & dolor circa spurias costas sentitur, quibus alligatur, & febris acuta adest, & tussis, & spiratio vitiatur ob distentionem Diaphragmatis. Tussis verò succedit, quoniam exudat intra diaphragma nonnihil humoris, qua parte contingit. Distentio est, statim, vbi tussis humida adsit. Nam à iocinore humida non fit, quod exiguum est, quod traducitur. Præterea & malus color corporis comitatur, & dolor infrà hypochondria descendit. Quòd verò à pulmonia differat, pòst dicetur, maximè verò dolore, & siti, & pulsu.

Porrò iudicium primùm & maximè ab excrementis accipi debet: quòd morbus materialis sit. Excrementa verò in primis inspicienda sunt, quæ è pectore educuntur: quòd qualitatem materiæ morbi significant. In his ergo considerabimus, quę Hippo. numerat secundo Progn. Primùm, vt promptè, citoq; screetur: promptè inquam, id est facilè, & leuiore tussi, & breuiore. Ita enim benignitas humoris significatur; vt qui neque lentore inhæreat, nec crassitie: quibus aliquando præfocari ægros contingit.

Citò verò, id est, non longè à morbi initio, vt etiam primo Aph. 12. dictum est. Si sputum statim appareat, &, supple, reliquæ conditiones bonæ non desint; non solùm salus speranda est, sed & breui fore speranda. Citò ergo euenire, è conditionibus optimis est. Secunda conditio ex colore: nam rubra admodum salutaris est, quarto Epid. & 47. tex. sincera omnia mala, sanguine excepto. Tum quia humor benignus est, & simpliciora symptomata inuehere solet: tũ quia citò concoctionem admittit. Sed si biliosus humor multus adsit, siquidem sincerus sit, & non permistus, & temperatus alijs, malum significat, vt & si liuet, vel nigricat. Praui enim natura sunt hi humores; & cum sinceri excreantur, magnum eorum dominium significatur. Contrà, verò si sint alijs temperati, præsertim verò niger qui modis omnibus insalubris est, quia multo flauo peiore. Tertio

ex

ex modo ſubſtantiæ: Craſſa enim & glutinoſa omnia, mala: Contraria verò, quæ mediocritatem habent in craſsitie & tenuitate, bona ſunt.

Hæc ſtatim inter initia cum expui cœperint, conſiderantur: ſed procedente tempore, concoctionis notis ſecuritas ſignificatur; & notæ etiam exitiales apparent in his. Porrò diſtinguũtur coctionis notę in id, quod eſt nullas apparere, vel latẽtes & obſcuras, vel manifeſtas, vel perfectas. Cruditas ergo ſignũ neutrum eſt, quòd meritò ſui, neq; ſalutem, neque mortem ſignificat. Coctiones, vt Hippocrates ait, certam, citamque ſanitatem annunciant: quorum vis maior, vel minor eſt, prout magis, vel minus à cruditate receſſerint. Sed debiles, & manifeſtæ poſſunt hominem non ſaluare, ob vires defectas: quibus non poteſt ad exactas coctiones æger perduci.

Signa verò, quibus hæc obſeruantuur, hæc ſunt: ſi primùm ſcopum perfectionis ſtatuamus, ac conſideremus quatenus ab his diſceditur. Eſt enim velut via quædam in terminum, quo diſtantius à termino cruditatis conſiderare poſſumus. Sic primo de Criſ. & primo Aphor. diſcurrit. At exitialia ſigna ex excrementis, alia ſunt. Quę enim cruditatem ſignificabant, vt flaua glutinoſa, rotunda, vix excreata, ſolum neutra ex ſe erant.

Erat verò periculum ex morbo, & ſymptomatis ad vires comparando. At in his proprium, & per ſe ſignificatur periculum, vt ſi viridis ſit ſcreatio, liuens, nigra: igneá enim caliditatẽm exurẽtem ſignificat, vel materiam contumacem, quæ coctionem non recipit. At ſine coctionibus ſalus expectari non poteſt: ſed vt in ſignis coctionis latitudo erat, ita & in malis. Nam ſunt quæ praua ſunt, & periculum ſignificant, ſed leuius: ſunt quæ prauitatem nota dignam habent. ſunt quæ eximiam, quæ & lethalia dicuntur.

Cætera verò excrementa per ſe quidem de pectoris morbo nihil certi afferunt, ſed ex accidenti; quoniam illis adiuncta eſt febris, ideo vrina inſpicienda, tertio de Criſ. Ratio eſt, quia ſi mala ſit, communicari malum venis ſignificat, & prauam fieri concoctionem. Contrà, ſi bona. Sed non ſicut mala perterrefacit, ita bona ſecurum facit. Mala enim ideo terrorem infert, quòd alium morbum in venis adeſſe ſignificat, qui vires naturæ exigat. Vnde eſto quòd ſalua forent, quæ circa pectus, poſſet aliorum ratione perire: & hoc ſæpe medicos decipit: quòd non pendet ſemper ab apoſtemate ſolum febris: ſic enim eo concocto, omnia bona ſigna ſimul cõcinerent: ſed ab humoribus, qui in venis. Hoc autem ſæpe fit in prauis febribus, vbi natura abſceſſus malos facit, ad pectus aliquando, qui ſuppurari poſſunt manẽte cruditate in venis; cuius ratione pereat, vt primo

Epid. de his, qui parotidibus suppuratis peribant. Contrà fieri accidit, vt nullum malum indicium sit in vrina, attamen pereat æger ex malitia phlegmones. Hæc vis est vrinarum, & excrementorum alui. Quod verò eueniat fluxus ventris malum esse absolutè non est dicendum, vt Hippo. visus est dicere, sexto Aphor. Quid enim obstat ea via morbum iudicari, quanuis rarius eueniat? Cur ergo Mesues dixit, consueuisse euenire fluxum ventris, ideo pertimescit etiam clysmata? At Hippo. sexto Aphor. 16. laudat quoque potiones ellebori. Galenus in eo Aphorismo sententiam eam verificat, cum tanta est phlegmone, vt iecur & ventrem consensu afficiat: sed mediocres, inquit, sanantur ea vacuatione. Sæpe etiam fallunt medicum catarrhi descendentes; qui citò concocti expuuntur, & tamē materia apostematis restat. Distinguitur verò res hæc ex eo, quòd sputo eo non leuatur.

Num verò breui soluetur, an longius protrahetur, intra tamen acutorum terminos ex communi illa ratione præcognoscendi habebitur, quæ ex velocitate motus procedit. Nam si velociter morbus mouetur, nemo dubitat, quin citò etiam terminum attinget. Sin tardius, serius. Cognoscitur autem motus velocitas ex veloce eius augmento in symptomatis, & quòd citò apparent coctionis notæ, vt & Hippo. scripsit. Si sputum inquit, inter initia appareat, breuem fore morbum significat, id est, intra tertiam diem, non transcendet primam hebdomadam morbus. Sed quoniam non semper prorsus soluitur, sed aliquando in aliud genus transit, quod suppurationem appellant: ideo eius causa dicenda est, & quomodo conijciamus id fore. Igitur Hippo. secundo Progn. 52. hanc sententiam ponit. Si inquit, dolor perdurat & nullis auxilijs sedatur, nec etiam naturę ope per sputum, expectanda est suppuratio. Intellige, si nihil exitiale appareat, puta nec vires inualidæ, nec alia signa praua: sic enim mors esset expectanda. Ratio verò est, quoniam collecta est plurima materia in parte, quæ etiam cum non possit à natura educi per conuenientes vias, abscessum per faciliores partes molitur, disrumpitque membranam, nisi dicas disrumpi multitudine, & acritudine humoris distendentis, & eam erodentis. Nam in ea, quæ ritè solui debet pleuriti, semper excernitur, & excretio multo amplior fit in dies, adeò, vt multo plus excernatur, quàm influat. At in hac, seu nihil excernitur, seu exiguum præ multitudine, necesse est multum colligi, & tandem disrumpere.

Vidi ego aliquandò in tertia factam præ influxus multitudine. Et cum ex præcedente morbo vis esset inualida, prę̨focatus citò perijt. Tempus autem quo solet eruptio accidere, est à 14. die iuxta

Hippo.

Hippo. Quod intelligitur non purgari, id eſt, nô leuari purgatione: non quòd neceſſario omnes reliquiæ morbi intra decimumquartum ſint finitæ, ſed ſi non leuatur, Empycus fit.

Curatio primum victum inſtituere debet, iuxta præcepta Hipp. ad cuius normam & omnem victus rationem inſtituemus. habet autem primo libro maximè. Morbi igitur natura eſt, vt ſit acutus: ſed quoniam multa eſt acutorum differentia libro Apho. primo Aph. 7. ideo nô ſimpliciter pronunciare poſſumus, quibúsnam conueniat vnum cibi genus, quibus alterum, ſed diſtinguendum eſt. Duo autem maximè erant cibi genera, quibus vtebantur, ptiſana integra, & cremor: quare videndum, quibus alterum horum conueniat, quibus neutrum. Si igitur ſine periculo ſint, id eſt, omnia ſalubria appareant inter initia, neque maiore illis auxilio opus ſit, ptiſana vtentur. Qui verò fallacius, & maiore cum periculo; nempe quia morbus magnus eſt, vtantur cremore, ſed non antea, quàm remedia vacuantia adhibueris purgando, vel venam tundendo.

Nos igitur quia ptiſana non omnibus in locis paratur, vtimur cremore, tantum eius quantitatem attingendo, quanto imbecillior eſſe cremor videtur. Quare à morbi magnitudine ſumpta indicatio ne ſic facimus, quoniam hic morbus citò conſiſtit, & in ſuo vigore eſt. Mox conſiderat quantitatê Hippo. 20. & vigeſimo primo, Primò quoties dandum ſit, ſecundò quantum. Seruanda itaq; in ea re conſuetudo, & ita ad ægros, & ſanos Aphoriſmus ille 18. primi libri extendetur, ſemper intelligendo, ne aliquid impediat. Quantum verò dandum, dicimus & hîc ſeruandam nonnihil conſuetudinem quantum per morbum licet: attamen inter initia exiguam, & tenuê, id eſt, non tanti alimenti. Et animaduertite quòd Galen. ait, vigeſimo primo eſſe compertum menſuram oxybaphi ptiſanæ, eſſe mediocrem ptiſanæ modum, quo qui vtitur, neque vaſa præter modum inaniet, & aliquid dabit conſuetudini. Sunt autem circiter ℥ iij. quia inquit Galenus, ſolere eos vti ad ſeptimam & nonam, quòd ſcilicet vſque in eam diem morbi vigor extenderetur. Quem etiam modum augere vult, quo maior fuerit expurgatio: quoniam ſcilicet æger leuius iam habet, & declinat morbus: nam bifariam tûc iuuat, & quòd roborat virtutem, vnde melius pellit, & quòd madefacit os & materiam morbi, vnde prôptè expellitur. De tempore verò particulari morbi, nihil dicit, quoniam maximè fugit acceſsiones, primo Aphor. ij. Ideo in hoc morbo etiam deteriorem ęgri ſtatum quacunque diei parte fuerit.

Qui verò hoc cibi genus deteſtantur, quouſq; ad ſtatum vtebantur veteres, debebant aut meliorem inuenire, & vtiliorem, quod

non facient; aut saltem laborare, vt diligenter pararetur. Neq; adeò superstitiosi esse debemus, vt si ad apparatū leue aliquid desit, hinc prorsus repudiare debeamus: quin potius, & nos experiri nostrum hunc apparatum melius erat, vt & ipsi suum quondam sunt experti. Sed & eos, qui experti sunt, scimus cremore multa vtilitate vsos. Alia enim quæ parari solent ex amygdalis, vel pane, scimus serius descendere, & plus in ventre morari, vnde noxia esse. Præterea nec ad sputum promouendum facere, vt Galenus ait, Qui chondro, vel pane vtuntur, ptisanæ beneficijs carent. Præterea falsò insuauitatem accusant, cum modo, quò paratur, multò plurimùm suauior sit, quàm reliqua cibaria.

Potus verò sit mulsa aquosa, aut aquosum oxymel; præsertim si sputum difficile procedit. libro 3. sputum educit & facilem facit spirationem. De qua potione etiam manè ante cibum aliquid detur, vt sputum promoueat, & sit potio hyeme calida, ęstate teporem solum lactis habeat. nam frigidum obest. Hic igitur est victus vsq; ad statum. Sed si hæc fastidierint multùm, certum est alia dari debere, vt ex seminibus melopeponis, vel amygdalis. Et hîc maxima pars curæ consistit. Nam ex his erroribus plurimi pereunt. Vnde si vehementissimus sit morbus, & nihil expuatur, inquit trigesimotertio, nisi prius aliqualiter mitigetur præsidijs. Si quis dederit ptisanam, præcipites aget ęgros. Quod, inquit quadragesimo, accidit magis si quis alio cibo deteriore vtatur.

De qualitate sub qua exhibetur oxymel dubitatur. Inquit enim lib. 1. Hyeme calidum, Æstate frigidum. At lib. 3. etiam de pleuriticis loquens Hippo. inquit, Per quàm tepido: quod exponit Gal. id est maximè tēperato. Sed ibi loquebatur de potu eius, vbi nihil sit, quod obstet, sed bene sputum procedat: hîc verò vbi non procedit, & nihil expuitur. Nam coctioni calidum prodest, nocet frigidum. Sed neq; hyeme vult calido vti, ne siti & siccitate afficiatur. Ideo de natura morbi prius est distinguendum, antequam qualitatem instituas. Qui ergo victum instituit, maximè morbi vim spectat, cuius ratione, & quantitatem, & qualitatē cibi metimur. Vt verò morbus de cibo, ita & magnitudo morbi multū adimit. Hîc verò cōsideramus solum hanc indicationem, non respicientes virtutem. In morbo verò magnitudinem consideramus, quæ tribus capitibus comprehenditur: propria natura, ea quæ à statu, & quæ ab accessione. Ex natura itaq; morbi pleuritici, quòd acutus sit, de tenui victu significatur ex magnitudine quoq; superaddita de multo tenuiore, ex statu de tenuissimo respectu aliorū temporum. In accessione prorsus subtrahendum. Qualitas verò à morbi specie solùm. Tempus ab acces-

sionibus

sionibus, vt dixit Hipp. I. Acut. Tēpus inquit dandę sorbitionis, &c.
Primùm Hippocrates ipse de victu loquutus fuerat lib. I. In tertio pòst de instrumentis, quæ in dieta sunt vsui, mulsa, oxymelle, vinorum generibus, series exponenda est, qua in curādo vtitur. Mox ad Methodum quasi trutinam quandam eam expendemus. Curationem igitur doloris lateris à fomēto orditur, siue statim inter initia sit ortus, siue postea superuenerit. Exponit autē quid calida hæc facient: Dissoluent quidem, id est, materiā resoluent in parte contētam, cuius ratione dolor fit lateris. Bifariam enim fotus iuuant, inquit Galenus, & quia partem rarefaciunt, & molliunt, & sanguinem in halitum ducunt. Dicit autem Hippo. non absonum est tentare, an dissolui posſit, quasi velit, non semper spem esse, vt ijs dissoluatur; quin potius aliquando à fotibus deterius æger habet, & alijs remedijs est opus. Primùm igitur videtur Hippo. de pleuriti solum loquutus, vt Galenus vult. Sed quæ tentanda est, vt sic curetur? Quoniam sæpe adeò exigua est materia, vt neq; vacuatione indigeat, vel purgatione ante fotus. Nos verò ex 13. Metho. scimus phlegmonem quà phlegmone est, curari his, quæ resoluunt, & materiam in parte impactam per halitum digerunt. quod est tentandum primùm. Sic Galenus aliquando phlegmonas oculorum fouet, tentando, an posſit dissoluere 6. Aph. 32. & in libro de Ven. sect. Vbi verò malum increscit horum vsu, ad alia remedia se vertit, vt scilicet curatione causæ antecedentis vtatur, à qua phlegmone fouetur, & augescit. Cùm ergo materia pauca est, quæ est in parte, neq; in corpore errant superflua, fortè solummodo fotu dissoluetur. De hoc igitur primùm consultabimus ex his, quæ multitudinem excrementorum significare posſunt, seu in quanto, seu in quali. Mox si magna eorum copia non adsit, vtemur fomento, tentando tamen, id est, cum multa obseruatione, vt in oculis facere docet Hippoc. an sic humor dissolui posſit. Exempla verò fotuum quatuor sunt: primùm morsu prorsus caret, & tutiſsimum esse videtur, ex aqua calida. Modus verò applicandi ex vtriculo, aut bubula vesica sit, est commodiſsimus: quo etiam ad acutiſsimas, & biliosas valde pleuritides vtendum Galenus ait; quoniam à siccis, & calentibus proritaretur humor ille, quòd cōtrarijs temperari debet, ideo humescere, & mordentes humores morsu carentibus mitigari. Sed & quia tutiſsimum est, quod mitiſsimum, tutius eo in omnibus vteris, inquit Galenus, cum coniecturam de humore qualis sit certam facere non poteris, mox ad alia te transferre. Ad modum quoq; applicandi attinet, vt circunuestiatur linteo, quo calor plus perduret, neque halitus ad laborantis pulmonem feratur, vnà cum aere inspirato. Alia verò fomenta, primùm ex

eruo poſca cocto, vel hordeo, vt Galenus notat, humori glutinoſo, & contumaci vtile erit; vt ſi flatus adſint, & dolor ex phlegmone, cui multum pituitæ ſit, quoniam ſecat, diſcutit, & ſiccat.

Alia verò ſicca ſunt, id eſt, ſine humore admota, ex milio, & ſale, quæ ambo ſiccant; ſed hoc differunt, quòd ſal vim acrem habet, & pſus diſcutit, vnde & humori contumaciori conuenit, cuiuſmodi eſt pituitoſus. Milium verò ſolum ſiccat, ſanguineo magis vtile.

Sed quouſque hæc agenda ſunt? nempe quouſque morbum augeri his ſenſerimus, vt & in oculis Galenus facit. Statim igitur & Hippo. ad alia auxilia ſe transfert, id eſt, totius vacuationem. Cùm autem ea duplex ſit, hinc diſtinguit affectus, in quibus vnum magis vel alterum conueniat. Diſtinctio autem eſt ex loco doloris. Si, inquit, ad iugulum pertingat dolor vena ſecta vtitor: ſi ad hypochondria, purgatione. Quòd verò modò huc, modò illuc pertingat, dictum ſupra eſt, & cauſa, quoniam membrana ea, ſic per pectus extenditur. Si ergo materia proxima ſupernis ſit, eò pertinget; contrà, ſi infernis.

Eligit verò venam internam Hippo. quod hæc vt Galenus ait, reuellit celerrimè, & vacuat à partibus pectoris ſuperioribus, quam rem ex anatomicis habere oportet. Quòd ſcilicet vicinior ſit, & maiorem communitatem habeat cum venis, quæ ſuperiorem thoracis partem alunt, quàm aliæ, quæ in cubito ſunt. Hoc nititur Galenus monſtrare per diſſectiones. Cùm ergo in acutis morbis celerrima auxilia exigamus, hinc eam præeligimus, & ea non apparente, mediam. Mox de quantitate agit dicens, Tantùm ſanguinis auferendum, vt color permutari cœperit ipſius effluentis. Eſt autem permutatio hæc, vt ſi prius albidior colore ſit, vt in pituitoſiore habitu contingit, rubidior euadat, id eſt, pleniore purpuræ colore: ſi verò càlido ſanguine æger ſit, & purpureo, loco eius liuidus exeat. Iam enim hoc ſignum eſt detractionem eò perueniſſe, vt vacuaret ſanguinem circa partem impactum in exilibus venis, qui etiam eo modo alteratus eſt à colore phlegmones. Nam calor ita colorem alterat exurendo, quod apertè in febricitantibus videmus, & æſtate exercitatis euenire. Sed contrà quàm hîc; In illis enim ſępius mutatio coloris fit ad melius, propterea quòd ſanguis in extimis venis manens exuritur, qui verò in viſceribus benignior eſt, ita procurante natura in febribus, vt excrementitius ad cutem tendat; contrà, viſcera potiore fruantur. Præterea quòd exiguus eſt, & in exiguis venis facilè exuritur. Ignari verò medici cùm eam mutationem vident, Hippocratis exemplo ſiſtere volunt. At non eadem ratio eſt. Hîc enim plurimum educetur, priuſquam eductio ad locum perue

niat:

niat:itaque bonum erit ibi ſiſtere. At hîc quòd vacuare plenitudinem volumus,& non ſolùm qui in extimis eſt,ſed qui in viſceribus, itaque non ſtatim ſiſtere oportet. Quæ autem circa hoc dubitationes ſint,mox proponentur.

Subiungit mox alium caſum,in quo debetur purgatio : &eſt,vbi ad hypochondria dolor communicetur, id eſt ad ſeptum tranſuerſum,quod fit membranæ ſuccingentis ratione:Electionem verò auxilij hinc fieri Galenus ait,quòd eò vergant humores. Semper verò motum humorum obſeruari debemus,id eſt,vt in Aphoriſmo dictum eſt, quà parte natura vergit,eò etiam ducere oportere,ſi conueniens regio habeatur.

Medicamentum verò eligit pepliun, & helleborum nigrum, vel ſeorſum accepta, vel miſta inter ſe. Optimè autem admiſceri ait, quòd ęqualem habent purgationem, id eſt, tempore ſimilem. Admiſcet autem ea quæ odora ſunt,ſed & habent vim extenuandi humores,& vias recludendi:itaque & faciunt, vt minus lædat medicamentum,& facilius trahat & amplius.

Hæc igitur ſingillatim penſitanda : & primùm quod de fomento præcipit. Quod enim aliqui dicunt, applicari ad dolorem mitigandum, nihil eſt, & valde ſuſpectum eſt. Et nos iam diximus ſuprà non debere medicum niſi vacuatione, primùm lenire dolorem,aliàs maiorem excitabit. Hæc enim eſt natura fomentorum, vt non modò impuro exiſtente corpore augeant phlegmonem,ſed ſi non adeſt,ſæpe poſsint accerſere, vt vndecimo Metho. habetur à Galeno,cùm de medij corporis prouidentia agit. Vt igitur apertè Galenus innuit, tunc ijs vtemur, cum aut malum leue eſt, quòd æſtimamus maiore auxilio non egere:aut corpus eſt inanitum ita, vt metus non ſit,ne aliquid in corpore erret ſuperfluum.

Sed noſtra ætate vix fieri poteſt, vt credas aliquando talia eſſe corpora : ideo vſus eius ante vacuationes ſuſpectus eſt, neque aliquis modò auderet, niſi vbi dolor eſſet ſine febre. Rurſus conſidero diſtinctionem illam remediorum pro affectuum ratione, cur ſcilicet mouetur Hippocrates.& Galenus inquit, propter motum humoris,quem vacuando medicus ſequi debet, iuxta præceptum Aphoriſmi. Sed Aphoriſmus loquitur de natura aut expellente, aut mouente ad expulſionem, cui fauere vult medicum:Hîc verò tantùm abeſt, vt motui humores fauere poſsimus, vt potius reuellere ſit animus. Vnde potius videbatur ſi tendebat ad iugulum debere reuelli ad ventrem. Et contrà, ſi ad ventrem, ad iugulum. Sic enim augmentum phlegmones impeditur. Quare ra-

tio Galeni nulla est: & præceptum præterea suspectum esse videtur. Dicendum igitur Hippocratem vti deriuatione simul & vacuatione, quod conuenit, cum iam materia collecta est, & phlegmone partim est genita. Hæc autem debent fieri per proxima: quoniam cum materia impacta est, non potest à remotis trahi. Sic dicitur quarto Metho. deriuationem per proxima fieri. Nam, inquit, trahenti magis obsequetur, & melius, & celerius fiet. In hunc certè sensum dictum est sexto Epid. sexto, Dolorum proximum ventrem purgari oportere, & venam diuidi, scilicet dolenti parti proximam: ideo hic quoque obseruat. Sed dices, Quomodo deriuant hæc? Respondeo, ad proxima trahunt. Venter enim proximus est illi parti infernæ pectoris, brachium verò supernæ. Contrà, dices, si consideres vias, quas penetrare debet humor, è pectore ad ventrem, non videtur propinquum iter, imò remotum, & multò remotius, quàm brachij vena. Respondetur, partes, quæ se contingunt, sibi inuicem consentiunt, vt vna vacuata, altera quoque humorem remittat. Sic enim & in ischiadicis affectibus vtimur clysmate potius, cum si vias spectemus, æqualis distantia sit ad ventrem: quoniam nonnisi caua vena mediante, vacuare potest. Præterea, medicamentum partem vi sua attingit, & ab ea trahere potest. hoc non potest facere venæ sectio: ideo in ea exigitur communicantia quædam immediata, quæ non exigitur in purgatione: quoniam hæc attractio est propriè dicta, illa verò ratione vacui. Dices, cur in supernis vomitu non vtitur? Respondetur, nimis exagitat pectus, ideo commotione augebit malum.

Tertiò considero quòd Hippocrates aliâs dixit, quarto de Vict. qui inflammatam, & distentam partem medicamento soluere conantur, frustra agunt: quomodo ergo hîc vtitur medicamento purgante? Respondetur, Alia est materia loco impacta, alia parata, vt fluat. quæ impacta est, ante coctiones non potest medicamento tolli. quæ in venis adhuc, potest. Contrà, materia est sanguis in phlegmone; ad quid ergo purgatio? Respondetur, admiscentur multi alij succi, quos purgantes, corpus excrementis inanimus. Præterea purgatio etiam venas inanire potest, quoniam multum sanguinis serum attrahit. Sed quid est quòd Galenus præeligit venæ sectionem? Quanuis enim minus, inquit, proficiat in dolore inferiorum partium: attamen eius vsus, inquit, securior est, quàm purgationis, ob multa incommoda, quæ possunt in purgando euenire, quæ etiam ibi enumerat. Et Rases eum sequitur dicens, meliorem esse phlebotomiam. & sic hodie vtimur.

Conside-

Considerandus etiam terminus vacuationis quem ponit Hippocrates, donec color mutetur: & causam huius præcepti suprà diximus. Atque id sanè fieri potest, vbi vena proxima est affecto loco; aliter nimium inaniretur corpus: ideo in secundo casu fieri non potest, vbi inferna pars thoracis doleat: quòd, vt Galenus ait, nutritur à vena sub corde; ideo opus esset cordis partes multum inanire prius, quàm sanguis phlegmones vacuaretur. Aliam quoque considerationem facit Galenus circa hoc præceptum in libro de Ven. sect. dum inquit, Sanguis effluit; si secta vena propinqua est magnæ phlegmoni, expectanda est mutatio in colore, & consistentia. Est enim calore alteratus sanguis: Nam crassior, & colore magis fusco euadit. Cum ergo is apparuerit, signum, inquit, est transumpti in venam sectam sanguinis. Sed hoc inquit præceptum, non semper obseruari potest, non modò ob vires, sed quia phlegmone praua est, in qua adeò impactus est sanguis, vt nihil dimittat de materia phlegmones; vnde coloris mutatio non apparet. hîc ergo vires pulsus consulere oportet. Patet ergo quòd hæc deriuat & vacuat solum, iam aut prorsus factam phlegmonem, aut magna ex parte, neq; de reuulsione sola intelligi posse, neq; etiam in principio hoc fieri, sed iam facto morbo: quoniam inquit, si iuxta sectam venã, phlegmone magna est. Pręterea necesse est, nõ collectũ modò sanguinem, sed & putruisse, & ita calorem excitasse. Praua verò phlegmone est ob altitudinem impacto sanguine, vel ob humoris naturam crassam, vel viscidam.

Methodus verò curandi duo habet capita maxima, primùm, vt morbi augmentum inhibeamus, quatenus licet: secundum, vt ipsius, quod iam factum est, tollamus. Inhibetur verò augmentum remota causa, quæ est humorum influxus. Tollitur hæc his, quæ corpus vacuant, & reuellunt, vacuationem faciendo per contrarias partes, & longinquas maximè: & hæc est reuulsio, qua nimirum vtendum erit, vt Galenus ait libro de Reuulsione: Quæ ad pectus, retrahuntur ad manus, cùm humores maximè irruunt, quod est cum irruere incipiunt: & multi sunt, vt 2. ad Glauc. dicitur, & decimo Metho. vbi de Reuulsione loquitur. Ratio verò, qua inuenta est reuulsio, est hæc, vt vagos humores, qui per corpus pelluntur, & iam cœpere partem aliquam inuadere, aliò conuertamus, præbendo illis aliam vacuationis viam. Nam vbi natura senserit eam copiam per alium meatum leuari, desinet eò trãsmittere; aut parum transmittet, vt in eo tempore aliquando sola reuulsione sanari posſit affectus. Aperimus autem viam maximè longinquam, vt

Galenus voluit. Sic enim prorsus auertemus humorum copiam à parte, quæ affligi cœpit, & prohibemus affluxum: neque enim à longinqua parte facilè remeant. Est enim natura mouens, quæ facit malum, illi verò satis fit alia vacuatione: quare vbi fluxio incipit, & valenter irruit, & multa est, tunc vera, & sola reuulsione est vtendum: quæ scilicet solum causam respicit, & quod futurum est: parum curans de iam facto morbo, quòd exiguus sit, & facilè postea tollatur.

In eligenda autem vena, quæ est maximè & solum reuulsiua in primis rectitudinem considerat Galenus libro de Ven. sect. quin etiam reuulsio, quibus cathexin adhibetur euidentem affert vtilitatem, quibus non secundum rectum, contrarium. Et subdit, quòd & citissimam. Altera est, vt sit ad longinqua admodum: hoc est enim quod contraria interpretatur, vt sursum, & deorsum. Quòd si in reuellendo de alijs quoque contrarietatibus loquitur, vt antè, & retrò, dextrum & sinistrum. Respondeo, non sunt hæ verè, & simpliciter reuulsiones, sed aliquam vim reuulsoriam habentes, vnà etiam deriuant, & vacuant. Hac ergo vtemur inter initia, cum maximè irruit, seu fluxio extra feratur, seu intra corpus. Quòd si Galenus in sanguine profluente, cubiti venam secat, hoc est, post alia reuellentia auxilia, cum iam impetus ille sedatus est, adhuc tamen profluit. Nam & artus vincierat, & cucurbitulas apposuerat hypochondrijs. Hîc verò non quęrimus attrahere à parte, quoniam nihil adhuc impactum est, sed aliam viam vacuationis parare naturæ. Exemplum verò reuulsionis veræ, fecit Galenus secundo ad Glauc. cum fluxio in genu tendit, & subitò multum attollitur: significare volens materiæ incumbentis multitudinem, ex brachijs venam secat. Quanuis postea ex coniuge dicat fieri, seu reuellere, vel deriuare velis, intelligens de mista intentione deriuandi & vacuandi. Atque hæc est phlebotomia, quam aliquando præcipi videtis ab Auicenna, vt de Saphena fiat, quem sequitur Mesues: qui aliquando tantam auersionem moliuntur, vt non sint contenti vnà oppositione per longitudinem, vt & aliquando latitudinem adhibeant. Et hac ratione Rases quoque quarto Conti: laudat oppositi lateris phlebotomiam. Sed quia hoc dicit ex Galeno, patet quòd ipsi Galenum legebant in contrarium. Nam in eo loco apertè dicit oppositum. In hoc verò libro vult quòd si multus sit sanguis, fiat ex opposito, ad maiorem scilicet auersionem. Nos verò ex Galeno & Hippocrate semper reuulsionem secundum rectum facere volumus, si ea sola egemus, vt in maximis fluxionibus

Arabes legebant Galenũ in cõtrarium.

ex

ex longinquis maximè, si misto remedio, ex propinquioribus, vt ex brachio, sed semper secundum rectum: non quòd ex opposito etiam non fiat, sed serius. Et ratio est, quia aperta vena tali, mouetur retrorsum impetus humorum ab ea parte, quæ sibi respondet ratione rectitudinis. Sic enim consentiunt sibi partes corporis, dextræ quidem dextris, &c.

Succedit alius scopus deriuandi simul, & vacuandi quod impactum est, id verò debet fieri per proximas vias, ratione, quam heri adduximus: quoniam cum non facilè retrahatur materia, necesse est, vt aliqua vis attrahens adsit, quæ non nisi vacui ratione cum fiat, etiam ex proximo esse oportet. Sic enim vis vacui citò perueniet ad partem læsam. Et hæc est phlebotomia qua vtimur, cum sedatus est impetus, & morbus iam auctus, idque ex eadem parte. Nam similiter ex opposita, aut exiguum est auxilium, aut quod non citò sentiatur, sed serius. At nos velociter iuuari ægrum volumus in morbis acutis.

Quod mirandum est, Mes. qui cum ex opposito facere velit, vult expectare coloris mutationem. Videte quanti referat sine methodo legere, & transcribere. Prius enim totus sanguis pectoris hauriretur, quàm ad oppositam partem alteratus ille sanguis veniret. Contrà, laborantibus extremis à coniuge. Respondetur, in extremis membris hoc fit, quia aliter fieri nequit. Nec enim superiores venæ iuuabunt, quòd non trahere possint, & vacuare materiam iam impactam: neque eiusdem partis venæ incidi possunt, quòd læsa membra scarificanda non sunt, cum mista est curatio. Nam postremò, cum iam desijt motus, & vacuatum est corpus, etiam ad partem cucurbitulis vtimur.

Mes. erroris notatur.

Sed num præterea purgatione vtendum sit? Hippocrates solùm ea vtitur, vbi dolor inferna affligit. Galenus huic non repugnat, & fatetur vsui esse, sed non esse tutum propter febrem: propterea quòd non nouimus semper ægri naturam, vt se habeat ad purgationes & alia incommoda, quæ ibi narrat: ideo præeligit & hic venæ sectionem, quem sequitur Rases. Nos dicimus ex communi methodo, quarto Metho. & decimotertio, in cura phlegmones patere, quòd si æger vitioso succo abundet, esse etiam adhibendam purgationem: sed quæ minimè angat; cuiusmodi sunt leues purgationes, quarum multa sunt exempla, & multi ijs vtuntur: præsertim si morbus non prorsus constiterit, sed adhuc semper augeatur. Aliquando igitur ea vtemur, aliquando sat erit clysmate vti.

Galenus autem præeligit phlebotomiam reſpectu purgationis acrioris, quæ fit à peplio, & belleboro. Sed num vt in alijs phlegmonis, ita hîc vtendum repellentibus? Nullus eorum meminit, Meſue excepto, qui etiam titubat. Nec etiam noſtra ætate quiſquam ijs vtitur, rationem tamen non afferunt, niſi Auer. qui videtur dicere, illis prohiberi materiæ effluxionem, quæ aſsiduè fit per tenuem illam membranam.

Finis Prælectionum humani corporis particularium morborum, Domini Leonardi Iacchini Emporienſi Medici excellentiſsimi: Anni 1545.

LEONARDI IACCHINI

MEDICI EXCELLENTISSIMI.

Prælectiones anni 1546. in Nonum librum Rasis de Particularibus morbis.

De Cordis tremore. Cap. XL.



CTVRO de Cordis affectibus necesse est in memoriam reuocare quæ sit Cordis natura: vt quæ sit similarium temperies, instrumenti fabrica (instrumentum enim quoddam est), quis vsus, & quàm præstans. Ex his enim omnibus aliquid ad affectuũ curationẽ indicatur. Neq; verò vnamquanque eius particulam enarrando prosequar, sed eas, quæ magis nobiles sunt, à quibus scilicet maximè pendet opus, & operum læsio. Cor igitur quod ad propriam substantiam attinet, calidum temperamento est præ omnibus partibus: quod tactus indicat. Calidi enim & frigidi tactus ipse sit iudex, inquit Galenus, contra eos, qui rationibus certabant de calore pueri & iuuenis: imò fontem natiui calidi, de Vsu respir. & sexto de Vsu partium esse ait, nono Metho. 106. quinto de Loc. primo domicilium, sexto Epid quarto. Quam ob rem non sat est illi simpliciter calidum esse, sed semper feruere instar flammæ est opus. de Pul. vsu. de fœtus formatione. In siccitate verò, cũ eo musculi, substantia & colore, & fibrarum textura similes esse videntur, multum tamen eos excellit siccitate, id est duritie. Num verò simpliciter in genere siccorũ poni debeat, discordes authores video. Auicenna cõcedit, Galenus negat. Ego quoque humidius esse arbitror: & iudex est tactus ex mollitie maiore, quàm in cute scateat. Sat est quòd viscera omnia siccitate excellit. Cordis natura.

Structura verò quod ad primas eiusmodi est. Constat enim carnosa substantia, quæ multis fibrarum generibus adnascitur; vnde etiam à musculis distat, qui constant vno solum genere, & inuoluenti, & hærente membrana, & his membranis, quas auriculas vocant, & his, quæ pro operimento sunt vasorum, quæ ad cauitates terminantur. Magnitudo, & figura nota est visui. Cauitates duæ sunt, dextra maior, vnde & ea parte caro tenuior est. Sinistra minor, ad quas

quatuor vasa terminantur; ad dextram quidem caua vena, quæ in sinum illum sanguinem defert. Attrahit verò cor vacui ratione, & familiariū vi attractrice, vt sexto de Vsu par. ad dextram item vena arterialis, quæ sanguinem inde in pulmonis alimentum defert: vt continuum eius laborem compenset. Vena est, quia sanguinem cōtinet; arterialis, quia arteriarum more duplici tunica est contexta. Ad sinistrum sinum arteria magna, quam Aortam vocant, terminatur, inde proculdubio orta: deferens elaboratum sanguinem & extenuatum, spiritus materiā, & spiritu plenum in vniuersum corpus. συναναστομωσιν. Transitus verò à dextro ad sinistrum insensili via fit, vt elaboratior euadat. Huc quoque terminatur arteria venalis, quæ aerem è pulmone defert ad cordis refrigerium. Situs verò est in medio ad basim, cuspide, ad leuam deflectit, qua & pulsus sentitur: quā uis Galenus in sinistri ventris partem pulsum referat, quasi non & dexter pulset. Inuoluitur solida membrana non hærente, sed velut sacculo quodam, quam Pericardion dicunt. Ex his patet colligantia ad partes alias, ad pulmonem maximè per duo vasa, ad hepar per cauam venam, ad omnia membra per magnam arteriam.

Cordis situs.

Vsus verò primus, qui dictus est, caloris innati fontem esse, à quo omnes hauriant, vnde & actiones suas perficiāt; quocirca & eo affecto omnes malè afficiantur. quinto de Loc. primo. Est etiam ipsius operatio indefessi motus. Quàmprimum enim animal viuit, vsquequo moriatur, perpetuò mouetur; quam actionem arterijs quoque impartit, vim ipsis mouendi tribuens; quam vitalem appellant: quæ mouet quidem vt natura, non vt anima, id est, sine electione. Vsus autem motus cordis ferè dictus est, vt sanguinem attrahat, remittatq;, vt refrigeretur, & excrementa fumosa emittat. Idem est & arteriarum officium ad tuendum calorem, qui in partibus est. Sed hæc in libro de Pul. vsu, & respirationis satis sunt explicata. Ex his præstantia patet; quoniam quod ad vitam attinet, vsus eius omnibus præstat: quanquam cerebri opera meliora sint, nempe cognitio; sed ad vitam eatenus facit, quatenus motum efficit respirationis per musculos, quo priuatum animal ex cordis intemperie, perire est necessarium.

Cordis & cerebri opera.

Nunc de eius membri morbis agamus. Si igitur structuram solum consideres, nihil vetare videtur, quin omne morbi genus patiatur. Nam quo ad similares intemperantias, pati potest. Siccius enim multo euadit in hecticis: humidius in anasarca morbo. Quomodo enim toti communicaret intemperies, nisi cor afficiatur? de Ven. sect. de For. fœtuum 157. Sic calidam intemperiem in febre, frigidam in morbo senili. Similiter verisimile est, & phlegmonas, &

ædemata

ædemata pati posse, & instrumentales morbos, vt obstructiones, vel vacuitatem nimiam cauitatum, seu internarum, seu eius in qua mouetur.

Patitur & ex animi affectibus per consensum, & aliarum partium maximè ventris. Cæterùm authores de paucis morbis meminere, quòd vel antequam sentiantur in ipso statim initio interimant, vel non multò pòst. Sic enim Galenus inquit quinto de Loc. primo. Laborat verò & intemperie venenosa aliquando, vt in peste, vel aliâs venenis, quorum proprium est spiritum vitalem extinguere, aut inutilem reddere, praua facta alteratione. Sed vel ipsum quoque corpus cordis affici potest ex inspirato aere, vt in quadam peste, cuius Galenus meminit, tertio de Præsag. ex pul. 3. In qua pulsus à natura nihil quod sensile esset immutabatur, citissimè tamen mortes sequebantur.

Nos igitur de tremore agamus, ac primò videndum puid per vocem significetur. Expositores non distinguunt hoc, sed dicunt hos affectus sic se ordine tenere, vt primùm debilitas sit virtutis cordis, scilicet pulsatiuæ. Mox aucta hæc inordinatos motus faciat. Rursus aucta tremores, mox syncopem. Sed qui dicit debilitatem auctam facere hæc, non nouit, quòd debilitas virtutis motricis facit paruos, raros & tardos pulsus; nisi alia causa adsit simul, quæ inordinatos vel irregulares faciat. Imò si sit debilitas ex frigore, neque aliud impedimentum adsit, mouebitur exiguis, tardisq; motibus, & raris. Tremor non video cui succedere posit, vel pulsus. Præterea dicere hîc authorem syncopas quoque complecti falsum est; cum & diuersas causas prorsus, & diuersam curam habeat. Verum his mos est omnia confundere, & omnia sine ratione dicere, modò imaginari aliquo pacto posint; quanuis verisimilia non sint; sed neque qui sint hi motus tremuli, vel palpitationes exposuerunt. Græci idem habent tremorem & palpitationem. Sed quantum inutiles, qui neque definiunt, nec diuidunt, nec causas reddunt. Sola quædam Galeni verba, ne quidem declaratione addita inducunt. Nos dicamus palpitationis meminisse Galenum, qua multos laborasse ait; & nos sæpe vidimus queri de hoc symptomate. Certum est impropriè per similitudinem quandam dici palpitationes. Nec enim vt illæ ex flatuoso spiritu exitum quærente fiunt; neq; similem prorsus motum, qualem in palpitantibus musculis conspicimus, debemus intelligere; sed genere motus inordinati sunt, & in hoc palpitantibus similes, & inæquales, vt alij maiores, alij minores sentiantur, vt quidam aliquando quasi saltus appareat; vnde & saltum alij dixere. Tremor verò dicitur cum minores sunt pulsationes & cre-

bræ,pulſui languido,& crebro ſimiles. Sic enim externo tremulo motui ſimilatur:& hæc duo ſimul huius libri author comprehende re voluit,neq; ſimpliciter de debilitate agere,nec de ſyncopi. Nam de hac ſeorſum erat acturus, vt ſymptoma eſt acutarum febrium, quod & Galenus facit. Cum ergo hæc ſymptomata ſint in ipſius pulſatiuo motu:morbos à quibus oriantur inuenire oportet. Dicunt recentiſsimè ſcribentes ab omni eo,quod præter naturam cor afficit, fieri poſſe. Miror aliquando hominum temeritatem, & negligentiam. Quomodo enim à contrarijs cauſis id fieri poſsit, explicari oportuit,& bene perpendere, num omnis intemperies id poſſit efficere. Quis vnquam vidit hecticos, tabidos, ardente febre correptos,hæc facere,aut pati?aut quæ neceſsitas,vt calfactum,vel refrigeratum cor hoc ſymptoma patiatur,quanuis ſciamus ab omni intemperie facultatem lædi? Sed non ſunt hæc imbecillæ facultatis, qua talis eſt, ſymptomata.legebant hi Galenum, ſed minimè curioſè, ſecundo Aphor. 41. exolutio fit crebra ob vires imbecillas,vt illi cõtigit,qui cum exolueretur forti cordis palpitatione vexabatur,qui repentè obijt, vt illi, qui acutiſsimis cordis ſyncopis capiuntur.Intellige debilitatem,non cauſam palpitandi,ſed comitari palpitationem: quoniam ab eadem cauſa primum palpitatio, mox victa natura mors.Contrà,exolutio cum debilitate. Quomodo ergo cum palpitatione,præſertim forti?Reſpondetur,cum exolui cœpit,non cùm magna erat exolutio.

Ego igitur ex Galeno quantum habere poſſum, dico, in vnicam cauſam apud eum reduci, ſcilicet vim vitalem grauantem. Nam ſi vel cauſas,quas explicat,aduertas,vel remedia quæ adhibet, conſideres,omnes in hanc vnam reduci videntur. Fit,inquit,repleto cordis externo inuolucro aqua,vt impediatur cum attollitur,id eſt ita, vt non liberè attollatur. Nam in conſtrictione nonnihil attollitur, atque erigitur,quando & ipſius motum ſentimus, contrà ac in arterijs. Cùm igitur impeditur, fit, vt dum vis eſt valida,ad pulſionem concitetur eius, quod grauat; & ſaliat, quod palpitare dicitur: vel vt reſarciat impeditos motus vno maiori,vel vtraque cauſa. Quòd ſi vis ſit imbecillior,& paruos pulſus faciet:quod tremere dicimus. Impeditur verò ex repleto ſpacio, non ſecus ac arteriæ in mulieribus obeſis. Sed & curationes omnes apud Galenum hanc vnam cauſam reſpicere videntur: ſiquidem omnibus ſanguinem mittit, & extenuāte victu vtitur;quaſi infarctu liberare velit. Nam & hanc cauſam eſſe cenſendum, ſeu ſcilicet ſimpliciter copiam,ſeu vnà craſſitiem humorum,& lentorem. Illa grauat, & ita motum impedit: hæc tum grauat, tum oſcilla viſciditate obſtruit, vt liberè, & celeri-

ter

ter permeare non posſit in ventres ſanguis, vt in dilatatione, & con ſtrictione fieri debet. Sic ego obſtructionem ſiniſtri ventris ſubitò perijſſe quendam vidi. Alterum obſtructione arteriæ venalis ex huiuſmodi ſuccis facta.

Palpitatio & tremor.

Num verò à ſola intemperie tremores fiunt, & palpitationes? Galenus certè, aut experimentator alius, ſe vidiſſe non ait. Nam nec in magnis ardoribus hos motus videas, ſed magnos primùm pulſus, mox paruos, & crebros, & ſyncope affecti pereunt, id eſt, ſubitò cordis viribus ex eo malo cõcidentibus ob intemperiem, pereunt. Sed non debet hic tremor dici: neque enim quantumuis motus paruus ſit, deprauatus eſt motus, vt in iectigatione, ſed diminutus dicetur. Sic & frigidam intemperiem facere contingit. Quòd ſi paruæ ſint intemperies, pulſus, & reſpirationem variabunt præ ſui ratione, vt ex libris de pulſibus, & de difficili reſpiratione habetur.

Antipatri medici caſus.

Vide caſum medici illius quarto de Loc. vltimo. Num à venenis? Ego omnes naturas venenorum legens, ſyncopas quædam facere audiui, cordis palpitationem non audiui. Sic neque in his quæ per conſenſum ab alijs membris eueniunt. Hi enim affectus poſſunt quidem pulſus formicantes reddere, & cordis pulſum ad paruitatem, & raritatem ducere: quòd verò palpitationem faciant Galenus non meminit, cum de vteri ſymptomatis ageret capite penultimo: quanuis pulſus, quos vocant, ſentiantur. Vnde capite de Cardiacis, Aetius pulſus cordis inquit, magnos & vehementes habent. Dicunt (Mi batte il cuore.) vt in iratis, & timentibus. Quòd verò dicunt, ſyncopas non differre, niſi maioris & minoris ratione, falſum videtur. Nam tametſi ſyncope ad eaſdem cauſas aliquando ſequatur, cum maiores fuerint: attamen multas alias cauſas ſequi ſyncope poteſt, quæ palpitationes non faciunt, vt intemperies, & apoſtemata, cum cordis, tũ oris ventris: & omnino per conſenſum fit & à venenis, & à vacuationibus. Ipſi verò volunt ſemper in omnibus cauſis ante ſyncopas hæc præcedere, & ideo in hoc capite comprehendi: quod cum falſum ſit, eſſet etiam damnoſum. Alia enim eſt ſyncopas curandi ratio, ſiue imminentes, ſiue præſentes, vt ſequenti capite docebimus.

Sed Raſes has ſolas cauſas tetigiſſe videtur, duo membra faciẽs. Primùm cùm materia calida affluit, ſiue multitudine obſtruat, ſiue grauet: & hoc in prima parte capitis: ſecundum de ea, quæ ex cauſa in pericardio. Et quidem ſeptimo Cont. harum ſolum meminit, vt quis apud Galenum legerat; quem diligentiſsimè legit; quod alij non aduertunt. In libro diuiſionum videtur ponere ſecundam ſpeciem hic nominatam, eſſe ex debilitate prorſus, & ſic accipit tremo-

rem impropriè. Prioris igitur affectus signa ponit pulsus velocitatem & febrem, volens significare copiam calidi sanguinis circa ventres cordis: Vnde cor intemperatũ ad calidum febrem faciat. Quandocunque enim cor calorem conceperit, necesse est totum corpus permutari, & ita febricitare. Cõsueuit hic solum maximos casus, & præcipites ponere, quoniam non singillatim de vnoquoq; affectu agere intendit. Per hos enim & alios intelligi voluit & curationẽ. Galenus autem præter hunc casum meminit eorum, quibus sanis eueniebat, & ita materia non erat adeò calida, vt febrem faceret, sed sanguis crassitie, & lentore peccans, vbi alijs signis erit opus. Sed & prior alia signa habebit, scilicet sentientem æstum, respirationem viciatam, ad magnam, & velocem. At præter hæc, quòd à sanguine obstruente monstrabit anni tempus, quod Vere euenit, cum funduntur humores, & per corpus mouentur. Sed & copiam animaduertes in venis, quæ potius crudiorem sanguinem significet, ex ætate, temperamento, victus ratione, colore corporis, symptomatis somni, inappetentiæ, & aliorum de quibus in libro de Plenitudine agitur. De hac potius Galenus, vtpote sæpius eueniente & in sanis, & non præcipiti, vt curam suscipere posit: nam altera periculosior.

Signa verò euenientis ex aquositate in pericardio, sunt quæ ex Galeno: quoniam sine manifesta causa emaciantur, & tabidi fiunt. Sed cur id eueniat, non dicit. Aliud signum ex ægrorum relatione, quòd ipsis videtur quasi cor aqua innatet, & inde comprimatur, & deterius pulset. Causa verò emaciationis est, quoniam succedit hectica febris: nam ex cordis angustia febricula fixa necessariò oritur. Nam supercalfieri est necessarium, si non liberè attrahat aerem. Gignitur verò, & aceruatur auctis causis naturalibus, vt scilicet densa admodum tunica sit, multaq; humiditas circa viscus, vt in mulieribus plus aggregari accidit; & animalibus humidis, sicut ex dissectione patet. Paulus bene duas causas numerat; copiam solam, vel etiã feruorẽ sanguinis. Vnde facilis vtrobiq; erit agnitio: ab intemperie verò sola fieri ait pulsus, & respirationis alterationes.

Prognostica quæ ex aqua in pericardio, similem difficultatem habet cum hectica. Nam non dignoscitur affectus, nisi ex illis signis ta- Curatio. bis, quæ cum euenere, non est spes salutis: quôd si accidat à principio tale quid sentiri; victu siccante, & medicamentis vtemur, vt sint exiguo potu contenti, & exercitatione acuta ieiuni vtantur, in aere sicco degant. Medicamenta sunt Theriaca, Mithridatium, Gallia, & exterius quoque siccantia aromatica in sacculis, & ea odorent, vt cum acre ad cor tendant. Ignis quoque ex lignis aromaticis. Iu-

niperi

niperi, cypresſi, Pinus. Quòd ſi videatur, etiam medicamentis aquam purgantibus vteris. Attamen agnitio multum difficilis eſſe videtur. neq; enim ſatis ægrorum relationi fidere poſſumus. In cæteris verò ſiquidem multam genuerit materiam, intemperiem calidam, vel apoſtema; ſubitas mortes faciet, vt Galenus ait. At intemperies periculoſiſsima erit: ſed non ita citò occidet: ſed ſi nocet cordi, vt inſtrumento, quod neceſſarium eſt ſi palpitatio fiat, ſubitas mortes inferre poterit, crebra oborta ſyncope, vt Galenus ait. Verùm ſi magnam intemperiem non gignat, viuere diu poterit, vt Galen. recitat: quanuis breui vitam finiant, dum recidiuant. Cuius cauſa eſſe poteſt, quòd periculum eſt ne cauſæ magnitudine præfocentur: ſemper enim deterioris conditionis ſunt, tum quia ex affectu cor debilitatur, & quia ſeneſcunt; vnde reſiſtere ſemper pulſione non poterit, ſicut & apoplecticis euenit, & epilepticis, qui ſæpe euadunt, tandem ſuccumbunt. Omnes verò pereunt cum ſyncope: quoniam deſtruuntur cordis vires, ſecundo Aph. 41. Contrà ergo palpitatio cum debilitate virtutis. Dico quandiu cor debile prorſus non eſt, quærit pellere, tandem ſuccumbit: debilitatem nõ pellit, nec ſalit. Contrà ſecundo Aph. loco dicto, palpitabat, dum exolueretur. Reſpondetur, nondum ſyncopem pateretur, ſed exolutionem quæ ad reliquas partes corporis ſpectat debilitas, quanuis ab affectu cordis oriatur, vt de ſyncope dicemus. Videtur autem ętatis meminiſſe Galenus, vt monſtraret à ſanguine craſſo, & in frigidiore habitu fieri. Sed cur non vltima ſolùm? an quia non ferunt diu hunc affectum?

Curatio pro diuerſitate affectus diuerſa, & cauſæ, ſit. Primùm calidus, & feruens ſanguis in cauſa, ſeu obſtruat, ſiue grauet. Statim bene Raſes præcipit phlebotomiam. Eligit internam, quoniam confertim, & ſubitò vacuat à viſceribus medijs, vt Galenus teſtatur, ſecundo de Victu. Quantitas ad generalem artem referatur, & tempus, de qua in noſtro introductorio agemus. Abſtinet verò à vino, & frigidis nutrit: ſed in hoc affectu, nec etiam carnibus vtendum videtur, neque aliquo, quod ſanguinem augeat, vel feruere faciat: ideo ſatius erit frigidis oleribus vti, & fructibus. Potare verò ex oxyſacchara, vel ſyrupi de ſucco citri, vel limonum. Aer quoque alteratur omni ratione ad frigidum. Sed hoc poſtea ad intemperiei curam ſpectat, non morbi inſtrumentalis. Sed quia eam etiam curat Raſes ſimul, ideo & nos addimus.

Vtitur acidis malis: cuiuſmodi ſunt ſylueſtria. maximè hodie apijs vtuntur ob odorem. Medicamentum ſuſpectum ob ſpodium, quod nõ cognoſcimus, & camphorã, quam habemus, de qua multa

atteſtantur calidam eſſe. Iſti trochiſci ſunt alij ab his, quos Meſues deſcribit. Huc conferent epithemata cordi ex frigidis aquis, nymphea, acetoſa, bugloſſo, roſacea, aceto. Ceratum roſaceum. Et ſic habetis etiam curam intemperiei calidæ cordis: ſed exactius anno ſequente in cura maraſmi calidi, & febris ardentiſsimæ. Galenus verò qui affectum in his, qui adhuc ſani ſunt conſiderat (nam in illis hanc curam neceſſariò poneret) id eſt, qui nullo manifeſto alio ſymptomate præhenduntur; præter phlebotomiam, quæ multitudinẽ vacuat, victum quoque extenuantem præcipit. Eſt autem is, qui per cibos incidentes & extenuantes fit: cuiuſmodi ſalſa, acria, amara ſunt omnia, & acida, & cuncta tenuium partium. Eorum verò catalogum habes à Galeno lib. proprio, inſcripto de Victu extenuante; vt ſcilicet non ſolùm quantitatem cauſæ tollamus, ſed & qualitatem: ſiquidem duobus modis officere poterat. At ſi feruorem non induxit, ſignum eſt vtroq; modo officere, vtpote frigidiore ſucco. Medicamentis quoq; vult vti extenuantibus, vt oxymelle, vel acetoſo poto, vel etiam theriaca, vel diamuſco. Et hoc ſeu copia extra ſit, vel intra cor. Secundum cauſarum genus eſt ex aqua in pericardio, cuius curam nõ ponit Galenus. Nos diximus pauloantè. Hanc ſecundo loco attingere videtur Raſes, cum calidis & ſiccis curat: ſed non quibuſuis, ſed aromaticis. Ponit in forma trochiſci & electuarij. Vſus verò horum vtilis erit priuſquam maraſmus inuadat: nam pòſt, alia ratione curare debemus.

De Syncope. Cap. XLI.

DE Syncope acturis magis occurrit campus diſputandi. Primùm propter cauſarum varietatem, quas in pauca capita non facilè eſt reducere; & tamen eſt neceſſarium, ſiquidem ſumma cauſa quærẽda eſt ſemper apud Ariſtotelem. Remotæ enim propriè naturam rei non aperiunt, neque ab illis indicatio curandi ſumitur: cum ſæpe receſſerint, vt in ea, quæ ex ira, vel æſtu balnei. Præterea neq; exactè declararunt Scriptores, quid per eam vocem intelligant, & qualis ſit ægri ſtatus, & quomodo differant ea nomina ἐκλυσις, leipothymia, leipopſychia, ſyncope. Nam ſi hæc confundamus, magnam ambiguitatem faciunt. Vt igitur naturam huiuſmodi accidentis bene noſcamus, reminiſci oportet, quid per vires intelligamus, vt expoſuimus.

Quinto de Simpl. 8, De Vſu reſpi.

Rurſus quòd hæ conſiſtunt, & operantur calido innato. Nam vel earum ſubſtantia eſt, vel primùm inſtrumentum, vt Galenus ait, ſecundo

cundo

cundo de symptomatũ causis ad finem. Quòd si aliquando temperamentũ, primũ instrumentũ esse ait, cõcedimus: sed vt duplex temperamentũ, ita & duplex calor innatus, qui ex temperamento resultat, qui ex influxu. Tertiò pono, quòd hoc calidum in sanguine quidem fundatur, sed primum vehiculum eius est, qui spiritus vocatur vt Hippo. in libro de Alimento, & Galenus octauo de Placitis. Spiritus dicitur primum animę instrumentum.

Vnde sæpe & spiritus dicitur primum animæ instrumentum; intelligendo corpus illud, cum ea caloris mensura. Quartò, in memoriam reuocanda est huiusmodi spiritus natura, quam describit Galenus, sexto de Vsu. Substantia, inquit, tenuis, mobilis, leuis, imò leuissimum, & tenuissimum dixit tertio de Facul. ad finem. Vnde fit, vt continua sit eius generatio, & dissipatio necessariò. Vnde natura hoc prouidens, cohibuit densissimis tunicis, id est arterijs; quanquam ab his in omnes partes corporis dispergatur, & in cauitatibus contineatur, & per venas cum sanguine permeet, 5. de Simpl. 8. Ideo dixit Galenus xj. Metho. quòd quolibet momento euariat quantitate: semper enim absumitur. Eius verò generatio est ex vapore benigni sanguinis, sexto de Vsu. & septimo de Placi. & ex eo, quod inspiratur, id est ex aere, vt mistum quoddam corpus intelligamus ex aere, & vapore sanguinis, non quouis, sed qui maximè sit benignus, id est, non vitiatus. Talis enim ineptus est spiritus generationi. Hoc significauit Hippo. cum dixit in lib. de Alimento, Pricipium nutritionis, nares, os, guttur, pulmo, & alia perspiratio. Eius substantia. 6. de Vsu. Spiritus generatio.

Gignitur verò primùm & maximè in corde: sed & in arterijs, septimo de Placi. quanuis in qualibet parte pro sui natura alteretur: vt sit facultatis naturalis, quę in illa parte, idoneũ instrumẽtum; vnde & in cerebro sic concoctus, & alteratus animalis facultatis est instrumentum, & inde nomen habet. Ex his patet & quàm facilè dissipetur, & quàm velox eius generatio esse debeat, & quæ sit generationis materia, & quis vsus eius, scilicet vt calorem deferat, qui est virium substantia. Patet etiam quàm facilè alterabilis præ sui substantia, quauis alteratione, seu sola qualitate, seu etiam sibi admista substantia. Vnde Galenus, tales sunt spiritus nostri corporis, qualis ambientis nos aeris conditio, Primo Epid. primo 8. vt lucidus, mobilisq; ex aere Aquilonari: turbidus, & segnis ex Austrino: vnde Austri sensus lædunt, tertio Aphor. Hoc verò nomen spiritus assumpsit: quoniam mos est omnibus quæ impetu agunt, spiritum dicere, vt & anima nostra spiritus dicitur, & mouentes substantiæ cum sint sensui absconditæ: ita hic sensum visus latet, & impetum facit, mouetque, & mouetur per corpus ab anima, pro motionum instrumento, tanquam impellens quoddam: quod maximè in crisibus ap 5. de Simpl. octauo.

paret.Ideo Hippocrates Impetum faciens nominauit, cum corpus noſtrum in tres partes diuiſit,continentia,contenta, & impetum facientia nominans.His poſitis videndum quid ſyncope ſit. Definit ergo Galenus duodecimo Metho.quinto.ὀξεῖα κατάπτωσις:Paulus expoſuit: ἀθρόα. Dicit Interpres, præceps virium lapſus:intellige primùm & maximè cordis:continenter verò omnium partium, quæ à corde reguntur;vnde cordis affectus eſſe cenſetur,dein ceterarum: ad cæteras verò partes conſenſu quodam pertinere. Intelligo autem præcipitem,hoc eſt ſubitam,non qualis in his, qui marcore tenentur,contingat.Auic. priuatim caput facit, de caſu virtutis ſubitò;intelligens manifeſta cauſa,id eſt,ſine morbo præcedente; vt notat Aphor. Hippo. ſecundo,41.Sed reuera non eſt ſeparanda à ſyncope. Sunt enim cauſæ ſyncopes, vel obſtruentes tranſitum ſpirituum, vel præfocantes, vel ex eorum alteratione à veneno; & ſunt omnes ſyncopes cauſæ.

Syncopis deſcriptio ab Auic.

Deſcribit verò ſyncopem ipſe,deſtructio plurium virtutum, motiuæ,& ſenſibilis ob cordis debilitatem,hoc eſt,eſt affectus cordis, à quo ſequitur debilitas motiuæ, & ſenſilis:ſed prior definitio euidentius declarat. Nam affectus eſt cordis radicaliter, & eius ſymptoma. Quòd ſi virium lapſus ſit,facilè ſignis manifeſtabitur. Ex operationibus enim earum robur,& infirmitas; vnde pulſus erunt, vel inſenſiles,quos formicantes vocant;quia formicæ motum imitantur;vel exigui plurimum,languidi, inęquales, quarto de Cauſis pul. duodecimo. Sæpe & intermittentes,quod mortis aliquando eſt ſignum. Debilis quoque reſpiratio, aliquando & frigida:vbi acutiſsima eſt,morti proxima. motus deficit, ſæpe & ſenſus, vel valde obtuſus fit. Flos omnis faciei abijt:tum in figura vultus, tum colore. Demum hunc ſtatum deſcribit Galenus decimo Methodi, in illo iuuene, quem ſciuerat ſyncopen incidere, prorſus ſine pulſu: vix ſentiebat impellentem : refrigeratus totus non loquebatur.

Vt verò res melius intelligatur: lapſus hic magis, minusque ſuſcipit.Quanuis enim quilibet ſubitò fiat:at multa eſt differentia maioris, & minoris. Experientia id viſitur: Nam alij hæc accidentia omnia habent,& inter hos,alij mitiora,alij vehementiora, alij quædam horum tantùm,quæ ſymptomata â prioribus plurimum grauitate vincuntur. Igitur ſyncopen grandem affectum ſignificare voluerunt,terribilem, & qui multam mortis ſpeciem referat. Vnde aliquando expoſui, vt grandis ſignificaretur, quomodo vocem ὀξὺ capit Galenus ſæpe. Ego multos vidi, qui nihil à mortuis differre videbantur;poſt reuiuiſcunt. hoc videbis,ſi Scriptores legas.

Leuio-

Leuiores verò affectus, vel dissolutiones, vel animi deliquia dixere Græci suis vocibus. Aetius distinguit syncopen ab animi deliquio, per sudores syncopticos, quos dicunt, qui in syncope adsunt, non in lipothymia. Quòd verò & gradu ab his differat syncope, & quòd syncopes ipsius multi sint gradus, modò aperiam. Nam syncopas aliquas acutissimas nominat, secundo Aphor. quadragesimo primo. ergo alijs comparando. lib. de Ven. sect. quidam venam secantes ad tantū animi deliquium perduxere, &c. Hoc autem est comparantis, significare syncopen volens grande animi deliquium id est, virium lapsum. Nam id est anima defici, & vires labi. Sic & primo ad Glauc. μετρίας δὲ συγκοπῆς quasi alia mitior esset, in hoc genere alia, quæq; tamen grandis. & libro duodecimo, quinto, si non obseruant, neque grauent, syncopen non faciunt, sed vocatas lipopsychias, id est, animæ deliquia. Ipsi ergo euitantes equiuocationē leuioribus affectibus, qui & sæpe impunè eueniunt, lipotymiæ nomen imposuerunt grauioribus syncopes. Sic nos quoque distinguere debemus, propter Scriptorum sententias. Quod non aduertentes quidam, vt Auer. arbitratus est vacuatione Galenum ducere ægros ad syncopen: quod nunquam dixit ipse, vel Hippocrates: sed μέχρι λειποθυμίας. & sic rationes Auer. contrà Galenum non procedunt, vt aliàs dixi, cum egi de Febribus.

Auer. deceptus, cōtra Galenū temerè inuehitur.

* Nunc de causis agendum, vbi magnum Chaos causarum Galen. ponit lib. primo ad Glauc. & ita fieri experientia monstrat. Nam ad immodicas omnes excretiones succedit (vt à causis manifestis ordiamur) seu sanguis vacuetur, seu quiuis alius humor; tametsi noxia materia sit, vt de his, quibus aqua extrahitur; & qui vrūtur in empiemate. 6. Aph. 27. Et si abscessus rumpatur: vt Bellarmato, & vxori Boethi accidit. Fiunt & à multitudine ventrem grauante, seu sola multitudo sit, vel etiam materiei prauitas: vt in eo, qui bilem eruginosam euomuit; & omnino ex prauæ substantiæ cibis, vt fungis, fiunt, & ex venenis sumptis ferè omnibus. Fiunt ex doloribus vehementibus, non circa ventriculum solum, sed & circa partes valdè sensitiuas, vt in vulneribus circa capita musculorum. Præcedunt & comitiales morbos, & apoplexias: Vteri quoq; strangulatus comitantur. Accidunt & in paroxismorum initijs. Eueniunt & in statu, quibusdam etiam inclinante febre. Accidunt & in febribus acutis, malignis citra manifestam causam: vt quibusdam adhuc sanis statim irruunt. Comitantur crises laboriosas, præcipuè prauas, quæ ad necem finiuntur, vel periculum inducent. Accidit & ventris inflammationibus, & intemperaturis validis eius: sed & cordis omnibus intemperaturis, & post longas palpitationes.

Syncopis causæ perquiruntur.

Ex immodico æstu, vel frigore etiam eueniunt iter agentibus. ex vigilijs, inedia, exercitijs fortibus: vt qui fugati sunt in bello cùm currerent. Accidit & animi vehementibus affectibus. Eædem porrò genere causæ faciunt: si leues sint, leues affectus: si verò graues, grauiores, vt modò lipothymiam, modò syncopem facere dicâtur. Omnes verò hæ causæ non primò agunt, sed necesse est aliquo vno genere, vel pluribus comprehendi, quibus primò conuenit id efficere: eruntq; illæ primæ, & summæ causæ, quas quærere opus est. Videntur igitur vires concidere, vel quia grauantur nimium, & opprimitur vel suffocatur calor innatus, vel quia eius vehiculum, spiritus scilicet absumuntur, & pereunt; vel quia inepti fiunt ad actiones propter alterationem: quæ alteratio, aut est in qualitate euidenti, quia calfacti nimium sunt, vel siccati, vel refrigerati: vel occulta, quoniam à venenosa qualitate inficiuntur: vel aliter vitiosus est sanguis, è quo generari debent; vt si ex praui succi cibis sit genitus, vel in corpore corruptus, quod contingit in humorum corruptela. Igitur ad præfocationem pertinet, quæ in principio paroxysmorum euenit, ob id, quod calor omnis, & sanguis in viscera confluunt. Quòd si crudi sint, & frigidi, vt non citò, sed serò incalescant, præfocatio talis fieri potest, vt prorsus opprimat; si leuior, syncopem faciet. De hoc tertio de Cris. Similiter accidit hoc vbi magna phlegmone interna fuerit, vt in lipyrijs dictis, vt dicit Galen. de inflammatione iocinoris, vel stomachi, primo ad Glauc. Ad hoc etiam genus pertinet, quę per principum partium obstructiones fiunt. Nam calor innatus, vbi ventilatio prohibita sit, suffocatur, & perit. Sic apoplexiam comitatur, & comitialem prauum, id est, qui ad apoplexiam tendit, & illi est proximus: Opprimitur enim copia obstruente calor innatus. Huius generis est, qui ex humoribus frigidis os ventris grauantibus euenit: infrigidatum enim & molestatum ab his, molestiam quoque communicat. Omnis autem molestia communicata cordi, potest syncopem facere, ipsum debilitando. Venter autem communicat adeò, dicit Auic. ob vicinitatem, etiam ob sensus acritudinem, vnde valde molestias sentit. Alia causa est spiritus resolutio: resoluitur nimium tenuitate cum raritate corporis, & hinc fiunt syncope in quibusdam febribus, digesto à calore febrili spiritu: præsertim si sit æstas, & æstuosus locus: resoluitur & nimio motu primùm corporis, vt in exercitijs: præsertim quibus molle est corpus, & rarum. Vnde delirantes sæpe incidunt id malum. Resoluitur & ex animi affectibus, qui motus quidam sunt.

Hæc secundò de Symptomatũ causis.

Sed ex ira non proueniunt: nisi præfocatio accidat ex conferto motu, vel ex bile mota os ventris mordeatur. Resoluitur vbi paucus est

cus est

cus est spiritus in lætitia expansus: in consternatione verò metus intro latus, & frigidus factus opprimitur: ideo ad primùm genus pertinet. Resoluitur ex doloribus, dũ natura multo motu mouetur, vt opẽ ferat, vndiq; sanguinem & spiritum perpetuo mouet impetu sic ex morsu ventris. Resoluitur in vacuationibus immoderatis omnibus, quia vnà vtile quoque excernitur, siue sit vacuatio per naturam, seu per artem. Quòd si sit per naturam, vt in crisi, si laboriosa sit multùm, resoluit commotione multa, & agitatione spiritus. Sic in sudoribus, alui profluuijs, sanguinis fluoribus etiam in partu euenit. Alia verò, & tertia causa erat, spiritus alteratio: vnde vel ineptus fit ad opera naturæ, vel etiam inimicus: vt qui venenosam qualitatem acquisiuit ex ebibito veneno, vel ex mala aeris infectione. Ad hoc genus attinet euaporatio facta ex odoribus malis, vt cadauerum, & aliarum putredinum, vt qui in foueis tritici præfocantur, sic & euaporatio à matrice infert. Praua enim putredo in ea gignitur, & per multitudinem arteriarum multum cordi communicat.

Signa quæ monstrant, quę causa modo affligat, sæpius in promptu cuiq; sunt. Nam si causæ vacuantes præcesserint, scimus ad inanitionis genus pertinere, seu profluuia, seu dolores, vel animi affectus, vt lætitia, vel motus, vel inedia, vel vigiliæ, vel ambietis ęstus. Si immanifestæ sint non prægressæ, statim suspicio incidit esse succorum tenuitatem, & corporis raritatem: ideo naturam corporis contemplaberis: hoc enim tibi statim aperiet, vt si gracilis sit, calida & sicca præter modum temperies, quanquam nec sic syncopem faceret, nisi aliqua dissoluens causa iungeretur, vt febris, vel ambientis æstus nimius. Sed erunt hæc tales, quæ in alio corpore id non facerent; ideo in eas occasiones referuntur, ex habitu scilicet corporis. Si verò ex grauatione pulsus monstrant, habent enim proprias inæqualitates: sed si iam premitur multùm æger, & pulsus affectus ratione fiunt inæquales, conijcies copiam, & copiæ qualitatem, scilicet cruditatem, & frigiditatem humorum. Præterea & multa stomachi nausea præcessit, & cibi fastidium, & color corporis, vt Galenus ait, id monstrat. Quòd si ex apostemate, signa eius aderunt: si ex obstructione principum partium. hi verò subitò concidunt, vt ait Hippo. & in accessione signa habere non potes. Sed si releuantur ex pulsibus, hoc dignosces, vt Galenus in medico illo sensit. Si ex alteratione spirituum, si ab externa causa, ex commestis nota erit: si ex euidẽti aeris qualitate, similiter. Sed si ab occulta, si ab aere, communis erit multis: si ex corpore, vt ex vtero, aderunt eius propria signa, vt infrà.

Signa.

Prognostica autem hæc sunt, inquit Paulus: si affectus vehemẽs, & magna syncope, omnino peribit, nec est remedio locus: neq; decipiaris, quia aliquando ex conatu naturæ rursus reuerti videntur. Statim enim leui motu facto concidunt. Significabit prauitatem, quòd licet leuati sint, pulsu carent, vel exiguum, & obscurum habent; præterea neque color viuidus redit, neque sani facies. frigent quoque vehementer. Quæ verò significant propè aduentare pulsus, sunt, vt Galenus docet in libro de Venæ sectione: cum ad obscuritatem, & inæqualitatem tendit. Præterea antecedunt crebra animi deliquia vehementes illas syncopas, dum è lecto assurgunt, dum caput attollunt; sensus quoque hebetantur. Mortis etiam signum est, si calor non reuocatur. Ex speciebus verò, quæ per consensum, salubriores esse videntur: vt omnis per consensum affectus generatim.

Syncopes curatio.

Curatio in primis singula ex tribus capitibus accipit: & primùm de resolutione agendum. Distinguere verò curam oportet, quia vel imminet accessio syncopes, vel actu incidit, vel releuatus est ab accessione, sed non perfectè, vt facilè relabatur: & in his omnibus diuersam curam exigit. Nam si imminet solum, affectum summoueto, à quo incipit. Verbi gratia si ex vacuatione nimia, sistes, cum primùm aduentare animi deliquium senties, ex signis dictis. Si ex calore, educes ægrum: hoc sæpe euenit febricicantib. cubiculi ratione nimis calidi. Si ex odore malo, hunc tolle bonis, & vniuersum aerem alterabis. Si corpus, quia rarum est, & tenuibus succis resoluitur, non sines, quin ante accessionem cibetur, vt possit sufficere, idq; cibis, qui non facilè dissoluatur. Si ex animi affectibus, hos contrarijs mitigabis, nimium lætos, tristi nũcio: dolore animi afflictos, consolatorijs, & amicorum præsentia. Timor, qui syncopen facit, quòd insperato eueniat & casu, præuisionem habere non potest, vt fortè nec animi affectus.

Scopi syncopes curãdæ.

In summa scopi sunt, causas tollere, & dissolutionem quę facta est sarcire cibis; quod facilè fieri adhuc poterit, quia vires infirmæ hactenùs non adeò sunt. Si ex dolore affectus summouendus; si id facilè possit; si periculum instet syncopes, etiam neglecta tantisper causa, ad symptoma respicientes, solùm stupefacientibus vtemur. Hoc enim est propriè aduersus symptoma pugnare, non aduersus causam symptomatis. hæc libro duodecimo Methodi. Fugimus his in præsens periculum resolutionis, quam per se facit dolor ob commotionem in spiritu: per accidens verò vigilia, quam inducit; quæ & ipsa motus quidam est. his omnibus obuiam hæc sunt: Nam & dolore leuant, & somnum conciliant. Quòd si dolor

à causa

à causa calida sit, vt bile mordente, nihil oberit etiam affectui; vt eodem libro Galenus testatur: Nam temperat sua frigiditate bilis acrimoniam. Si sit ex fame, sæpe paulatim nutriemus, & leuibus cibis: contingit hoc in obsidionibus aliquando. Restituimus verò, quod antea resolutum est tum alimento, vt diximus, tum aeris temperie, tum alterando hunc prout oportet, tum etiam gratos odores adhibendo. Nam & aere spiritus alitur, vt diximus.

Hanc ferè prouidentiam exigunt, qui mox à syncope releuati in periculo tamen sunt, ne leui momento recidant. Nam & in his causas summouere oportet dissoluentes, & resarcire quod est amissum, tum cibo, tum aere qui inspiratur. Sed maiore negocio instare oportet, quòd maior est motus, & exquisitiore diligentia, quòd vires imbecilliores. Primùm igitur, si ex vacuatione resolutæ sunt vires, cum primùm releuatur: si cessauit, quod in multis euenit, vt sanguinis fluore, & ventris, tunc nihil circa hoc erit negocij. Sin persistent, tentandum est proprijs ingenijs succurrere: primùm auersionibus, non per vacuationes, quia non ferunt, sed frictionibus contrariarum partium, & vinculis. Iuuat & ad auertendum cucurbitulas affigere contrarijs, quæ recta respondeant, vt in sanguine è naribus hypochondrijs: in eo, qui per vterum, mammillis. Si ex hæmorrhoidibus non dicunt, credo ratione bona, quòd hypochondrijs. Nam ad superna traducere oportet, & in principia vnde est fluxionis origo. Sed quomodo sistere oporteat, priuatim suis locis dicendum est. Sed vt subita, & prompta remedia habeatis, si sit è naribus astringentia, & frigida fronti, & temporibus admouenda & per nares traijcienda, & facies frigida sæpe spargenda. Et si astringens sit, melius erit, vt ex myrti floribus, vel ligustri, vel rosarum etiam syluestrium, quæ sunt canirubi. Medicamentum quoque Galeni, quinto Metho. optimum est ad sanguinem sistendum. ex aloe, thure, albo oui, & pilis leporis. Si sit ventris profluuium, dicemus proprio capite sequenti, cum de cholera morbo agemus: vt de sanguinis profluuio ex vtero. Si verò ex sudore & digestione multa insensili, quæ euenit in febribus, his, qui tenuissimum sanguinem habent, & continenter spiritū, & raro admodum habitu sunt; tunc similiter profluuium sistere oportet, idque astringentibus, & vnà frigidis: aerem alterando, tum aqua inspersa, & sæpius aere flabellis innouato, & admisto aceto, & aqua rosacea: etiam stratum sternere germinibus frigidis astringentibus, vt & cubiculum irrorando ijsdem. Similiter & vnguentis eius corporis habitus densandus, quæ astringant.

Præterea non mouere eos, ſed iacentes in omni quiete habere. Iuuat verò ſæpe extremis refrigerantia adhibere, & pectori frigida epithemata, & vnguenta, maximè ad cordis regionem. Frigus enim denſat, & ſiſtit, & craſsiora reddit quæ tenuia ſunt.

Quomodo verò reſarciatur quod reſolutum eſt, patet: quoniam prima materia ſpiritus generandi eſt ſanguis bonus: ideo vt hic reſtituatur,, procurandum eſt. Qualis debet eſſe cibus, Galenus exponit, id eſt, qui non promptè diffluat, id eſt, à quo ſanguis ille adeò tenuis, & difflabilis non generetur: Et dat exemplum de alica, quæ fit ex Zea, cibarium ex farre, & cibi aſtringentes, vt fructus, & panis. Contrà, ea, quæ tardas habent excretiones, ſerò quoque nutriunt. At hîc veloci reſtitutione eſt opus. Reſpondetur, Non eſt hîc tanta neceſsitas, quando releuatus eſt, ſed datur ſpacium concoquendi interim, vnde hoc eſt interim mederi affectui, qui eſt ſuccorum tenuitas: ſic enim craſsior redditur maſſa ſanguinea. Aliud eſt cum ſyncope acceſsit. Cum verò iam validior redditur, etiam validioribus vtetur.

De vini potu Galenus dicit, his vinum aquoſum dari: ipſe verò paulò antè eodem libro vniuerſim in omni ſyncope vult dari flauũ, & quod celerrimè in corpus ducatur, vt ſcilicet celerrimè nutriat. At hoc & exiguum nutrimentum præbet ἥκιστα τρέφει. & non ita celerrimè, ducitur, vt tenue flauum. Auicen. his dari vult vinum nigrum craſſum, auſterum. ratio eſſe poteſt, ob quam Galenus quoque his auſtera poma dedit, vt languidas partes firmaret, & aſtringeret corpora. Paulus in hac cura vinum aquoſum accipit. Reſpondeo, aliud eſt in acceſsione, vbi ſolum cõtra ſymptoma pugnamus. Aliud extra, vbi etiam cauſam reſpicimus. Loquebatur Galenus prius in omni acceſsione, hîc verò extra eam.

Quoniam verò communiter in his affectibus celeri nutritione eſt opus; ideo & aqua carnis vtimur, quam quidem gratiſsimam ſic cõficimus. Capos non ſaginatos capientes, & irrorantes, dum aſſantur aqua roſata, & aceto roſato, vel ſucco granatorũ, poſtea exprimimus. Si etiã febris abſit, loco aceti vinũ flauũ admiſceas. Quantitas ℥ ij. cum modico vino. huius generis eſt vitellus oui. Vino Auſtero craſſo vtitur Galen. influxu ſanguinis è naribus: quoniam tenuior calore, & fuſione poteſt affectui nocere. In cæteris calidum, & tenue præeligit. hîc quoque extra ſyncopem eſſe intelligit. Nam in ea eſt alia ratio. Si enim vinum dandum, tenue & calidum dandum. Sed num actu frigidum? Galenus in hoc reſpicit conſuetudinem & aeris temperiem, & corporis naturam calidam, vel frigidam, & ſic calidum, vel frigidum propinat. Vbi nota quòd veteribus

rib. mos fuit temperare vinum calida, vnde Horatius, Quis aquam temperet ignibus; & Britanicus in calida venenum hausit. Nota etiam ex Galeno conditiones, quæ faciunt abstinere à vino, scilicet febris ardens, cruda, quia concoquendis succis iuuabit, xj Meth. lędet aliter calore, fusione, vt & si adsit apostema, quoniam auget illud. Sic si delirium instet, vel capitis dolor grauis. Auic. addit & si resolutio ex inedia non sit: lædit enim merum iuuenes ob id, quod neruos lædit, vnde spasmus, vel delirium: eius loco aqua carnis semper & in syncope, & extra, vel simul admista. Si ex morsu ventris, vbi affectum curaueris, ijsdem vtitor. Debet enim interim causa tolli.

Nunc ad syncopes accessionem veniendum, in qua præsidium ferre ratio dictat. Hi ergo bifariam sunt, vel enim adeò oppressi, vt nihil possint capere, vel vt possint; qualis erat ęger libri decimo Metho. Primo modo erat Boethi vxor. Hic verò primùm generalia proponemus in omni scilicet accessione, & sunt excitatio (est enim velut torpor quidam facultatum) prohibitio resolutionis, & quanto citius fieri potest restauratio. Galenus ita eos tractat: primùm frigida faciem spargit, & est remedium mulieribus vsitatissimum; quo passim in quaque syncope vtuntur, & experientia videmus excitare. Sed expositores cum legerent hoc apud Auic. non excitandi gratia fieri credidere, sed densandi, ne scilicet exhalent spiritus, sed detineantur. facies enim ea est, ad quam multi concurrunt. Sed prior ratio sanior est, quoniam maximè sensilis pars, & neruosa; ideo subitò illo occursu maximè commouetur, & spiritus ad eá vertuntur; siquidem omnino his destitutum cor non sit, aliter peribit. Assiduare igitur oportet, donec excitetur. Secũdum remedium est eos nomine compellare ad aures, donec excitentur. Nam ex sono feriente vis sensitiua aurium excitatur, & reuocat spirituum mensuram, & caloris. Subdit Galenus, & nares apprehendere similiter ad excitandum in cura vxoris Boethi. Addit, & odorata naribus admouere, quæ ea sint non scribit. Hæc verò tum ad vim euigilandam tum ad spiritus restaurandos faciunt, quæ tamen hoc casu eligi debent, quæ grata illi esse solent, vt vim animæ alliciant, nec refugiat. Vinum ergo maluaticum, aut aliter maximè odorum conuenit. Auget verò vim eius, si tostum panem assumas calidum, ac perfundas: quòd si fortiorem odorem velis, etiam acetum acerrimum rosacea temperatum, & garyophyllis, & sandalis similiter offeres, & in faciẽ irrorabis: quòd si camphoræ gr. iiij. addas, vehemens erit odor, & gratus. Sic & aerem totum cubiculi odoratum reddes ex rosacea, & garyophyllis. Componuntur quoque poma ex speciebus epith.

cor. cum ladano, sed reuocatis deseruiunt magis. Prodest verò ad excitationem, artus confricare, & ventrem. Artus quidem, vt calor rursus ad externa redeat; qui ob paucitatem in cor erat retractus: idq; si ad brachia fiat vino calente odoro, optimum erit. Sic & in historia Boethi Galenus facit. Ventrem verò odoratis confricat, vt erat quondam nardinum vnguentum: ego potius nostro spicaceo vterer. Nam iuuare sæpe vidimus ventris affectus. Hoc fit, vt ventrem roboret, qui sæpe lędi solet in syncopes affectu ex confluxu bilis, & sine ea affligi cordis consensu. Præterea cum valido sit sensu, eius contrectatio ad euigilandum facit. Sed quid iubet, vt vomat? an quasi humor in ventrem confluxerit? At hoc accidentarium est. Neque enim ex ventris morsu, vel dolore statuimus syncopem euenisse. An similiter vt excitet, nauseam excitando? Nam nec vomitiua dat, hoc casu, sed proritat solùm: similiter ad excitandum postrema sunt, quæ sternutationem mouent, vt zingiber & piper.

Prohibere autem ne amplius resoluantur, fiet, remouendo externam causam, si adsit, vt calor aeris; & alterando. Præterea & auersiones ad vacuationes faciendo ad contraria, quanuis sisti soleant, sudore excepto: imò hîc augeri ex debili contentrice naturali corporum, vel etiam raritate. In sudore igitur vtemur his, quæ ad præuisionem diximus.

Cum verò à syncope releuatus est, causam, si adsit, respicere oportet: vt si dolor dissolutionis causa sit, tunc dolore ægrum leuare est opus: nam recidet. Si igitur perstat, sedandus est. Sedatio verò doloris trifariam fit, quinto Simpl. 18. Vel enim causam tollendo prorsus, vel paregoricis, id est mitigantibus, vel lenientibus; cuiusmodi sunt primi ordinis calida fomenta, vt ex anetho, chamæmelo, meliloto; quæ & propriè relaxantia dicuntur. Remittũt enim quod tensum est, laxant quod adstrictum, calorem augent, vt concoquat, extenuet, & aliquid digerat. Vis ergo eorum est, non ad causam tollendam, id est materiam, sed affectus, quibus dolor fit maior: ideo dicuntur doloris mitigatiua, nec dicuntur causam respicere.

Tertius modus est per stupefacientia, & sunt quæ sensum tollunt: ideo ex accidenti dolorem. Nam dolorem comitantes affectus, deteriores sæpe reddunt, cum constipant, & causam rebellem faciunt, quòd frigida sit. Nam si calida, acris, mordens, non lædunt (quod ad causam attinet) lædunt tamen partem, quòd spiritum, & calorem restingunt. Hæc duodecimo Metho. 8. & etiam quinto Metho.

Vtrum

Vtrum igitur horum modorum eligere debeas, sic distingues. Dicit Auic. si est syncope, causa materia, id est, quæ ex materia proueniat dolorem faciente, tunc si potes ipsam vacua, id est, causam tolle, vomitu inquit, clysteri, vel phlebotomia, cum scilicet à syncope est releuatus. Verùm id videtur fieri non posse. Nam virtus est debilis necessariò, ideo vacuationes non admittet, id est, venæ sectionem, & purgationem: ideo dum sic manet vacuatio tentanda non est, sed cum à symptomate reficitur: At non nisi sedato dolore. Semper enim dissoluetur spiritus. Quòd si dicas, Quomodo debilis, stāte sanguinis copia in venis? à sanguine enim vires. Respondetur, non esse necessarium, sed primò à spiritus copia (non enim semper vires simul augentur vt in libro de plenitudine. Vnde & Gal. cum de synocha loquitur, quam fieri ait in bono habitu, & multi sanguinis cum sanguinem vult mittere, addit, si vires ferāt). Stat enim cū sanguinis copia, spiritū multum vacuatum, vel alteratū, vnde vires labant. Eo itaq; casu stuporem membro inducemus. Varia est materia, sed quibus vti soleo, sunt philoniū vtrunq;, pilulę de cinoglossa, theriaca noua, id est, quæ 6. mens. nō excedat, vbi adhuc opijvalentē vim habet. Gal. 4. mensium exhibuit, vt magis sisteret. Dosis horū ad ℈. vsq;, si corpora robusta sint natura, & calore. si languida, hoc minus. In pueris ciceris forma. Quod dicunt auellanę magnitudinem, intelligunt tres ferè fabę nostrates, mediam, ciceris, scrupulum. Philonis verò medicamentum fortius. Nam in hoc maximè inuentum vt restinguat, sistat, somnum faciat. Est descriptum à Galeno, & aliud Nicolao, quod Romanum vocant. Basis medicamenti est opiū, nigri papaueris succus, qui in Thebaida, Ægypti regione, est valentissimus. Quòd si membrum ignobile sit, etiam extrinsecus imponi poterunt, vnde non toti stuporem, sed parti inferemus. Hoc modò vsus aliquando sum ratione viam monstrante, cum quidam dolore & febre premeretur. Nam febris stante dolore, curari non poterat ob vigilias: dissolui autem ex vino cum croco, & castoreo. Quo facto, cum æger iam firmior viribus sit redditus, eum vacuabis. Sæpe verò fit, vt simul & aliquantisper causæ attendamus, & vnà sopiamus: vt cum in validissimo dolore viscerum, medicamenta purgātia propinamus cum opio, vt in ventris dolore valido: sed de his pòst loco suo. sic & in dysenteria. De reliquis causis, vt vacuatione immodica certum est, quòd retineri debet, si sequatur: & nos diximus quasdam spontè deficere, sudores verò prosequuti sumus. Si animi affectus est, aut contrarijs est sedandus, aut monitorijs præceptis est vtendum.

Vbi verò timor, ne eueniat, ad causam maximè respicere, eam tollendo. Tollitur verò proprijs remedijs, quæ in his affectibus sanandis sunt enumeranda. Sic etiam Auic. dimittit, & dolor si est similiter sedandus, primùm tentando causam remouere, aut per paregorica: sin autem incipit refrigerari, & paruus pulsus fieri, stupefacientibus est vtendum. Si ex febris vehementia, ad ipsam refrigerandam accedemus.

Erat secundum causarum genus seu caput, ea, quæ calorem suffocant; aliquando sola copia in viscera irruente; aliquando & ea frigida; aliquando non, quòd copia sit, sed quia exilis est calor, vt æger lib. x. Meth. Causę verò sunt, quòd vel ex victu in visceribus aceruata est, vt ijs, qui crapula vtuntur, & in ocio; sæpe verò intempestiuè exercitantur, vt humores fundantur crudi, & viscera petant: sæpe ex retentis vacuationibus. Videte causas copiæ libro proprio. Ad hoc genus pertinent obstructiones factæ in membris principalibus, quæ ex eiusmodi materia. Historiam huius habui Lucæ, vnde multum sum lucratus. Erat autem in iocinore, & crebrò exoluebatur. Fit & ex confluxu confertim facto, vt in timore, & febrium principijs. Vel ob prauitatem, vel caloris inopiam in resolutis, vel apostema. Ex apostematibus autem magnis, vt quarto Aphor. quadragesimo octauo.

In huiusmodi generis curatione eędem intentiones fuerint. Prima causam remouere, id est multitudinem, secunda euigilare, tertia calorem extinctum restituere. Primùm verò & secundum scopum explent, quæ euigilare faciunt. Retrahunt enim ad externa humores, qui in viscera ferebantur, & qui manent. Id faciemus per eadem ingenia. aqua tamen non inspergimus, vt monet Auicen. sicut in superiori: sed extra vehementius fricabimus, & vomitum proritabimus. Nam sæpe crudorum copia in eo est, & ventrem odoratis inungemus, & nares, quorum copiam accipite. Hîc enim calidioribus vtendum, vt calfaciant, oleo inquam iasmino, bengiuino, styracino. sunt enim hæc acriora. Hîc quoq; sternutamenta magis iuuãt.

Sic ex cordi calida epithemata adhibemus, vt melissæ, & sansuci aquam, cum vino aromatico, & speciebus calidis, vt sunt species diambræ, & calida actu apponemus.

Tertia intentio calorem extinctum excitat, & restituit. Quòd si spontè sua fiat, vt in febribus, laborandum non est: sed febris curanda remedijs proprijs. Si non fiat, sed adhuc langueat, vt in timore & causa tollenda est, & cibo, & potu calido sanandus. Sic si fit oppressus calor ex dèbilitate: quanquam præstabat antea id fecisse, vt libro decimo Galenus ait.

Si verò

Si verò ex inflammatione, vel febris malignitate, Galenus abstinere iubet prorsus, & euigilantibus vti. Nam si dederis, inquit, neca bis: quanquam exitialis affectus non debet à medico tractari. Si verò ex crudorum copia, hîc varius esse videtur, primo ad Glauc. abstinet cibo, & vino, potat incidentibus medicamentis. At libro duodecimo, cibum & vinum damus, quo periculum in præsens euitemus.

Dubitatur & de inflammatione: Nam perpetuò accidentibus, vires præseruantibus vtendum est, & dandus cibus. Respondetur, cum dicit abstinendum, in copia rectè dicit, indicans causæ medelam, non symptomatis. Itaque distinguendum est, prout in accessione est, vel extra. Signum quòd hoc velit, quoniam subdit dandum oxymel, & melicratum in quo hyssopum sit incoctum, vel origanum, vel pulegium: & sunt remedia, quæ ad hunc affectum Galenus affert, quæ causam respiciunt, & ita vtilia quando à syncope est excitatus. At in accessione cibi aliquid offert, si potest, & vini, duodecimo Metho. Contrà; affectus eget detractatione. Imò errant, inquit, grauiter, qui his, qui ex dolore, & morbi magnitudine deliquium patiuntur, cibum offerunt, sed potius detrahendum est, secundo de Vict. 48. Respondet ipse, concedo; sed id facimus, vt periculum euitemus, & hoc annotauit Auicenna cum ait, Et non cogas sumere cibum, nisi vinum, quoniam à syncopi cogimur: & recitat curam affectus itidem vt Galenus, & recitat Galeni verba, quòd multi ab ignaris medicis pereunt, dum robur addere viribus volũt, & præfocant. Patet autem quòd vinum calida mistum dari debet, nisi æstus impediat. Quæ autem sit integra affectus crudorum curatio, si febris adsit, in libro de Febribus habendum; & est speciale caput de syncopali humorosa. Si verò absit, horum curatio, dum ad huc malum non creat magnum, ad quartum Tuendæ sanitatis spectat: si syncopem affert, ad hunc locum. Contrà, si accidentia vires deijciunt, dandus est cibus, primo Aphor. 8. Respondetur tantùm vt remedio sit, non vt sanguinem & copiam augeat: & vbi euitauerimus periculum, ad abstinentiam reuertimur. Contrà, cur non vbi inflammatio? An duplex est periculum à cibo, & ratione inflammationis, & ratione principij febris præfocantis? Vnde si oneretur virtus prorsus præfocabitur: hîc verò non nisi cruditas. Nam si esset motus principij, prorsus non daremus, etiam in hoc, sed euenit his syncope, etiam sine retractione, quæ fit in principio. Contrà, cur his syncope affectis tribuis, non illis? quomodo viuificabis vires? Respondet Galenus xij. Metho. car. 130. quòd hi destituuntur alimento, quoniam crudi succi non nutriunt priusquam concoquan-

tur: ideo noui aliquid damus in præsens. At in illis non est alimenti inopia, sed copia. Sat est ergo reuocare ad extima spiritum, & calorem, habent viscera quo alantur. Præterea nisi detur aliquid, stomachus languet, & in afflicto aliâs corpore, & debili virtute facilè syncopem accerset. hoc prioribus non accidit. Nam & in cruditatibus maximè à ventriculo offenso, & ita imbecillo facto eius ore, syncopas euenire innuit, Car. 128. Quærendum etiam est, num quod vulgò suadetur, faciundum, vt in timore, postquam animi affectus ablatus est, vacuationem aliquam moliamur? Respondetur, visum est, ni fiat, sæpe magna euenire mala, vt in quartanario vidi subita spirandi difficultate, & palpitatione, & syncope mortuo. Sed quid potest facere timor, vt hæc exigat? An ex confluxu illo aliqua obstructio in vasis, vel phlegmone, vel abscessus aliquis fieri potest, neque statim manifestari? Ideo vbi de multitudine suspicio est, quanuis multæ copiæ nota non appareat, est faciundum. De causis verò quomodo obuiam eundum, ne rursus in syncopem decidant, ex proprijs capitibus habendum, quomodo tollantur.

Postremum caput erat, de Alteratione spirituum. Hæc autem aperta erat. Et hoc maximè in frigiditate fit, vnde ad frigidum distemperantur, vt in vsu stupidorum euenit. Nam à calore potius resolutio multa esse videtur: ab alijs qualitatibus longi potius morbi fient, quàm syncope, quòd tardæ sint actiones. Fit & à venenis, seu aere infecto, vt in odoribus: seu ex cibis, vt esu fungorum ex praua hortorum putredine: seu prauitatem in corpore acquisierint, & qualitatem venenosam; vt cum corrumpuntur succi aliqui, vt de hystericis Galenus habet, sexto de Loc. vel etiam venenum potatum sit, vel morsu relictum: ferè enim omnibus superuenit hoc symptoma. Cum igitur de natura causæ certus fueris (quod hîc facilè est) quod quidem ad eius summotionem attinet, dum actu est implicitus æger ad frigidum affectum, calidis vteris, aere, epithematis, odoribus, frictionibus, fouendo ventrem, & omnibus modis his excitando, mox vino maluatico, & aqua carnis, & ouis restitues. Si verò venenosa qualitas sit (siquidem ab vtero) ijsdem modis reuocanda erit, pessis, suffitu, odore tetro ad nares, infernorum frictionibus, cucurbitulis ad coxas, & pubem, vinculis. horum materia loco suo dicetur. Cum verò, resipuerint causa spectanda, & ei obuiandum. Si materia venenosa, vt in vomitu eruginoso, vt vidi bis, è quibus alter superstes fuit, ea quæ abluunt propinanda: si ades priusquam incidat, & quæ temperent vt aqua, & oleum dulce, vel amygdalinum lac potare aqua mulsa. A vomitu terram sigil-

latam

latam exhibe,& theriacen: naribus odores, cordi epithemata, vini vsum. Si verò iam inciderit syncopen,exigua spes est, si sit valida; tentandum tamen iisdem vti,facto prognostico, ne remedijs vacui videamini ob artis honorem. Si extrinsecus accesserit ex odoribus malis,communibus auxilijs vtemur,excitando,& odorib. gratis instando,& cibo & alteratione temperando. Si ebibita venena, proprias habes notas,& curationes. Sed cum ad syncopen veniunt vana cura esse videtur. Prefocatos ex fumo carbonum vidi restitui. fortè validiores erant. Hęc de syncope: in quo capite non syncopes modò, quòd symptoma est, curam habuistis, sed & dolorū omnium generatim, quatenus dici potest.

De Cholera morbo. Cap. XLII.

NVnc ad affectus ventris accedendum. Primùm verò caput de Cholera morbo proponitur, & meritò; quoniam syncope quæ est cordis affectus, hinc prouenire solet; seu ob vacuationem, seu ob consensum: quia, vt suprà dictum est, maximè consentit os ventris cordi; tum quia vehementi sensu præditum, vehementer quoque affici solet; vnde & corporis totius principem offendit consensu quodam ventris affectus; & quia multum spiritus transmittit, atque absumit, eius ratione, quo magis vrgetur, & ob vicinitatem: attingit enim magnam arteriam: quanuis semper de consensu partium difficilis quæstio sit. Et Galen. cum de vteri consensu loquitur, sexto Epid. primo, videtur probabiliorem reprobare causam, quàm sit ea, quā ponit; vt & Aristoteles de Galaxia fecit. Est autem hic affectus acutus satis, & crebrò eueniens, præsertim in popularibus, quòd praua victus ratione vtantur. Qui verò de huius nominis ratione quærunt, frustra quærunt: nec enim à quibus impositum sit, neque cur impositum, satis norunt, cum morbis nomina varia ratione imponantur, secundo Metho. Inter cæteras, à causa fit impositio, vt in melancholia.

Sed hęc causa aliquando vera est, aliquando secundum primorū imponentium sententiam. Primi hîc fuerunt Gnidij medici, vt Gal. ait, qui hunc affectū sic nominabant, quòd χολὴν, id est bilem, causam esse arbitrati sunt. Sed res aliter habet: nec enim à sola bile, sed omni prauitate, & corruptione humorum fieri solet. Incipit igitur Empirici more affectum per notarum syndromen describere, hoc

hoc modo.cum dolor,& punctio,vt,&, sit exponentis doloris modum.Vt enim simpliciter ex dolore malè habere ventriculum significatur;ita & doloris differentia, causæ quoq; differentia monstratur,quòd scilicet pungens est,& mordax. Subintelligere verò opus est locum,& sedem doloris,scilicet ventrem,tam superiorem,id est ventriculum dictum,quàm quæ aluus dicitur. Nam cum ad vtranque sedem perueniant humores purgandi, necesse est,vt vtranque partem molestia afficiant. Quod verò dicit tristitiam, intelligit stomachi angorem cum vellicatur, & pungitur, & ab effectu Tristitia dicitur. Nam tristes homines reddit, vt sexto Epid. 4. Quibus os ventris malè affectum est, iracundi fiunt: & hoc nemo est, qui aliquando non sit expertus,ἄσην Græci dicunt. Addit alia signa magis declarantia affectum,cum ait, Et vomitus, & ventris solutio affuerint,scilicet eodem tempore; licet non sit necessarium simul incipere.hæc inquam cholerica affectio nominatur.Dicit autem cum his, vel post ea euenerit; non quòd semper antea ea fastidia in ventre non sentiantur aliquo tempore; sed quia aliquando paruo spacio præcedunt,simul fieri dicuntur.Fiunt autem hi motus à natura proritata prauitate humorum,vnde furit,& quacũq; via patet,eijcit,sæpe verò & plus quàm oportet.

Statim verò curationem incipit,& primùm remedium est calidę aquæ potio.Primùm aduertendum,quòd Paulus χλιαρὸν legit.Vnde traditor Rasis modernus,& vastator,tepidum hîc scripsit. Nos verò scimus hoc modo affectos,ventriculum habere languidum: facilè ergo lędentur à tepidis.Nam ea ventris robur dissoluunt,octauo Meth.Quòd si dicas,tepidam dari ad vomitionem meliorem; dico, hoc profuturum, si aliter stomachus non esset ad vomitum propensus;sed est plus nimio.Quòd si Paulus sic dixit,nõ intelligit verè tepidam,sed modicè calidam.Nam & calor copiosæ aquę, angustiam faceret,ægro sponte sua defatigato angore, & vehementi motione vomitus. Cur non frigida? An quia astringit,& densat? Nos autem tunc expurgari superuacua volumus. Vtile est remedium abluens excrementa,& temperans.

Subdit,Et si adhuc perseuerarit. Sed quis est scribendi modus? Dicit primùm aqua calida multoties propinetur;postea si perdurat iterum detur. Videtur hîc interposuisse aliud præsidium:nos ipsum nõ habemus.Dubium est,ne mancus sit,multis modis,& quòd multa desint,& quòd alia pro alijs sint translata. Videte igitur quantum fidere possimus. Fortè à potu primùm aquæ clysma interponit,vt facit Paulus:vt sicut abluit superiorem,ita & inferiorem.Præterea vtile est à stomacho auertere ad intestina; quoniam minus ex

crementis

crementis læduntur. septimò Meth. vtpote assueta, & à natura in hoc munus instituta. Et ideo dicit Paulus, Aluo subducta, iuuandus est venter. quasi dicat, Si neque his cesserit, & iteranda omnia sunt, donec passio sedetur; quod fiet, si non adeo grauis fuerit. Cùm autem ægritudo quieuerit) Quòd balneum dulcis aquæ ad fluxiones in ventrem prosit, testatur Galenus primo ad Glauc. Et ratio. Nam ad contraria reuellit. & ego sæpe feliciter vsus sum. Mittit in balneum cum ægritudo quieuerit: Exponunt, id est, cum inclinat, quoniam antea non conueniebat, ne agitaret. Dic melius, non conuenit balneum prius, ne contrario motu trahat, ne naturam impediat, quæ se purgat per conuenientes regiones, vt Hippo. dixit. Et sexto Epid. secundo iuuare naturam vult, ettiam si excretio fit ex irritatione, & symptomatica. Sunt enim excrementa praua, & noxia. Tunc verò obstandum est, cum est immodica: vt Galenus facit in sanguine fluente, libro de Præcognitione, posca, & cucurbitula. At hìc nulla præter modum excretio, vt supponitur. Est enim leuis affectus, & hunc sæpè curaui. Ideo puto cessante motu immittere, ne fortè in ambitu venarum adhuc humorum reliquię perstent, quę recidiuam faciant. Et Paulus cessante malo, id facit. Præterea ex vacuatione siccatum corpus reficitur, secundò humectatur, & tertiò somnus conciliatur, quod nos expetimus. Vnde subdit, Leui alatur nutrimento, deinde dormiat. leue alimentum appellans, panem ex vino, vel oua, quæ sorbentur. Quòd autem hoc velit author, patet cum dicit. Quòd si perseuerauerit, iterum detur: quasi velit hoc vnũ remedium experiri. Præterea dum actu vomunt, & deijciunt; quomodo quis in balneum mittat, vel quomodo maneant? exoluentur enim. Tempus verò moræ sit hora. Sed hoc & consuetudine, & oblectamento ægri mensurandum, vt Galen. mensurat. Nam qui gaudent, inquit, etiam ter laueris. Dixit igitur hoc gratia exempli, vel monens, ne hoc tempus excedas. Qualitas verò balnei, siquidem ad auersionem esset, patet quòd calida esse deberet, sed hoc casu temperata esto, id est, vt septimo Meth. expono ad vnguem temperatam, id est, huic corpori temperatam. Talis enim iucunda est, nec vires exoluit. Sed puto optimum esse ob ventris languorem inungere astringente aliquo, quod facit Paulus, vt masttichino, vel nardino: pòst in balneum ducere. Hæc de leui affectu.

Sed licet) Grauem hìc describit ob symptomata. Sunt aũt quę sequuntur, extremorũ frigus, & circa faciẽ frigidi sudores, & terribilis facies, & pulsus ad prauitatem, & inæqualitatem tendentes: & quæ ad hæc succedit syncope; aliquando verò & conulsiones: illa quidem ob uacuationem & oris ventris laborem: hæc verò vel simili-

ter ex ore ventris, cui cerebrum, & neruosæ partes consentiunt (& erit conuulsio per consensum) vel ex siccitate, quæ pessima esset, & lethalis. Est autem hîc notãdum, quòd hic casus non fit, nisi ex calido: & bilioso succo cum corruptione aliqua, id est, mala qualitate acquisita. Vult tamen vt forti animo simus, & remedijs instemus, neque desperemus statim de salute. Attamen prædictione te à culpa seruabis immunem.

In principio.) Exponunt, quòd ponat quatuor tempora, & hoc sit principium: sed reuera cum dicit, superuenerint, intelligit, se alia quoque tentasse. Præterea hæc remedia non conueniunt in principio, quoniam sistunt. Fit igitur hoc loco vehemens vomitus, & profluuium, id est, & quo ad ea, quæ excernit, hoc est quantitatẽ, & quo ad excernendi modum, quia confertim. Vult ergo in principio, id est, antequã syncope, vel spasmus superueniat; vel, vt sit ordo remediorũ. Notãdum igitur, quòd sit hęc immoderantia ex natura valde irritata; vnde non solùm malos, sed etiam vtiles expurgat: Sic & irritata à medicamento facit in superpurgationibus: sic & in crisi. Itaque duo erunt scopi, & confluxum humorum in ventrem sistere, & ventrem roborare, ne recipiat facilè.

Primùm exhibet ea, quæ ventris partes roborant, id est, trochiscos de thure, quos ipse inuenit; in quib. astrictoria vis; & astrictio augetur ex modo propinandi, scilicet ex frigida aqua admodum; qualis nix est, & rob granatorũ temperato poculo: cuius compositio est à Paulo descripta, qui etiam mentham viridem inijcit; quę sua aromatica vi & ventri grata est, & astringit. Huic verò simile esse, & similiter componi vult ex cotoneis, & acidis malis. Quantitas medicamenti sit ʒ. quãtitas verò potionis, circiter ciathus, vt Paulus: nam à multo grauantur. Habet igitur medicamentum, vt sistat astringendo, & ventrem languidum roboret. Primùm considera, quòd frigidissima potat. alij vetant vehementer frigidam ob imbecillitatẽ, ne calor ventris extinguatur. Ideo Paulus aquæ mediocriter frigidæ inquit. Sed Paulus solam dat. hic mistam. Præterea hic à viribus nõ sumit indicationem, sed supponit, vt suprà in mora balnei. Basis medicamenti sunt bolus, & thus: ille ęgregiè siccat ex Galẽno & astringit: thus quoq; siccat, non adeò astringit. Galliæ compositio multiplex est, sed puto intelligere trochiscos Kamich, qui è Gallis componuntur, & alijs multum astringentibus. Cætera apposita aromatica, vt grata stomacho, & cordi: pro bolo, lemniam. Vult interim vincire artus supra genu, & cubitum ad reuellendum à medio humores; & hæc iterentur omnia. Quòd si hæc satis non sint, extrinsecus quoq; remedia adhibet. Vsus verò externorum est, vt frigida pe-

da pedes, & manus perfundantur. Fortè quiescit natura, ab his recreata. Multum enim leuari æstuantes ventriculo videmus ex frigidæ contactu. Dicit, Et in eam mittātur) non quidem corpus totum vt quidam exponunt: hoc enim stultū nimium post tantā vacuationē & resolutionē. Præterea ex vniuerso corpore in medium refugerent humores, quod non expetimus: sed eas ipsas partes, à quibus non est timor intrò trudendi, vel exiguus. Penetrat etiam inde ad viscera frigus, & sistit inde, & densat. Ego in dysenteria ex posca id facio multa vtilitate. Adhuc medium corpus non attingit. Vbi verò ea satis non sint, extrinsecus appositis vtitur, manna, sandali, gallia ex aqua rosacea, in nudis præsertim, humore & carne viscerib9. Paulus ipocistida, & malicoriū addit (fiat ergo ad mellis crassitudinē) sed desuper apponit linteum aqua rosata frigidissima madidum. Hæc omnia ad ventris robur, ne promptè recipiat. Imponentur autem & imo, & summo. Sunt autem hæc longè vehementiora remedia, & pòst alia facienda. Hæc verò maximè fiant cum calor sentitur circa viscus: sin secus, solùm astringentibus vtere. Nam non temerè, frigidis ventrem attingit Galenus, quanuis hic supra cataplasma ponat. Dat verò potui vinum, quoniam syncopem timet, & admiscet succo granatorum, vt simul astringat, & alimentum sit, & medicamentum. Paulus vinum austerum præbet, cuiusmodi sunt apud nos vermicula nobiliora, & magna est copia. Dubitatur, Galenus in fluxione, quæ ad ventrem, primo ad Glauc. dat calidum & tenue: ergo non Austerum. De cibis boni, & mali succi ad languidum ventrem, & fluxiones sistendas austero vtimur, Lesbiū verò biliosis æstuantibus, & ventri calido nocet: iuuat pituitosos: considera. Talis quoque naturæ cibum exhibet, qui astringat, panem ex vino & granatis, micas panis contritas ijs immisce, ac cochleare exhibe. Mox ad symptoma syncope transcendit.

Cum igitur proximè casurum times, fac vt Galenus facit (siquidem præsens semper in his casibus medicus esse debet) non expectabis dum cadat, sed vinum cum musco propinabis, aut vinum solum calida dilutum, vel vnà cum pane. Nam muscum aliqui oderunt, hoc autem citò spiritus reficiuntur, & viscera roborantur. Dat in hunc vsum aquam carnis cum cydoniorum succo. Sat erit confecisse, vt docuimus, ex succo granatorum, vel citri. Pullos assos ad vim appetitricem excitandam, quæ multum hoc casu deijcitur: & est grauissimum hoc symptoma.

Debemus autem hìc resumere ex generalibus præceptis, quæ ad syncopem excitandam valere docuimus. Demum victu conualescentium regit.

Rurſus igitur à capite affectum reſumentes, arte, & methodo, remedia inuenire tentemus. ea à definitione rei orditur. Igitur quod per choleræ nomen ſignificetur, ſuprà oſtendimus; nempe profluuium eſſe humorum vtrinque erumpens. Paulus immodicam ventris perturbationem ait, ſupra, & infrà erumpentem. Fit autem hoc profluuium pulſione. ſed quæ pars eſt, quæ pellit? Reſpondit Galenus tertio de Sympt. cauſis ſecundo, Ventriculum pati primò, nec ſolum os eius, vel ſuperior pars, vt in nauſea, & vomitu, ſed & inferior, quare vtrinque erumpit per proxima. Quare ſymptoma eius expulſiuæ facultatis ventris cholera; quæ perperam adeò agit, vt immodicè agat. Hoc verò ſymptoma ex alio originem habet, id eſt, ex triſti ſenſu, quo ad expellendum mouetur, quod in vacuitate cōtinet, ſeu moleſtiam, ſeu angorem, ſeu dolorem nomines: vt ferè ſymptoma ex ſymptomate oriri ſolet. Tandem verò ad affectum aliquem peruenire reſoluendo oportet, qui morbi rationem habeat. Scimus autem ex Galeno millies, quòd doloris ſymptoma aut ſolutam vnitatem, aut alterationem inſequitur. hinc ergo & ventrem triſtari opus eſt.

Sed num ſemper cum hoc doloris ſenſu proritari expultrix debeat? Atq; videntur & ſine ſenſu doloris moueri partes ad pellendum, qui ſaltem à nobis percipiatur. Sic venenoſos quoſdam cibos vbi venter ſumpſerit, aut ſurſum, aut deorſum impellit; cum tamen antea hoc, nullam, antequam ſtomachus moueretur, moleſtiā ſenſerat. Sic venæ ſanguinem euomunt in menſibus, cum fortè non ſentiant. Habent enim natura vim alienorum expulſiuam. Aliena verò ſunt, aut qualitate euidenti acida, acri, ſalſa, amara; aut non euidenti, vt in venenis. Namq; qui oua barbitonis comederit, voluptatem guſtus ſentit: at poſt horā vomitus ſubitò proritatur. Quare nō dolorem, qui ab euidenti qualitate fit perpeti tunc videtur, ſed alterationem ſui corruptiuam, quam noſſe natura dedit, vt fugeret, & quòd conuenit, traheret. Contrà, ſi venter venenum ſumpſit ex qualitate offendens, euomit: hoc ergo ſymptoma ad nullum morbi genus reducetur. Nōn enim intemperiem facit, non ſolutionem vnitatis. Quòd ſi dicas intemperiem eſſe à qualitate immanifeſta: Contrà, erunt in ſimilaribus morbi alij ab octo intemperaturis: & ita Galenus inſufficiens in nunerandis morborum differentijs. Igitur ventriculi ſymptoma eſt, quod diximus, à natura quidem factum, & per vias, quas natura tentare ſolet: ſed præter naturam ea ratione eſt, quoniam à cauſa præter naturam efficitur.

Hîc verò diuidere oportet: quoniam vel materia moleſtans in eo eſt genita, vel aliunde defluxit. Defluit verò è viſceribus, & ma-

gnis

gnis venis, per eam, quæ Porta dicitur, vel ex vniuersis. Causa verò huius est, earum natura, quæ sese eo onere leuare cupit per vim expultricem, qua est prædita, vt Galenus de sudore diaphoretico ait. Sed id rarius, vt scilicet initium motus hinc fiat: frequentius est, vt ex ipso ventre, & adiacentibus venis malum proueniat primùm: quanuis post ex irritatione & motu eius, & angustia, natura ad expellendum omnia superuacua excitetur. Et hoc vti solet ad læsam partem, auxilij gratia spiritum, & sanguinem transmittere. Interim verò & excrementa, si corpus his abundat. Etenim sine cognitione agit: quare dum suppetias ferre vult, malum ventriculi duplicat. Itaque huiusmodi irritatio consensu quodam in alijs partibus faciens irritationem, facit vt superfluat profluuium, & vtiles quoque humiditates pellantur. Sic superpurgationes fiunt: sic crises symptomaticæ. Ideo Auic. monet ne tametsi incipiat à cibo, leuis affectus putetur. Si igitur ex ipso ventre malum cœpit, necesse est vel cibos, vel humores in eo contentos, malam aliquam transmutationem subijsse, vel etiam in primis venis, quæ sunt inter iecur, & ventrem: ab his enim ob propinquitatem facilè afficitur. Transmutantur ergo cibi in alienã qualitatem, quæ corruptio vocatur: vel quia cibus non transmutatus manet, & tempore putrescit in loco calido: vel quia vitiosus ipse est, & promptus, vt corrumpatur, vt cæpe, vt olera plurima, & putridi cibi, carnes, frumenta: Vel ex mala præparatione talis est redditus, vt frixa oua, & quæ multis speciebus condiuntur: Vel quia vitiosi succi adsunt, à quibus quod assumitur corrumpi potest, vt in eo Aphorismo, Non pura corpora, &c. Vel quia intemperatus est venter, vt agat quidem in cibos, sed perperam agat; vt si calidus sit plus iusto, vel frigidus, vel ex malo ordine ciborum; vt quòd primo astringentia sumpsit; vel duros cibos, vt vetus caseũ: post oporę fructus, aut lac, aut pisces teneros: vel quia intempestiuè; vt quia indigesto priore cibo, alium sumpsit; vel ex vigilia. In somno enim coctiones fiunt.

Sunt verò transmutationes hæ variæ, sed genere duplici comprehenduntur, scilicet acida corruptione & fumida, tertio de Symptomatis primo, & 8. Metho. Hanc etiam nidorosam appellabat, in qua odores sentit æger varios, cœni inquam, piscium, aut frixorum ouorum, aut aliam qualitatem indicibilem, sed admodum molestam. Neque enim odores facilè verbis exprimimus; & acida quidem fit, ob frigidam ventris intemperiem, sic transmutantis. Est enim sapor acidus frigoris soboles, quarto de Simpl. Vel ob humores frigidos in ventre contentos, vt est pituita, quæ acida dicitur. De qua in libro de Atra bile, & de copia. Vel ex ciborum natura,

quæ talis est, vt in hanc qualitatem malam facilè transmutentur, vt sunt cibi frigidi, præsertim si acidi sint. At nidorosa contrarijs fit de causis: Nam ex cibis calidis, & præparatione earum tali, ex stomacho calido, vel bili pleno, vel alijs putidis excrementis. Causæ verò ex ordine & tempore, & vigilia communes sunt vtriq; corruptioni. Hæ sunt duæ famosæ cruditates à Galeno sæpe positæ: cruditates dictæ, quoniam à coctione natura aberrat. Nam propriè, & simpliciter cruditas est, cum vel prorsus non concoquit, vel semicrudum omittit. Ex his cruditatis causas Paul. duas ponit, quæ maximè sunt, & plurimũ eueniunt. sed num & salsa hîc ponẽda, vide. Prȩter has verò corrnptiones, & cibi aliqui videntur posse efficere quòd multum crudumque succum gignant, & grauent, vt de Boletis Galenus ait, quòd choleram generant. Nec inconuenit ex succo frigidissimo grauante id fieri, dum & qualitate frigoris angit, & quantitate nimium molestat.

Boleti choleram generant.

Similes affectus, vt Galenus 3. de Sympt. secundo venas quoque inuadunt, vnde & profluuia fiunt: Siue sponte sua hoc generat venosum genus cum intemperie laborat: siue ex mala ventris præpaparatione eueniant. Nam cruditates prauas ventris iecur corrigere non potest. Et quidem ego experiẽtia vidi huiusmodi, qui in venis corruptela laborant: cuius meminit Galen. 1. Aph. 17. cap. sæpe profluuijs omnis generis, cum materia in vẽtrem propellitur, diarrheis vel choleris, vel simpliciter vomitu prauarum sanierum. Multum verò adiuuat ad choleræ affectum gignendum ventris sensus. Vt enim quidam acri prȩditi sunt, ita alij hebeti adeò, vt mirum sit, quo pacto ad corruptiones quas præ se ferunt odore oris non vomant, vel nauseent. Qui igitur exquisito fuerint sensu, facilius capientur, & sunt excarnes, & pinguedine non abundantes. Sic igitur omnia vsque ad summas causas inuenimus: è quibus alia apparent symptomata esse, vt immoderata vacuatio, morsus, punctio, angor: alia affectus, horum causas: & rursus horum causas, nempe humores prauos, & causas aceruationis eorum exposuimus. Hîc igitur si nihil obstaret curationem à suprema causa inciperemus, si ea adhuc adsit, vt intemperies, vel vitiosus humor, hunc vacuando. Sed quia natura sponte sua id facit immodicè, stultum esset vltra vacuationem moliri. Tota ergo intentio ad symptoma est: primùm ne immodicè effluat, præcauẽdo ea, quæ inde sequi solent incommoda, quæ & superuenientia dici possunt, & propria ratione magnitudinem vel prauitatem affectus demonstrare.

Signa verò quæ demonstrant affectum notissima sunt; vt & symptomata omnia, è quorũ genere est. Nam quȩ à Rase apponũtur de dolore,

dolore,& punctione potius (vt diximus) causæ differentiam significare videntur: nempe acrem, & biliosam, vel omnino mordacem. Sed quoniam non vna causa est, non debemus his contenti esse: sed sicut biliosam significabant initio ea, ita pituitæ vitreæ presentiã, in ventre pondus, frigus, & sensuum grauitas, quæ præcesserit, significant. Monstrantur autem ex his, quæ præcesserunt, vt ex cibis, & anni tempore, & victus formula, nec minus ex natura ægri, vt si corruptela abundare videatur, si biliosus sit; si sæpe de nidorosa qualitate conquestus: vel contrà, de acida, sitq; frigidi ventris, sed aperta nota est, cum vacuatur materia: Nam & colore, & sapore ægri, & odore detegitur.

Prognostica ex his partim fiunt. Nam si ex procatarctica causa, id est, quę recenter impressit, vt ciborũ ratione eueniat: quomodocũq; erratũ sit, facilior affectus videtur, quàm si ex totius malo. Quę verò magnitudinem affectus monstrant, & morem, hæc magis apperient, præsertim ad vires comparando. Cum enim affectus toto genere periculosus sit: at grauius periculum euadit, vbi ea comparuerint. Sunt autem quæ superueniunt & morem significant ex superflua motione symptomata: vt extenuatio subita, præsertim faciei, & frigus, & pulsus mutatio, & syncope, & conuulsiones, si neruos imbecillos habeat.

Priusquam verò curã aggrediamur aliqua de natura ventris premittere oportet: & primùm temperies consideranda. Est aũt caro ipsius, cutis respectu, humida, & calida, 2. de Temper.. De calido, quod humidior mollities externæ tunicæ indicat. Nam interna ipsi cuti affinis fortè erit, vel paulò siccior. Est autem interna neruosa magis rectis villis, & obliquis contexta ad attrahendum, & retinendum quod attraxit, quousq; concoquat. Est etiam ori, & labijs communis; externa carnosa est & crassior, fibras habens transuersas, vt pellat infernè, vel supernè, prout opus fuerit. Orificia duo habet, alterum quo ori est continuum, alterũ quo intestinis; illinc admittit, hinc dimittit: quà admittit, apprimè sensibile est ob multum neruorum contextum, qui circa implicatur: idque vt sensum suctionis, qui in fame fit, sentiret. Situs eius patet: Nam in medio situs est, superiore ore ad leuam deflectitur, inferiore ad dextrum. Operitur iocinore, liene, & à medio sui ad inferna omento pingui, reliquũ & mediũ nudum est. his quasi focis fouetur. Ad hęc igitur alligantia, & vicinitas est, & ad cauam venam, & Aortam: vnde & ad cor cõsensus apud Gal. Ad cerebrum verò per neruos iungitur: ad iecur, per portam: ad lienem, per venam, quę atram bilem euomit in ventrem. Intestinis verò, & gulæ suis tunicis est continuus.

Descriptio uentriculi.

Cura habenda. primùm magnitudinem affectus distinguit, id est symptomatis. Est enim de his, in quibus non causæ remedia indicant, sed accidentia. Causę enim tolluntur interim, id est praui humores copia sponte sua quamuis particulares materiarum differentias nonnihil & causæ monstrant. Distinctio autem hæc erit: Vel enim ab ipso solo vẽtre euenit, vel ex alijs partibus: Accidit autem, vt initium à corruptione quæ in ventre fit, sed ad venas malum perueniat, ea ratione, qua diximus: quoniam perturbatione circa ventrem, fit in reliquo corpore commotio. Vnde & quæ non contristabant antea excrementa, modò turbant, & proritant. Sed neque motio ad ea sistitur, quin ad vtilia quoque peruenit: nam vt furibunda agit, & simul omnia mouet. Itaque multos laborantium status intelligere hîc possumus. Primus cum corrupti in ventre cibi molestiam inferunt, & notę corruptionis adsunt, sed adhuc natura ad excernendum non impellitur. Tunc enim leuiter irritare vim ventris oportet, priusquam irritare vehemens sponte eueniat. Hinc enim nullo modò incommodum eueniet. Signa erunt huius status, cum nauseam patitur, sentit morsus, & rugitus, & angorem circa ventrẽ. Sic si cibos venenosæ qualitatis sumpsit, vt durum barbij, vel purgantes cibos. Vomitus autem tunc à mulsa fiet, vel aqua hordei tepidis, idq; donec venter cibis vacuetur, à quibus fouendus est venter absynthino oleo, vel mastichino calido, vt vomitu relaxatus roboretur. Si fotum recuset, vnguentum conficies addita cera, corallis, mastiche, aloe. Quòd si æstas sit, & æstuat, oleo cotoneorum (melinum appellatur) vteris. Mox vbi quieuerit à nausea, & venter deiecerit, cibum dabis assum magis, sed mollem; ex his, quibus assueuit, eligendo. Sæpe verò & ventrem proritare itidem expediet. Hinc etiam alia commoda, quòd causa ipsa, hoc est humores mitigantur. Quòd si corruptio flatus excitauerit, quod sæpe fieri solet, aliquid, quod discutiat flatus propinabis, & extrinsecus pulueres aromaticos vnguentis admiscebis. Cæterùm si spontè natura cœpit excernere vtrinque, (& est secundus status) considerabis, num talis corruptio totum inuaserit, an ventrem solùm, & primas venas quæ inter ventrem & iecur sunt. Nam si ad has partes solas attinet, sat erunt ea, quæ diximus, vno excepto, quòd calida aqua potabimus. Hîc enim intentio non est vomitum proritandi, sed abluendi excrementa, quæ infixa, & inhærentia proritant, & temperare ea, ne mordeant.

Primus status.

Secundus status.

Tertius status.

Tertius status est, cùm in toto corruptela viget; Itaque quanuis à ventre incipiat, prosequetur expultricis impetus. Hîc verò considerare oportet, quòd motus hic symptomaticus est, nõn prorsus naturalis,

naturalis, vt sunt excretiones, quę per naturā. Vt igitur illas semper sinere oportet, quia modum non excedent (est enim leuis proritatio) ita hic distinguere oportet. Quatenus enim praua sunt, & à natura excreta, sinenda sunt: quatenus modum excedunt, sistenda. Initio igitur eadem calidæ potione vtemur in easdem intentiones vt proritatio sedetur. ita enim moderatior vacuatio. Sed si malum ingrauescat, cogitandum de remedio est, priusquam symptomata adoriantur. Intentio igitur erit fluxionem sedare, quòd duos scopos habet, vt & omnis affectus, qui è fluxione fit. Primus aliò humores auertere; secundus roborare partes, quæ recipiunt. Primùm ab auersione incipiemus, quam modis suprà expositis faciemus, vinciendo scilicet extremos artus, & cucurbitulas admouendo. Nã & eo dolore natura ab opere expellendi auertitur, & ad eas partes humorum copia attrahitur. Mox & roborantibus vtendum extrinsecus. Hìc verò naturã causarum animaduertere oportet: Namsi ęstuat venter, & sitit multũ, & biliosa sunt, quæ euomit, applicare oportet & actu, & potestate frigida; cauẽdo tamẽ excessum frigoris. Exẽpli gratia succũ intybi, vel oxalidis, vel portulacę, vel semperui uij, vel cotiledonis, ex hordei farina. Sic ex granatis totis expressum succum. Idem poterit & panis his succis immersus, vel & linteus sæpe renouatus cum incaluerit. Aliud mihi vsitatum, carnes cotoneorum vino austero, vel aceto coctas, & contusas cape, & in linteo extende, & vtere. Sic rubi, & rosarum, & vitis germina, & rosas ipsas contundentes in emplastri formam applicare possumus.

Quòd si non adeò magnus calor appareat, cum hac materia aliquod aromaticum admiscebimus, vt inter herbas mẽtham siccam, sisymbrium, mastichen, cyperi radicem tusam, rosas siccas. Sic panis assus aceto infusus, & mentha, rosis & ænanthe conspersus. Vbi verò signa caloris & æstus non adsint, vt quòd materia frigidior corrupta sit, calidiora in eandem intentionem afferre oportebit, quale est Galeni emplastrum primo ad Glauc. descriptum ex carne palmularum vino cocta, aloe, mastiche, croco, & farina hordei; possumus & superiorum aliquo vtentes, vt cotoneis ex vino, aromatici rosati puluerem inspergere: hæc extrinsecus. Intro verò sumantur in eundem vsum ea, quæ à ratione cibi aliena non sunt, sed grata; vt scilicet, quantum fieri potest, retineantur. Si igitur æstuat, lactucam & intybum cum aceto mandenda dabis, aut limones, aut citri carnes, aut cotonea. Panem verò ex acerbæ vuę succo, vel punicorum, & aquam frigidam bibere, sed id parum. Sic corna, mespila gustent, & ex cerasis austera, quæ Marena dicuntur: succum ve-

rò solum demittant: sic & naribus odores gratos astringentium rerum.

In censu verò medicamentorum astringentium erit Acacia, hypocisthis in vino dissolutus, & terra lemnia, & bolus armenus. Miua quoque simplex dicta, & syrupus è myrtho. Quòd si affectus his non sedatur & timor est syncopes, somnum inducere expedit: eo enim sedantur prorsus fluxiones hæ. Incipiemus tamen ab his, quæ per sedem infunduntur, & extrinsecus fronti, & temporibus illinũtur, vt olea, in quibus sit opium dissolutum: infra verò recentium papauerum cremor. Ab his & Diacodium dandum. Demum & trochiscos de stella scrupuli pondere. Describit in hunc vsum Galenus 8. de Medic. ex Asclepiade, & Amazonum pastillum vocat. Hinc duplex commodum. Nam sedatur proritatio expultricis vis, & humorum motus sistitur. At si nihil horum continere queat, cucurbitulam magnam ventri admoueto, & est maximum præsidium ad vomitum sistendum.

Si verò iam symptomata eueniãt, illis succurrere oportet quamprimùm; vt antequam syncopem incidat, vinum exhibere, vel aquã carnis in hunc vsum paratam. Quod etiam vbi syncope accesserit, faciundum, præter alia remedia, quæ vniuersim ad syncopas fieri diximus, excitantia. Si conuellitur ex inanitione, morandum non est, sed prædicto periculo extremæ partes aqua, & oleo dulci tepido fouendæ: similiter maxillarum musculi per spongias. Post hæc, si malo profligato vigilię vexant, moderatis somnus conciliandus; si inappetentia, ventrem roborantibus, & cibis gratis excitabimus. Demum his, quæ infrà capite proprio dicemus. Victus verò ratio, certum est, quòd præterquam in syncopes metu, nihil offert, priusquam morbus inclinet. Post hæc ea offerentur, quæ communia diximus in his,, qui è syncope conualescunt.

De Affectibus stomachi, à quibus uitiatur concoctio. Cap. XLIII.

SEquitur caput inscriptum de his, quæ roborant ventrem, & ciborum perficiunt digestionem: quare eos affectus tollere profitetur à quibus digestio fit vitiata. Loquor nunc non de impedimento, quod ex assumptis euenit, à quo concoctio ciborum frustratur (nam hęc diligenti victus ratione euitare possumus) sed de affectibus stomachi, à quibus concoctio vitiatur. Sunt autem illi primum qui facultatem lædunt concoctricem. Vt igitur concoctio

altera.

alteratio eſt, qua ſtomachus ſibi cibos aſsimilat: ita cruditas, ſeu mala concoctio eſt, vbi à ſcopo illo degenerat. Hoc autem fit trifariam inquit Galenus: vel quia nihil immutatur cibi (& hanc propriè cruditatem dicimus) vel quia non mutantur perfectè (& hæc bradipepſia nominatur, quando etiam ſemicrudi manent) vel quia in alienam qualitatem mutantur, quæ dyſpepſia dicitur. Hæc verò duplex eſt, vt diximus: vel enim in acidam qualitatem vertuntur, vel in nidoroſam.

Cruditas trifariã accidit.

Huius verò læſionis cauſæ facilè inuenientur, id eſt affectus, à quo vnaquęque harum ortum habet. Cum ſciuerimus quòd ventriculi corpus per propriam temperiem hanc tranſmutationem operatur: in quo officio calidum elementum primas ſibi partes vendicat. Fit tamen non à quouis calido concoctio, ſed ab humido, non ſicco, & ſqualenti, qualis febrilis: hic enim exurit, non concoquit. quamobrem & bene temperatum ventrem eſſe oportet, vt bene cõcoquat, id eſt, vt nec ad calidum nimium, vel frigidum excedat, & vt ſibi de calore innato, quod ſatis eſt, influat, vnde calidus efficiatur. Hæc igitur ſi deſint, neceſſe eſt malè procedere concoctionem. Accidit igitur primum intemperiei, morbum pati ventrem, idque modis quatuor: ſicut & omnis pars ſimilaris: idq; aut ſimplici qualitate, aut compoſita, vnde octo modis intemperari continget. Accidit & vt ſine materiei affluxu id patiatur: aliquando verò cum materia affluente, & fouente intemperiem, ſeu ſeruante. Cæterùm ex his maximè ex calida & frigida intemperie vitiatur concoctio: quãuis & ab alijs quoq;, ſi multum excedant. Ideo de illis primò agendum, tanquam magis efficacibus, mox & de reliquis. Sic & Raſes facit, qui in hoc capite primùm de frigida agit, mox de calida, demũ illi adiungit ſiccitatem. Nos itaque primùm cum eo de intemperiebus ſine materia agemus; mox de his quæ cum materia.

Signa igitur earum, quæ ſine materia ſunt, vt Galenus ait, in frigida quidem, aut diminuta, aut abolita concoctio, ant mutatio in acidam qualitatem. Deprehenduntur hæc ab ægri ſenſu, ſapore, & odore. Nam ſi poſt multum tempus, cibi ſub eadem qualitate ſentiũtur, vel etiam vomuntur: aut ſi tranſmutatio ſentitur, exigua eſt. Omnia inquam hæc monſtrant affectũ frigidum. Aciditas leuis actionis ſignum, 6. Aphor. primo, 3. de Sympt. 2. His adde exiguam, aut nullam ſitim, & quæ generalia omnibus intemperantijs ſunt, ſecundo Tech. Contrarijs intemperantijs iuuantur, cap. 63. & ea appetunt. Fiunt & flatus à modico frigore, id eſt, vbi non multum hebes factus eſt calor. Tardam verò concoctionem ſignificat etiam moles, quæ multo tempore ſentitur. Vnde ſignum eſt, ſerò cibum

Signa intẽperiei uentriculi ſine materia.

è ventre descendere, quod signum tardæ concoctionis Rases posuit.

Ventriculi calidi signa.

Contra verò calidi ventris signa sunt, quòd corruptio nidorosa, & fœtida: ita enim vomentibus sentitur, & in ructu: sed sitim habẽt hi, & frigida appetunt, & iuuantur ab his. Addit Rases præterea, vt parum appetant. Hoc enim proprium calidi est, vt appetentia frigidi, nisi hæc sint immoderata: nam ab immoderatis actio omnis læditur. Igitur primo de Sympt. causis frigidum, inquit, talem affectũ gignit, qualem ipsa venarum suctio, scilicet os ventris stringendo, vt contrà, calidum laxat. Vnde inter potissimas causas abolitę famis numeratur. Fiunt verò, & ex alijs causis malæ coctiones: vt quia venter non bene complectitur cibum: debet enim vndique ipsum attingere, vt contactu concoquat, & nihil spacij mediare: tertio de Facult. 4. Porrò quòd non complectatur, aliquando ipsius cibi ratione euenit: vel quia abominabilis est, & ingratus, vnde ventrem supinat, & laxat: vel ob nimiam potionem, quę fluctuationem facit, ita vt comprehendere nequeat, vel ob flatus genitos dimouẽtes ciborum massam, quæ quiescere debet, si ritè debet concoqui: sed & propria ratione ob morbos, vt phlegmonas, à quibus dum constringitur dolet. Sed nos de plegmone pòst. Reliquæ verò causæ, vel externæ sunt, & ex his, quæ assumuntur, proueniunt; vel ex ijsdem primis proficiscuntur.

Causas malæ concoctionis.

Rursus verò de causis malæ concoctionis dicamus, eas ex natura bonæ concoctionis venati. Supponatur autem, nihil mali ab externis esse, & nihil circa victus rationem erratum. Igitur quæ ratione ipsius ventriculi eueniunt, modò dicantur. Et quidem concoctio, alteratio alimenti est ab vnaquaque parte, vt sibi assimilet. Accidit enim ventriculo, vt aliorum gratia agat. Fit verò hæc alteratio ex proprio temperamento eius, & calore natiuo sibi accedente à corde. Quoniam verò alteratio omnis contactu fit, ideo & hunc tãgere alimenta oportet, & vndique ea amplexari adeo, vt nihil mediet. Sententia est Galeni tertio de Facult. 4. vbi paria hîc facit vterum, ventrem, vesicam. Idem de ventre 2. Aphor. 38. Quare siue calor innatus diminutus sit, siue temperies membri alterata, siue non bene cibos amplexetur stomachus, necesse est eã malè procedere.

Incipiamus ab intemperie: Certum est, quòd vnaquęque earum concoctionem impedire potest: siquidem sanitas, & actionis perfectio in symmetria consistebat. Potest autem venter vnamquanque pati, & hoc vel simplicem, vel compositam: & hoc rursus vel cum materia, vel sine materia. Sed prius quæ sint ea vitia, numeremus ex tertio de Sympt. causis: Vt in omni actione tria symptomata eueniunt,

niunt,ita & in concoctione. Vel enim aboletur ita, vt nulla permutatio fiat, vel diminuitur ita, vt alteratio ex parte fiat, non perfecta: vel deprauata est, vt cibi in alienam qualitatem mutentur. Quòd igitur aboleatur concoctio frigus in causa est. Nam cum alteratio à calore fiat, si vehemens frigiditas oboriatur, nihil aget. Rursus si ea minor sit, aliquid quidem aget, sed leuis erit impressio: & hæc cõcoctio diminuta, vel tarda dicitur. Ab vtraque verò corruptio fieri potest. Nam & cum tardat concoctio, cibus in alienam qualitatem vertitur, & cum calor superabundat. Nec enim à quouis calore concoctio fit, sed ab humido, non sicco, atq; squalenti, qualis igneus est & febrilis, vt Gal. ait, 2. de Vict. 22.

Differunt hæ corruptiones, vt diximus, quoniam alia, quæ à frigido fit (leui tamen: Nam à validiore solum cruditas; ideo ructus acidus in diuturnis dysenterijs laudatur sexto Aphor. 1.) in acidam qualitatem conuersio est. At quæ à calore corruptio, omnino fumida est, & nidorosa. Sed variat pro ciborum materia, quod ex ea sentitur, vt Galenus ait. Atque in has intemperies facilè labitur venter ideo sæpe eueniunt, & breui lædunt concoctionem. Nam quæ in humido & sicco sunt, non ita. Sed nisi valde superfluant, aut sint adiunctæ alteri qualitati, serò euidens faciunt vitium, vt Galenus ait. Tandem verò, & hæ destruunt, vt senibus accidit, & hydrope, & tabe confectis senili. Sed rarò hæ vel simplices, vel sine materia sunt.

Potest & cum intemperie materia esse adiuncta, & sæpius id accidit, vt intemperie ignea materia biliosa, quæ eam efficit, & cum intemperie frigida humores frigidi, seu pituitosi generis sint; quod plurimùm euenit, seu etiam melancholici. Idq; bifariam: vel enim in medio ventris spacio continentur, vel in tunicis eius sunt imbibiti, quas irrigarunt. Quod etiam bifariam accidit: vel enim in ipso ventre geniti sunt, vel in ipsum aliunde confluxere, vt pituita à cerebro, bilis à iocinore.

Altera causa erat mala comprehensio: est autem hic affectus contentricis facultatis, qua per villos amplexatur, quod continendum est. Hinc dupliciter afficitur, & quia non tangit, & quia non debito tempore retinetur. Hoc autem videtur euenire ex infirmitate, inquit Galenus, quę ex morbo prouenit: vt scilicet grauetur continere, & complecti. Vbi enim ex ægritudine destituitur robore caloris & spiritus, non potest vim retentricem exercere. Sed & aliæ causæ, nempe flatus multitudo quæ mouet cibum, & complexum fieri non sinit. Fiunt autem hi à calore diminuto, & ita ex intemperie, sed non valida: præsertim si cibi flatuosi natura sint. Videtur &

fieri ex dolore, vt cum in comprehendendo doleat, vel quia à flatibus distendatur, vel etiam à tumore præter naturam. & ex hoc corruptio tandem fit acida, vel nidorosa.

Signa cuiusq; uentriculi intemperiei examinantur.

Signa verò cuiusq; hæc sunt: quoniam scimus, qualis læsio actionis ab vnaquaque proueniat, ideo ex his super causa arguere contingit; vt si gustu, & odore, acidum sentimus, signũ est frigidam intemperiem esse. His adde, & sitis priuationem & appetentiam multam, secundo Aph. 20. & quòd calidis delectatur cibis, & his iuuatur. In hoc enim naturales intemperantiæ ab his, quæ præter naturam, distinguuntur, vt Galenus lib. Tech. 63. Adde & flatus, si magna non sit intemperies. Quòd si maior, signa tardæ concoctionis erunt, quoniam æger serò ventris molem subsidere sentiet, & ructũ qui cibũ oleat. sic & cum est maxima. Sed & vomitus omnia maximè aperiet: siquidem ciborũ naturã vel integram, vel leuiter alteratam transmittet, quanuis & ex eo de reliquis transmutationib. fit indicium. Quòd si calida intemperie laborat, corruptio altera erit, quam descripsimus. Aderit & sitis, præsertim si illi siccitas iungatur vt sæpius accidit; calorem halituum apertè sentiet, frigida expetet, & ab his iuuabitur, sed & appetet parum. Has duas intemperies primò describit Rases, & primò frigidam. Quòd verò dicit, Tardum descensum, intelligit quod Galenus ait, serò subsidere ventrem. Posuit autem duo signa maxima & essentialia. Nam appetentia etiam frigido immodico destruitur. Contrà in calida tria signa ponit, sitim, fœtidum ructum, & inappetentiam. Contrà etiam calor immodicus sitim destruit, vt in Epid. & est signum lethale. Respondet, cõcedendo, Sed tunc medicandus æger non est. At in frigido adhuc curabili perditur, vt dicemus. Quòd verò causa sit mala comprehẽsio, flatus, & fluctuationes cibi in ventre demonstrant, & sonitus. Nunc videndum quomodo adesse materiam distinguamus: facit enim plurimum ad curam. Primùm ergo materiam frigidam adesse flatus monstrant, qui etiam sine cibi assumptione sentiantur: secundò percepta grauitas quædam, & angor, præsertim si os ventris opprimant ualdè sensile: Tertiò grauitas capitis, & dormitatio: præsertim si cruda pituita sit, à qua etiam appetentia tollitur, vt Gal. in libro de Plenitudine ad finem testatur: & 5. de Vsu partium ad principium, quòd scilicet opprimant, & grauent. Contrà, acida, quæ tenuis est, appetentiam facit, vt de canino appetitu dicemus. Quòd si nauseet, vel vomat, erit apertum. At si bilis, & nausea, & vomitus accidunt, & tristitia, & morsus, & iracundi fiunt, aperitur eius qualitas per vomitum. Caput verò vel dolet, vel somnos turbatos efficit, & breues, & sapor amarus sentitur, præsertim si plusculum ieiunarint.

Hippo.

Hippo. 2. de Victu. Sed num in ipso gignantur, an aliunde influat. primo de Loc. 4. & 2. de Temper. ad finem. Distingues considerando temperamentum principum partium, si tale sit biliosum, & si vt in ventre ita in intestinis continetur, quod ex deiectione deprehendes. Considera à quibus partibus potest venter recipere. Demum excrementi qualitas, si euomat: nam porracea in ventre, in ieinore verò flaua, vel pallida gignitur. Erit etiam pulchra tentatio. Nam si à sola intẽperie, si cibos dederis qui resistant, nõ vitiabũtur, si ex humoribus, quoniam illis admiscentur, vitiabuntur. Sed & illarum partium notas, & affectus perpendes. De prognostico videndum. primùm quæ curatu facilior sit. deinde quãdo ab his periculum hominii mpendet. Semper enim noxas excludimus, quæ ab euidentibus qualitatibus fiunt. & primũ actiuas passiuis comparando dicemus, actiuas curatu faciliores esse, quòd efficaciores eæ qualitates sint. Contrà, passiuæ materiales magis, inquit Gal. ideo accessio earum debilior, ideo nonnisi in pluri tempore. Hæc Gal. 7. Meth. Rursus comparãs passiuas inter se, siccitatem difficilius corrigi ait, quàm humiditatem, imò siccitatem aliquã insanabilem esse & est prorsus consummata. hoc idem cap. 6. apellat prorsus cõsummatã vbi solidæ similarium partes siccantur, quod sic exponitur ex 1. de Febr. differ. 9. quanuis Leon. multũ delinquat. In similarib. partib. ad sensum, cuiusmodi sunt vẽtris tunicæ, est aliquid vt caro, aliquid vt fibræ, 2. de Temper. Caro verò fibris adnascitur, & inhęret. Fibræ autem eæ sunt, quasi elementa partis, vt dicit de Fibris cordis Galenus 1. de Diff. Cum ergo siccatio ad eas peruenit, quæ propriè sunt solidæ, est insanabilis. Aliæ verò siccitates corporum tres sunt, quæ curam recipiunt, scilicet cum caro, vel adeps absumitur, & cum roscidus humor, è quibus proximè partes nutriuntur, & venarum inanitio. recipiunt hæc quidem curam, sed difficilem, postrema excepta. Nam hanc refici videmus ferè semper in conualescentibus ex morbis: à confirmata verò ventris siccitate marasmus frigidus sequitur, & ad mortem ducit, sed tardius multo, quàm si corpus cordis siccitas occupasset. Sed cum aliæ duæ siccitatęs non facilè sanentur, maximè tamen laboratur in sanando ventre affecto, quoniã nonnisi ex alimento corrigi potest. At quid est, quod alimẽtum conficiet? nònne sibiipsi venter? At quomodo conficiet tanta intẽperie affectus? quare curatio admodum difficilis, non ita si essent affectæ reliquæ partes corporis præter ventrem, & iecur, vt communiter fit in morbis longioribus.

Progn. de uentriculo affecto.

Dubitatur cum cap. quinto dixisset, passiuas ægrius curari qualitates, mox capite nono, humida inquit est omnium facillima, seu

Dubiũ in uerbis Galeni.

calori,seu frigori sit iuncta. Respondetur,comparat ad alios affectus,quos enumerauerat,vt siccæ tantum & frigidæ,siccę & calidę. non quòd facilius calido,& frigido curetur. Dubitatur iterum si calida intemperies sola facilè sanatur,ergo & febris hectica facilè sanatur,quæ est calida cordis intemperies. Respondetur concedendo, vt primo de Diff. febr. 9. dum sola consistit, nec adhuc siccauit cordis humiditates,sed solum feruent, sed tametsi facilè, non tamē æquè facilè,vt venter, quoniam in promptu est vt alteretur ob occursum ciborum,& medicaminum. Quòd si ipsas actiuas inter se compares,dicit facilitatem eandem esse,quod ad tempus attinet alterandi,sed differre periculo,quoniam non sine periculo noxæ refrigeramus ob partes circumpositas,quæ sæpe à frigore læduntur, vt recitat hist. de eo,cui septum est læsum.Illæ enim refrigerationis non egent, Obseruauit & Rases diuturnitatem ad iudicandum affectum difficilem.Nam qui diuturnior,semper difficilior. Addebat Gal. præsertim si remedijs rite appositis non cedit.

Curatio siccitatis uentriculi.

In curatione Galenum sectati à siccitate incipiemus,primùm cōsiderantes num corrigi posit,vel non,&quidem si prorsus consummata dicta est,esset insanabilis in quaq; parte, quantò magis in ventre,non hæc modò,sed aliæ siccitates omnes dictæ, quanuis multa sit difficultatis differentia.Remedia verò omnium sunt eadem genere,nempe in victus ratione comprehensa.Accipiamus igitur siccitatem sanabilem quidem, sed difficillimam, vt vbi roscidus humor sit absumptus,quænam erit sanandi ratio? nempe,quam Galenus præscribit 7. Meth. & quæ experientia cōferre est visa. Scopus ergo curandi omnis,in humectatione consistit. Nam hìc solam siccitatem curamus,nondum ad frigidum lapsam. Quippe si siccitatis seorsum curam,& frigiditatis habuerimus,facilè erit & ex his compositam affectionem sanare. Rases quid dicat postea in fine dicetur. Sed in primis considerandum,num causæ aliquæ siccantes supersint,quæ modò affligant. Sunt autem illæ ex victus ratione, vt ex aere; sed ab hoc vniuersum corpus, sed magis cor siccabitur; ex cibo verò, & potu maximè, vt si quis & siccantibus cibis vtatur, & vino forti. Siccantia sunt salsa, acerba, austera, acria. Ex accidenti verò exiguus potus,& inedia. Adde his & medicamenta quæ imprudenter roborandi ventris gratia sumuntur, vt aloe, diatrion, & quæ nimium vacuant,vt purgantia egregiè. Et quę extrinsecus adhibentur,fotus,emplastra,sacculi,vnguenta,cerata, ab his maximè siccatur primùm venter. Nam aliæ causæ sunt toti communes, & prius alias partes afficient,vt motus, vigiliæ, animi accidentia. Si quod igitur horum adsit remouendum, & ne protinus fiat iubendum.

dum. Galenus verò hic, vt summum affectum siccitatis describat, ægrum describit iam maximè imbecillum factum: ad cuius proportionem facilè & nos multò minus imbecillos curauimus, id est, in quibus non erat adeo vitiata concoctio, nec adeò infirmi, vt ex leui motu metus esset.

Hoc anno, Octobri mense curam accepi eiusmodi: inciderat autem affectum ex nimia circa ventrem diligentia in parco victu, & sępe longa abstinentia, & medicamentis ad ventrem roborandum datis, ac profectò eò deuenerat, vt mortuum deambulare crediisses: sed & ex vacuatione talis euaserat, quòd senex iam, & gracilis iuuenculam duxerat: hoc autem maximè corpus siccat. Curatus autem est iisdem præsidijs, quæ Galenus ponit, id est, victu humectante. Nam cibus qualitatibus integris eò perueniens, facilè potest alterare, non sic in alijs partibus, ad quas mutatus peruenit. Præterea quòd in ventre sensus est alimenti, ideo grata offerre, & familiaria oportet, ne supino stomacho assumátur; ideo cibis rem peragimus. Itaq; in hoc affectu exquisitissimo victu est vtendum, tum ob hæc, quæ diximus, tum ob concoctionis imbecillitatem facilè à cibis, nisi mollissimi sint, facultas vincitur. Cętera verò reliquis partibus siccatis sunt communia.

Primum quidem humectádi auxilium, balnea dulcis aquę. Quod remedium vbi elegeris, vt in cæteris omnibus, ita hîc quoq; & quátitatem vtendi, & occasionẽ, & modum quæres: ac primùm de modo. Quoniam inquit diutissimè in eo versari hominem expedit, ideo non longè abesse cubiculo oportet, & inferri sublimem in linteo, siquidem valde imbecillis sit. Nos verò qui tina vtimur, etiam vas in cubiculum inducimus, vnde & aer humectus fit. Pertinet quoque ad modum vtendi aquę apparatus: nec enim frigidam, nec calidam esse expedit, sed vt ipse inquit, ἀκριβῶς εὔκρατον, id est, exactè temperata, seu medio exactè temperamento. Cuius præcepti rationem ponit: quoniam si tepidior sit, latenter frigus partibus insinuat, quod hoc loco non expetimus. Si calidior, densat, & stringit poros cutis, vnde sibi viam præcludit, ne subingredi possit, atque humectare partes. Huius causa est, quoniam vt natura corporis se explicat, & aperit ad iocundorum occursum, ita se constipat ad offendentia: quoniam ea refugit. Vnde tertio de Sanitate tuenda inhorrescere ait, ex calidioris occursu corpora, vt madorem ab aqua non æquè sentiant. At hîc altè penetrare oportet, ob partis profunditatem. Sic & vndecimo Metho. 20. balneum moderatè calidum meatus aperire ait.

Balneo quibus conditionib. utendum.

Dubitatur, quoniam videtur calidiorē corpore intelligere sem-

per. Nam tertio de San. tuen. loquens de temperatæ aquæ balneo, calfacere, & humectare ait. Sic libro decimo vbi de Marasino loquitur, quo loco certum est temperatissimum eligere, statim subdit, à calore nonnihil noxæ sentiri. Et quinto de Vsu partium generaliter ait, balneum humectare, & calfacere. Præterea non alia ratione videntur rarefacere, nisi quòd modicè calida sint, vt 4. de Simpl. ca. 13. Respondetur, hæc omnia in latitudine dici, credendum ergo prorsus calorem ab his sentiri debere, sed suauem, & iocundum, nostro simillimum, non quòd prorsus eiusdem qualitatis sit. Sed & si quid erratur, potius ad calorem declinare tutius in his est. Quòd autem hoc sit verum, patet per vsus, quos à balneo expectat hoc eodem capite positos, nempe vt siccitatem emendet, per se humectando, quoniam per se aqua est humida, & ex accidenti nutrimentum in partes distribuendo, quod fusione fit, & attractione; modò hæc opera calidi sunt. Sic ergo intellige ad vnguem temperata huic corpori, vt nec frigus, nec calorem molestum inferat. Contrà, calidi opus est dilatare, & rarefacere. Respondetur: Concedimus si moderatum sit, quarto de Simpl. 13. Rursus si in corpore non sentiente esset, dilataret propria ratione: sed quoniam sensui molestiam affert, & natura refugit, ideo ex accidenti constipat.

Balnei usus.

Quantitas vsus, vel mora in balneo, inquit, plurima sit: quoniam non citò potest humectare profundas partes, nec describi tempore potest: verùm præceptis quibusdam prudenti medico delineari. Primum est cauere ne exoluatur, id est, debilitetur mora, quod solet contingere præsertim insuetis. Secundò, vt carnem tumentem inspicias. Sic enim humecta est, & alimento plena sanguinis. Contrà, vbi plus iusto moram trahant, corrugatur. Carne ergo implendi occasio est præceps, ideo astare medicum oportet perpetuò, ne clam occasio effugiat. Statim verò & dulci oleo corpus inungere conuenit, à quo & humecti fiunt, & obstruuntur meatus, ne ex apertis illis resoluatur, quod est attractum, & ne ab externo frigore facilè lædantur.

Oleo dulci statim à balneo corpus inungendum.

Occasio utendi balneo.

Occasio verò vtendi est à confecto cibo; ideo si quis bis per diē lauare velit, obseruare oportebit, vt cibus antea confectus sit, & vēter eo vacuus, quod ex ructu, & ventris mole vult colligi: quem locum suprà declaraui, ideo spacium hoc præfiniri nequit; sed pro naturarum diuersitate, pro assumptorum multitudine & fortitudine, pro imbecillitate virium multum euariat 5. Aphor. quinto. Ideo illi signo inhærendum. Sed nunquid ante balneum etiam perfectam esse oporteat venarum concoctionem? Videtur enim Galenus solum eius, quæ ventris, meminisse: sed ratio eadem esse videtur. Vt

enim

enim quarto de San.tuen.dicitur:quibus in primis venis crudi sunt succi, non expedit fricari, aut lauari, ne fortè crudi distrubuantur in venas. Respondeo, verisimile est leuem eam quantitatem interim concoctam pro maiori parte etiam in venis. Nam dum in ventre concoquitur,interim semper ad iecur aliquid transmittitur seu transsumitur, præsertim de alimento hoc tenui, & facili concoctu. Quòd si dicas Galenus tempus præscripsit quatuor vel quinq; horarum:Respondetur,fuit hoc pro exemplo:quod tamen inartificiale est,& perfectius, limitari debet per signa supra posita.Sic ergo & suademur sexto de San. tuen. in biliosis, balneis à cibo vti : & alibi in his,qui restaurari debent,vt 14.Meth. 16. Ibi meminit, quòd obstructiones faciat,intellige si idoneus sit cibus. A balneo verò vbi in lectulo quieuerit,lac propinat,cuius quidem electio,vt remedio rum omnium, ab affectu primum est, quoniam lac humidus est cibus:eligitur tamen,& ex naturę proprietate,&consuetudine.Sunt enim naturæ,quæ eius vsu iuuantur,nec læsionem sentiunt;itaque his tutò datur. Quocirca, & consuetis confidentius propinamus, non solùm quia consueta familiaria fiunt, quæ antea aduersa erant; sed & quia natura propria detegitur consuetudine, id est, num sibi conueniat vel ne.Ideo etiam puerulis intra quintum annum audacius propinamus. Lac est humidus cibus.

Priuatim verò quo lacte sit vtendum,id est,ex quo animante,discere oportet.Hoc autem primùm ex generalibus præceptis habetur.nempe quòd probi succi sit:secundo ex affectu, vt tenui sit substantia. Incipiamus à secundo. Scimus multam differentiam esse crassi, & tenuis in lacte, quod bibi solet; Asinino inquam, caprino, bubulo, humano. Quinto ergo Meth.12. lac caprinum mediocre est, Boum crassum, Asinarum tenue. Similiter & 5. de San. tuen. de victu senum. At muliebre videtur cõsistentia capris proximum esse,quanuis in illis differentiam obseruare nutrices soleant, & caprinum,vel ouinum lac dicere. Cum igitur affectus siccitatis sit, in quo venæ conniuent,nõ facilè quiuis cibus permeat, sed tenuis solum substantiæ.Hac igitur ratione præeligit asininum cæteris animalibus in hoc casu : muliebre tamen præstat : Nam & ipsum tenue satis est : & hoc præterea habet, vt sit naturæ nostræ familiare, quare & amicum : & hoc quoq; experientia monstrauit ab eius suctu maximè iuuari. Nec enim vt ex cæteris emulgi potest : breui enim siccantur vbera mulctu. Multi tamen abhominantur, vnde ad bruta confugere cogimur,& asinam præeligimus. Lactis differentiæ.

Est & alia causa,qua id eligimus,quòd non facilè in vẽtre cogitur,quod esset magnum malum ægro. Aliquando enim multum læ

dit coactum lac. Cogi autem maximè conuenit bubulo, & ouillo ob caseosæ substantiæ copiam. Capræ mediocriter: asinino, & muliebri non ita. Nec credas, vt verba sonare videntur, quòd hoc non cogatur: nam de muliebri apertè contrarium monstrant puerorum vomitus, vbi coactum lac cernitur. Sed verbum illud ἥκιστα πήγνυται comparatiuè est intelligendum, id est, minimè omnium cogitur, nó negatiuè, quòd non cogatur. Vnde Galenus tutius bibi lac asinæ ait, plus verò nutrire caprinum, hac ratione. Est & tertia, quoniam alijs inest noxa flatuum, quòd obstruant, calculum generent, vt recitat tertio de Ali. cap. proprio, & quinto de San. tuen. quæ noxę caseosi lactis sunt magis, non tenuis, & serosi. Subit tamen animum problema vobis proponere: Quî fieri possit, vt è siccis animalibus lac tenue fluat, & nobis bonum alimẽtum præbeat id lac, ex eo sanguine confectum, quod carnes duras, & insuaues generet, cum debeant insequi sanguinis naturam lac, & caro?

Vbi animal elegeris, conditiones priuatim habere oportet. Est enim in eodem animalis genere magna differentia, & primùm præ pascui natura, quinto de San. tuen. & 5. Meth. & nos ex caseo experimur. Quòd si domi alere oporteat, ex herbis, vel frondib. alemus nullam insignem qualitatem habentibus, vt scilicet lac dulcissimũ, & optimi succi gignatur. Quòd si dicas, Galenus quinto Metho. astringentibus alit. Respondetur, ob vlcus pulmonis vult lac siccante & astrictoria vi participare, quòd hîc non exigimus. Curabimus etiam vt probè concoquat, & minimum excrementi lac habeat: quod fit, si victum quantitate moderatum & exercitia tempestiua iniungamus: quod in mulieribus facere solemus. Spectabimus, & sanitatem animalis, aliàs vitiosus sanguis foret, ex quo lac necessariò vitiosum gignetur. Eligetur etiam ætas florens in quoq; animali, vt in muliere à viginti ad vigintiquinque eligetur, & mediocriter à partu distans. Nam prope partum excrementosum lac est, & nimis tenue: & hoc experientia etiam mulieres didicerunt, quæ dicere solent, ab eo purgari puellos, quòd aluum amplius deijciat. Sat erit igitur vt per menses duos antea pepererit. Hæc coniectura certissima est: attamen ex abundanti lactis colorem spectabis, vt candidum splendeat, vt similare maximè appareat, vt dulce, & iocũdum sit, & nullum, aut iocundum odorem referat.

Lac prope partum excrementosum.

Nunc de modo exhibendi agendum. Vbique Galenus iubet, vt calidus statim ab vbere sumatur: quòd cum tepidum calorẽ habeat, facilè ab aere alterascit: ideo si non sugatur ab vbere, vt in mulieribus fit, inducatur in domum animal, & mulgeatur. Solemus & vas in quo excipitur in calida moderatè aqua ponere, vt ca-

lidum seruetur. Aliud quod obseruamus est, vt mellis aliquid admi sceamus. 5. Meth. etiã sal admiscet. Ratio prima ne cogatur: hæc enim prohibent. Debet autẽ mel esse antea coctũ, & spuma detracta. Preterea quoniã acescere non sinit in ventre: quã corruptionẽ in frigido vẽtre facilè accipit. Tertiò, quoniã sic minus inflat, minusq; hęret in præcordijs. Nam ad transitum ea stimulát, vnde & aluum mouet. Libro 7. solum mellis meminit, non salis, quia nimium siccat. Quantum autem mellis sit miscendum, respondet Galenus tertio. de Ali. vt dulce sentiatur; sed adeò, vt ventrem non euertat, id est, quatenus iocundum sit, quáuis pro affectus natura variemus. nam si cũ siccitate frigiditas, plus adijciemus. Sed in calido affectu prorsus prohibet libro quinto & decimo. Nos mellis loco sacharo vtimur; & si è papilla exugitur, frustum eius in ore detineri iubemus, & vnà exugi. Verba ea, Igitur tum lac ipsum) videntur velle vt sine melle detur per se, id est seorsum; & est sensus falsus; alius, vt sine alio admisto, vt pane, vel alio cibo.

Quantitas verò non dicitur, sed nec describi potest. Est tamen pro coniectura aduertendum, quòd cum hos sæpius cibare oporteat ob imbecillitatem, & indigentiam multam, ideo tantùm dabitur, vt intra quintæ horæ spacium sit confectum, vt secundus cibus offerri possit, & tertius. Erit ergo à quarta vncia ad sextam terminus si intra eam horam rursus cibare velis. Sed & si ægri naturam non noris, vel si insuetus sit, vt plurimum accidit prouectioribus, sensim à pauca quantitate incipies, donec ad iustam mensuram venias. Occasio verò, vel tempus est, si balneo vteris ab eo statim: si non vteris à somno post leues frictiones, mollibus linteis factas; mox inunctis manibus dulci oleo. Vesperi verò de fortiori cibo cogitandum est. Ratio prima, quoniam somno concoctio iuuatur, & melior fit. Etenim ventres calidiores tunc fiunt; quòd calor omnis in eos recipitur in somno: ideo sexto Epid. In somno externa frigent, interna verò calent. Sed & quies inquit ad concoctionem facit. Intelligit autem de quiete tam animi, quàm corporis. Per somnum enim omnia hæc quiescunt, quiete verò perfici coctiones causa est, quòd natura à concoctione non auertitur ad alia opera, quod euenit in vigilia. Tertia causa est, quoniam multum debet intercedere temporis, antequam rursus de balneo cogitemus, ideo satis spacij erit ad concoctionem. Subdit Athletas ita experientia doctos facere, vt valentius alimentũ accipiant vesperi. Declarat hunc locum Galenus 1. de Vict. 17. quoniam manè solùm panem assumebant, vesperi etiã carnes: quẽ locum deprauatũ legebat Auic. vt in suo cap. de eo, quod comeditur, & bibitur, habetur.

Lactis quãtitas exhibenda.

Lactis exhibẽdi occasio.

Dubitatur, num omnes coctiones meliores in somno. Videtur vniuersaliter dicere sexto Aph.04. primo Aph.15.1.de Sympt. causis 307.& 11. Meth. Somnus concoquit, vigilia digerit: sed si rationē spectemus, non videtur ea monstrare, nisi de concoctione ventriculi & venarum: non autem de ea, quæ membrorum; & est tertia transmutatio. Nam hæc in extimis partibus melior fiet in vigilia; siquidem tunc extimæ partes magis calent, internæ frigent. Præterea hoc idem arguit, & de quiete. Nam quamuis quies faciat ad concoctionem viscerum, tamen motus faciet ad musculorum concoctionem, & externarum omnium partium, quæ exercitio euadunt calidiores. At Galenus de omnibus coctionibus, quæ in ventriculo venis, & reliquo animalis corpore fiunt, vult verum esse, tertio de Pul. c. nono. At exercitio tantū quinto de San. tuen. excitatur in membris calor, vnde & alimentum melius attrahunt, & alterant, & apponunt. Sic secundo libro ad principium vbi commoditates exercitij ponit. Excitatur inquit calor membris, vnde distribuitur alimentum, & mutatur, & nutrit, & excrementa expurgantur impetu spiritus, qui foras fertur. Præterea emaciari membra, quæ non exercentur videmus, vt de Galianchonibus Galenus ait. Et sexto Epid. 4. loquitur solum de coctione, quæ fit in ventre, & venis, vt ipse numerat. Quòd si quando dicit omnes coctiones, intelligit tum ventris, tum venarum: nam in membris non dicitur coctio, sed denominatur.

Exercitij commoditates enumerantur iuxta Galenum.

Videtur ergo quæstionem soluere Hippo. 6. Epid. 5. cum ait: Exercitium articulis, & carnibus cibus est, à præstantiore operatione scilicet quæ est assimilatio: somnus verò visceribus: quoniam, inquit Galenus, in somno viscera calore robusta fiunt, & nutriuntur: at in vigilia, & exercitio calor excitatur: sed non fruuntur eo membra ad concoctionem nisi cum quieuerint, vt natura cōcoctioni vacet. De vigilia, concedimus fieri tertiam melius, nisi motus vehemens adsit animi, vel corporis. Meminit verò alimentorum pro exēplo, quæ vesperi sumi debent, & sunt omnia tenuis substantię, & boni succi, vt celeriter renutriant. Habent autē & vim humectantē pisces mollis carnis è mari, & sunt Petrei dicti etiā ab Arist. qui eam diuisionem inuenit primus. His verò proportione respondent, & aselli, qui littorales: & ex fluuijs quoque vbi maris copia non sit, etiam Trottæ, Gobij, Barbitones. Omnes enim molli carne sunt prędicti. Neque quisquam vobis suadeat Luccios, sed fratribus Cartusiensibus dimittatis, quibus sunt suauissimum edulium. Sunt autem saxatiles dicti hæc genera, Scarus, Merula, Turdus, Iulia, Fuca, Perca, tertio de Ali.27. Condimenta verò vult esse album ius, id est, simpli-

Pisces mollis carnis.

simplicissimum,& extra condituram. Nam conditura negocium facit ventri, vt experimur, & Galenus de Coquis conqueritur. Paratur verò ius album tertio Ali. ex aqua, oleo, porro, anetho, sale: quam præparationem dicit commodam conualescentibus. Aues etiam mollis carnis cõuenire ait, quales gallinaceorum paruorum sunt, lacte alit, vt humidus cibus magis sit.

Potus verò vinum sit, è genere eorum, quæ oligophora Hippoc. appellat tertio de Victu. Sed cum horum multa latitudo sit, quanuis genere eo conueniant, quòd parum aquæ sustinẽt mistionem: hoc loco eligimus ea, quæ leuiter astringunt: hoc est, quæ cum initio astringentia forent, tamen ætate multum austeritatis deposuerunt. Aliquid ergo astringere exquirimus: quoniam tale ori ventris est gratum, & firmitatem parit: sed multum fugimus, quoniam nimis siccat. Quòd verò acerbitatem, & austeritatem tempore deponant vina, experientia monstratur, & libro duodecimo Galenus testatur. Ideo laudat hic Sabinum, quod sextum annum compleuerit. Erit autem hoc statim imbecille quidem in vinorum genere: sed mediocriter calidum, & boni succi, vnde & ad concoctionem, & distributionem optimè faciet, & renutriet. Quantitatem verò cibi, & potus exactam esse oportere in tali ægro nemo dubitat ob imbecillitatem. Nam in paulo valentiore viribus, non tanti faciundi erunt errores. Coniecturam autem facit de sufficienti quantitate hoc modo. Potio ea superflua est, quæ fluctuationes facit: propterea quòd cibus quasi in humore innatare videtur. Hoc autem facit, vt non bene cibos complectatur, quæ est vna ex causis vitiatæ coctionis. Iubet vt imbecillus venter tantillũ bibat, quatenus siti obluctari possit: vbi verò confectus cibus fuerit, largius vt bene distribuatur, humore eo diffusus. Cibus verò modicus erit, à quo non grauatur vẽter. Sed quia statim posset quis dicere: quòd si modicus nimium offeratur, peccabitur: & tamen venter non grauabitur. Respondet, si non grauatur, esset aliquid adijciendum postridie, donec grauari sentiamus; quòd si grauatur, dememus. Sẽsim verò augere semper oportet, prout vẽtriculi vires semper firmiores erunt ad cõcoquendum, donec ad victum conualescentium reducatur: demum & sui sani, reuertendo ad consuetos cibos, potiones, exercitia.

Mox huic siccitati iungere frigiditatem oportet, primùm modicam, mox multam. Prosequimur verò hic iungentes frigidum vel calidum: quoniã hæ tres difficillimę, aliæ faciles sunt. Hic ergo duplex scopus erit, nempe humectare, & calfacere, quæ ambo simul exequi est difficillimum: propterea quòd quæ calfaciunt, nisi modica admodum sint, etiam siccant. Sed hic primùm ponimus modi-

Vinum oligophorũ.

cum ad frigus lapsum, ideo & modicè calfaciente est opus. Permutat solum in eodem genere ciborum eorum qualitates. Nam vbi prius mellis pauxillum admiscebat lacti, ita hìc plusculum. Habet enim modicè calfaciendi vim, ideo frigido ventriculo amicum. Vinum idem genere, sed quod vetustum magis sit, & ideo plus calidum. Cibos verò reliquos actu calidiores dabimus, & potestate, vt in eodem genere mares potius, quàm fœminas, & condimenta aliqua modicę caliditatis, sed præsertim non vehementer siccantia. Extrinsecus verò perfundes vnguento nardino, in quo mastiche pinguis sit diluta, vt tamen fundatur. Sat ergo erit vt vncia olei scrupulos tres vel quatuor mastiches accipiat, & perfundere semper ita vt siccus nunquam maneat venter. Cætera de balneis eodem modo sunt tractanda. Habet verò vnguentum hoc calfaciendi vim, & astringentē modicam sine siccitate euidenti, quòd mastiche recens sit, & olei vis non siccet. Patet autem quòd & aerem ad calidum parare oportet, & modis omnibus à frigore defendere, præsertim ventris partes, quod optimè efficit eorum vnguentorum vsus. Iisdem remedijs vtere vbi maior frigiditas solum eorum qualitates intendendo actu, & potestate tales.

Parat autem aliud remedium picationis, quod facit maximè ad renutritionem, & eo vtitur Galenus ad extenuatas partes, vbi frictiones non contulerint, quinto de San. tuen. in historia pueri curati, qui augmentum non habebat carnis. Est autem huic vnguento vis calfaciendi, & humectandi 14. Meth. non quidem per se, sed ex accidenti, quatenus attrahit ad membrum humida, hoc est sanguinem. De vsu eius ait eo libro hyeme bis esse debet vsus, æstate semel. hoc verò septimo lib. bis solum in die facit. Ratio, quoniam timet, ne medicamentum dissoluat, quod semel est attractum. Eadem enim ratio est, de balneo, fricatione, picatione. Vult toti ventri apponere, id est, etiā intestinis, quoniā & ea calfacere oportet, cōsensu ventris imbecilla facta. Est aūt medicamenti cōpositio ex pice, & oleo pauco. Nam si multū non hæreret, si paucū nimis hęreret: debet aūt hęrere modicè, vt attrahat à vicinis. Vsus verò vt refrigerari modicè sinamus, mox auellamus: debet autem super aluta extendi & calida apponi: ruborem enim excitat in parte, quod est signum confluentis sanguinis. Sed quid hoc ad ventriculum? Attrahet quidem picatio, sed ad abdominis musculos qui illinuntur. Illi ergo humecti reddentur, & carnosiores. Sed ipse sperat, vt vndique accersitur cuti externæ sanguis, ita & internis partibus accersiri. Sic & cataplasmata faciunt in visceribus phlegmonas attrahendo in ea humores, cum tamen ea non contingant, sed solum extimam cutē.

Erant

Erant ergo remedia Empiricis probata, vt rubificantia, quorũ non plenè ratio reddi poteſt, non tamen negligenda.

Commune verò remedium his eſt, vt inter dormiendum puellum amplexentur medij habitus. Calor enim humidus eſt, quare optimè ad concoctionem facit, quo nihil magis expetimus. Neque enim alia ratione curam difficulter recipit affectus, quàm quia non concoquunt. His ergo caloris eorum ſubſtantia augetur, non autem qualitas intenditur: quod fomenta faciunt ſæpius. Fit ergo multus calor circa viſcera, ſed ſuauis à corpore pueri mutuatus. Huius remedij meminit, & quinto de Simpl. Quòd verò pueri humido calore abundent, notum eſt. Balneis quoq; in his vti vult, quòd modicè calfacere poſsint, & alimentum diſtribuere. hæc libro de Tabe.

De caliditate verò agendum, primùm cum ſiccitate pauca, mox multa, quæ eſt via ad maraſmum calidum. Patet autem quòd ſcopi curandi fuerint refrigeratio, & humectatio. Materia verò erit eadẽ genere, ſed quæ qualitate, vel quantitate euariet. Vtemur enim balneis, & lacte, ſed lacti exiguum mel addemus in hoc caſu, quoniam calido ventri eſt aduerſum, ideo mel prorſus non guſtent. Hoc dicit, quoniam prius mel comedendum dederat ſolum pro cibo, hîc dari non vult: vel tantùm ſolum addatur, vt guſtu non deprehendatur. Non inconueniret pro eo, ſi timeremus coagulationem, oxymellis aliquid offerre, vel rhodomellis, quibus aut nullus calor, aut longè minor, nec metus eſt vt bileſcat, multo verò minus ex ſaccharo.

Mox de reliquis cibis agendum, & quidem in ſecunda itidem cibatione ptiſanam vel alicam dabimus eodem modo apparatam, ſed qualitate actuali mutata: nam vt in prioribus qualitatem ad calidum vergere volebamus; ita in his modico quodam calore prædita offeremus: qualem lacteum appellare mos eſt, inquit Galenus. Si verò æſtas ſit indicatione ab anni tempore, qualitate, fontana offeremus. Galeni ætate mos erat medicis deſcribere ſic ciborum qualitates, vt gradus ſtatuerẽt, primùm frigidiſsimum; quem proprio nomine algorem nominabant, vel niualem appellabant, & cõtrarium calidum. Nam calidiſsimam qualitatem nullus offert. Mediæ verò qualitates alijs nominibus nominantur ex ſimilitudine ab externis acceptis: & ſunt lactea, fontana ſimpliciter, fontana Veris medij. lactea proxima calidis eſt. Patet autem tactu lactis calorem eſſe exiguum, & modicè cutis calorem excedere. At fontana adhuc tepidior eſt, & ad frigus à medio vergit: ſic dicta, quoniam fontes præ fluuijs id habent peculiare, vt earum aqua hyeme calida

Anglus interpres licent oſus in hoc eſt.

sentiatur: reuera tamen infra temperatam est: sed multa tangentis frigiditas calidam indicat, vt Galenus aliquando ait: ideo ea qualitas fontana dicitur, quam describit Galenus decimo Metho. xj. esse mediam ait inter tepidum, & frigus feriens. & secundo de Simpl. 6. fontana dicitur qualitas, quam nec calidam, nec frigidam dixeris. At medij Veris fontana iam frigida qualitas est: sed nō adhuc molesta, & valde feriens. Hinc declaratur locus in libello de Præcogn. in cura vxoris Boethi malè ab interprete habitus, cū vult fricare melle optimè cocto, sed refrigerato, vt fontanæ aquæ per æstatem esset simile. Hic sensus bifariam falsus est, primò quia non posset mel coctum fundi sic refrigeratum: secundò, quia non resoluit frigidissima qualitas, at intendit siccare resoluendo. Sensus ergo est, quòd cum æstas foret, ne calor tædio esset, sinebat mel refrigerari ad fontanam qualitatem.

De cœna quòd ad cibos nihil dicit Galenus, sed par est, vt habeant frigidam, & humectantem qualitatem: frigidam verò actu, & potentia. Ideo vinum & minus vetus ex eo genere dabimus, & aqua diluemus. Imò si affectus inter initia esset, quando adhuc corpus non est factū imbecillum, frigidam aquam propinaremus, idest, vbi multa adhuc siccitas non esset & eius potus esset curatio. Sed iā supponimus hîc siccitatē multum processisse, vnde noceret, sicut quadragenario illi nocuit, de quo Gal. historiā recitat. In cibo verò tum carnes eas dabimus simplicissimè elixas, & olera frigida cocta (& est cura Rasis) & demum qualem biliosis, pręsertim febre correptis cibum exhibere solemus; vt panem ex aqua, lactucas ex aceto diluto, & saccharo. Quòd si vehemens calor sit, iam vt affectus in marasmum tendentes sunt curandi, de quibus decimo libro: vnde & Rases ait, Curentur vt hecticam habentes. Extrinsecus verò ventrem inungemus oleo cotoneorum, vel omphacino, hisq; actu sub frigidis. Nam si calor sit amplior remittēdus, est ad decimū librum vbi refrigerantia maiora admouentur.

Reliquæ intemperies facilè curantur, vbi sine materia fuerint, præsertim calida & frigida. Amotis enim causis, si quæ adhuc adsunt, vt æstus immodicus, vinum potens, theriacæ, vel anacardinæ potus; frigida potio citò sanabit. Nec enim hîc metus est, vt in siccatis, & gracilibus, ne partes, quæ refrigeratione non egent, multùm inde noxam contrahant. Sunt enim robustæ, & carnis, humiditatumque nimium solidæ partes habent; vnde feriri inde multùm sustinent. Cibos quoque frigidos actu, & potestate offeremus: olera, pisces, suillos pedes, hędinam carnem. Similiter & extra frigidis

perfunde-

perfundemus, si opus sit: de quibus in erysipelate stomachi dicemus. Rases caliditati iungit humiditatem, vnde frigidos exhibet cibos, & austeros, vel acerbos, vt vnà siccent. Huiusmodi sunt mala omnia, pira præsertim agrestia, & cotonea: & carnes ex omphacio coquit. Hoc non viderunt expositores, credentes calidum tantùm eum curare. Frigiditas verò sola calidis curatur, quòd si vnà, & humida sit, etiam siccantibus, vt sunt aromata omnia, & quæ ex eis cõponuntur, tum intrò assumpta, tum extrà. Extrà quidem emplastrũ Rasis optimè faciet ex styrace, spica, squinanthe, calamo odorato, mastiche: hæc in puluerem redacta forment emplastrum. Possunt etiam ex melle cocto componi. Hìc verò cerata optimè facient ex mastiche confecta, & specieb. aromaticis. Puellis ciminum ex melle cocto apponimus: cum ex frigiditate lac corrumpitur acescens, & euomunt. Confert & miua aromatica, quã describit Rases, & habetur composita. Fiunt & in hoc casu sacculi, fiunt fomenta ex eadem materia. Quæ verò mihi probata sunt, assumunt absinthium, mentham, schenanthum añ. m. ij. radicem cyperi non erosam, coriandrum, garyophyllum añ. drachmas vj. cum vino Cretico, cauendo hypochondria. Confert autem hìc Diatrion pipereon optimè à Galeno descriptum quarto de San. tuen. Quòd si flatus gignantur vt succedere solent: vnde duplici ratione concoctio vitiatur, & ex intemperie inquam, & ex mala cibi comprehensione. Historia cuiusdam qui post horas quatuor cibum euomebat ob flatus, huc facit.

Tunc ad eos discutiendos vnà intendere oportet, in quem vsum confert diacyminum à Rase descriptum (sed magis in vsu est Nicolai) & zinziber conditum. Demum & diacalamentum. Postremò loco, & quod ex baccis lauri conficitur. Semen quoq; imperatoriæ sacchara conditum offero, & cyminum. In cibo verò à crudis omnibus abstinendum ob cõcoctionem imbecillẽ, sed priuatim frigidis vtraq; ratione. Carnes assæ, & aromatibus coditæ sumendæ: & vinum fortè bibendum aqua egelida temperatum. Quòd si rustici sint, cocta allia. Nunc illæ intemperies sanandæ sunt, quas humor aliquis in ventriculo collectus fouet; quæ etiam sunt frequentissimæ. Quo casu tria perpendere oportet: primùm num aliunde influat in illum, an ex ipsa ventris intemperie, & frequenti cruditate sit aceruatus: ita vt venter ipse sibi malum foueat. Secundò si aliunde influxit, an nunc primùm cœperit, an multò antea affligatur. Tertiò num humor in ventris spacio contineatur, an potius ventris tunicas irriget, atque illis hæreat, vel visciditate hærens, vel tenuitate exiguis meatibus imbibitus. Primùm igitur si aliunde influit, num ex toto corpore, id est, non ex detarminata ali-

qua parte id eueniat, aut ex parte aliqua priuatim, quod distingues, quoniam aderunt signa redundantis in toto, & est coniectura multis signis collecta; vt hic distinguit, & quarto de San. tuen. & libro de Plenitudine: ob quam, & conijcio in toto abundantiam esse, & cuius humoris sit abundātia, num sanguinis scilicet, an alterius humoris. Sanguinem enim abundare in toto corpore significant, primùm venarum tensio, & tumor, vnde repletæ iudicantur: mox totius corporis color rubens sine aliqua euidente causa: & excretiones sanguinis suppressę: vt menses, vt hęmorrhoides, aut nares, aut etiam vomitus. Et ego excretionem quibusdam mulieribus per interualla euenire vidi. Si membrum nota dignum mutilum sit, si in quiete agit prius exercitari solitus, si uernum sit tempus, & ætas vigens adhuc: si demum reliqua victus ratio omnis ad augmentū sanguinis sit instituta, iam scies & auctum esse, & in toto corpore auctum. Contrà, abundare bilem æstus monstrat, & corporis pallidus color, & habitus gracilis factus, & quia choleris, & diarrhœis, solitus erat purgari; aut per artem sibi purgationes iniungere: & hæ communes sunt notæ vitiosorum humorum. Sed præter hæc ex his, quæ in corpore nascuntur tuberculis, scabie, varicibus, & abundantia, & qualis sit significatur. Adde victus rationem in cibo, & potu, & omnibus vitæ studijs. Adde & symptomata quæ faciunt circa somnos, & vigilias. Oportet autem nosse qualia vnusquisque humor natus sit inferre. Num verò in ventris spacio contentus sit, an in ipsius tunicis: ex nausea conuincitur tunicis inhærere, id est, ex inani vomēdi cupiditate. Non enim dimouetur facilè quod est infixum. Gal. 1. de Loc. affect. 4.

Si verò consideranti tibi non apparent in toto abundantia excrementorum, tunc ab aliqua parte influent, & ea pars est inuestiganda, vt dixi, considerando si qua ex illis, quæ solent in ventrem transmittere malè afficiatur, vt iecur, cerebrum, lien; quod præsertim conijcies, vbi videris alios morbos, quos partes illę creare solebant esse sanatos: vt oculorum fluxiones, dentium, capitis ipsius, articulorum. Signum enim est materiam illam aliò deriuatam esse. Sic de iocinore, quoniam vel diarrhœas facere solebat, vel ad cutem trudere. Primùm ergo curare tentemus intemperiem materialem, quæ non aliunde pendet, & hæc est plerunque frigida, & humida. Nam generatio humorum in ventriculo, plerunq; attinet pituitæ in libro de Atra bile ad calcem libri, & secundo de Facult. Fit enim ex cibis, qui ob frigiditatem, & humiditatem caloris ventris frustrātur actionem. Præsertim si natura venter sit debilis. Quòd si calidus venter natura sit, facilè ex calidis cibis vitiosæ bilis genera aceruat:

prasi-

prasinam scilicet & aeruginosam, secundo Prognost. 29. 2. de Tempe. libro de Atra bile. Sunt autem hi cibi acres, & medicamentosi. hoc etiam primo de Loc. 4. Intelligit verò plerunq; hoc fieri. aliquando enim quanuis rarò, etiam gignitur in venis ex multo calore flauam bilem assante, primo Prorrh. x. decimo de Simpl. 7. & nos eiusmodi vomitus, & deiectiones sæpe vidimus: præsertim hoc anno. Sit ergo primùm pituita in ventre, & sit crassior eius portio in spacio ventris; altera verò inhærens tunicis affixa viscidorum modo. Sint & tenuiore irrigatæ, & madidæ ventris tunicæ, vnde & intemperatæ sunt. Hæc ergo omnia simul iungi possunt. Patet ergo quòd in hoc affectuum complexu à prima causa ordienda est curatio, hoc est à vacuandis humoribus, qui in spacio ventris continentur. Sed quia sæpe contumaces sunt, vt Galenus inquit, satius est antea parasse per positionem oxymellis, aut etiam scyllitici, quod non solum, sed cum rosaceo compono, quanuis illitus pituita venter non soleat etiam ab acribus morderi. Quo peracto si quidē idoneus ad vomitum æger sit, & nauseabundus, per vomitum educere tentabimus: primùm post mulsæ potum, & oxymellis: mox si parum proficiamus ob contumaciam, per fortiora vomitoria: cuiusmodi est raphani radix, vel sinapis decoctum. Hoc bis facere vtile erit. Pòst ad infixos tunicis accedere, & imbibitos, qui necessariò tenuiores sunt. Debent autem hi purgari per hieram Galeni quam ad ventris humores purgandos vtilissimam ait, vt & omnia medicamenta quæ venas primas transcendere nequeant. Nam purgatio fortè reliquo corpori esset molesta, quoniam ea non eget: & si qua sunt excrementa in ventre traherentur ex vi medicamenti tractrice. De qua re reprehendendi sunt maximè qui violentis pharmacis vtuntur, cum præsertim purgantia omnia talia ventrem lædant, secundo de Vict. 12. Habet verò hoc medicamentum præ cæteris, vt ventrem potius roboret, præsertim si ex aloe lota fiat, nam & ea vtimur extrinsecus ad ventrem firmandum. Deponit autem lotione acritudinem. Habet verò iuncta aromata, quibus & materia ad pulsionem paratur in hoc casu, & venter frigidus incalescit: & ab ijs vt pote naturæ gratis sumit firmitudinem, sicut à fœtentibus supinatur. Compositio varia est pro natura affectuum. Nam plus miscemus aloes, vbi magis purgare velis, minus vbi potius calfacere, & aperire, vt ad ciendos menses.

Aloe deponit acritudinem lotione.

Hieræ cōpositio varia.

Quòd si dicas, Aloes vim esse, vt bilem purget, non pituitam. Respondetur sexto de San. tuen. quanuis aloe id non possit, tamen ex admistis speciebus humores parantibus id potest: & octauo de Medi. *κ. τ.* secundo purgare potest hiera viscidam pituitam, non autem

aloe hiera, idque ob aloes imbecillitatem. Acquirit enim vim purgantem magis ex aromatis. Contrà dices, si natura eius sit bilem purgare, quomodo pituitam purgabit? Dices fortè euenire vt in simplicibus multis, qui duos humores purgare possunt. Contrà, si naturam haberet duos humores purgãdi, semper eos purgaret, malè ergo dixerunt, quòd solam bilem purgat aloe. Dicimus aliter, quòd aloe, & amara, vt absinthium, bifariam purgare possunt, attrahendo, & detergendo. Nam quæ attingunt, humida extergunt, vt in vlceribus patet: attrahit verò bilem. Ad detersionem verò iuuãt aromata humorem facilẽ reddendo. Sed num hiera vim habeat lõginquas partes purgandi? Nam libro de Ven. sect. & 8. de Med. κ.τ. secundo, vtitur ad mouendas purgationes, quę vteri venas purgat. Contrà libro hoc octauo κ.τ. dicit aloẽ vim non habere vltra iecur. Ideo in ventriculi affectibus est vtilis eius vsus. An vult primas venas purgare ne à medicamentis menses ducentibus pituitosa excrementa in angustas venas trahantur? Dosis medicamenti est inquit Galenus, cochlearia duo magna: quæ inter hæc mediæ. Sed cur secundo de Medi. κ.τ. dicit ad summum drachma vna? Inutilis quæstio est, cum veritatem habemus. locus est mendosus. Aliter enim legebat vetus interpres. Siue ergo puluerem dederis, siue in pillulas conformabis, hæc erit dosis. Si verò in electuario ex melle confecta sit, dosis summa vncias ij. Quoniam verò serò admodum purgat; ideo ante lucem sumitur: nec prius cibum sument, quàm è ventre descendisse sentient. quòd ructus aloen non olet, & quòd rugitus, & motio in imo ventre sentitur, descendente medicamento vnà cum humoribus.

Aloe non habet uim ultra iecur

Ventriculi bile affecti curatio.

Quòd si bilis sit in causa (diximus suprà, quisnam bilis modus in ventre gignatur) statim expellenda erit: tum quia facilis suapte natura est vt expellatur, tum quia tardare malum est ob eius prauitatem. Est enim venenosa syncopem faciens, & per consensum conuulsiones. Expelletur verò vomitu, quod potest. Quòd si quid inhæsit per hieram: exhibendo, non vt prius solam, vel ex vino, vel aliquo decocto extenuante, scilicet ex aqua.

Sed si materia aliunde influit, tunc intentio esse debet toti prospicere, vel parti, si pars sit. hæc enim est summa causa. Esto ergo primùm copia bilis, vel pituitæ in toto, vnde id fiat: num à vacuando ea à toto incipiemus? Respondeo, hîc regulas aduertere oportet complicatorum affectuum, de qua 3. Methodi & hanc septimo libro capite 8. replicat. Et est vt primo consideremus, quid sit, quod vrget. Nam si aliquid sit tale, inde est inchoandum. Vrget

autem

autem morbus sua magnitudine. Magnitudo verò eius est, vel ob partem quam afficit, cuius actio præstat, vt ventriculi: quoniam eius primam operationem lædit: vel quia dispositio ipsa adeò magna est, vt periculum afferat, vel quia vires destruit. Quod ergo periculum affert, vrgere dicitur. Si igitur materia syncopem morsu afferret, vrgere diceretur tunicarum affectus; siue sine hoc, vitiaret multum concoctionem, vnde cogeremur relicta prima causa hunc affectum respicere, postea ad illam venire: cum præsertim illa nonnisi longo tempore posit tolli. Contrà dices, in omni morbo qui causam habet, debemus semper causam respicere primùm libro Tech. postea ad factam ægritudinem peruenire. Respondetur, hæc est cura regularis, nisi aliud cogat. Contrà, hìc vt ponimus, nihil cogit. Respondetur, semper affectus intemperiei cogit propter officij præstantiam, quod tollit. Ideo colligo, quòd in hoc casu debemus tantisper negligere primam causam, donec affectus mitigetur. Hoc fiet, si ea omnia, quę diximus, circa eum fiant de vacuatione, & de auferendo postea derelictam malam membri intemperiem, ipsum roborando, ne facilè recipiat. hic erit primus scopus qui occurrit peragendus: interim tamen neq; negligemus causam. Nam victu primùm insistemus: vt si pituita sit, inediam imperando multam, & potum exiguum, & cibos siccos, & calidos, & omnino quæ pituitæ generandæ sunt contraria; exercitia in calido, siccoq; aere, vel ex oleis siccantibus frictiones, & stufas siccas, quæ sudorem cieant, & vigilare: similiter & clysmatis proritare ventrem, & vrinas ducere. sic enim corpus siccatur. Pituitæ generandæ contraria quæ sint.

Propinare verò in hoc casu medicamenta, quę pituitam ducunt, vt quidam consulunt, est ægrum perdere. Quomodo enim si ad vẽtrem afflictum trahunt, ipsum non lædent? Præterea sponte sua hęc lædunt ventrem, vt Galenus voluit, & omnino 12. Metho. in copia crudorum horret purgationes, sed curat eas frictionibus, & inedia: præsertim vbi os ventris valde afflictum fuerit: & in de Ven. sect. capite sexto, & 11. & 4. de San. tuen. ad medium: si crudis plenum est corpus, nec vena secta vteris, nec purgatione inquit: magis tamen timet purgationem. Nam si vires ferant, venam secare non verebitur. Attamen cum parati sunt humores, non malè vtemur medicamento leui, quod à remotis non attrahat, cuiusmodi hiera est, cui etiam vis inest purgandi pituitam ex vi detersoria aloes. Cura ergo inquit, est, vt abstineant à cibo, & à valenti motu quiescant. Sustinent autem hi victum tenuem maximè, quoniam pituita in sanguinem vertitur in longiore inedia. In sanguine verò melancholico Corpus quibus rationibus siccãdum. Pituita in lõgiori inedia uertitur in sanguinem.

prorsus sanguinem mitti vult libro de Ven. sect. quoniam nec corrigi potest, neque facilè absumi præ crassitie. Optimum verò erit semper reuellere eos humores ad contraria, & deriuare fluxiones ad partes alias, vt ad infernam aluum clysmatis; ad vrinam eam ducentibus, præcipuè post extenuantium vsum. Sed si fluxio biliosa sit, purgabitur similiter in stomacho, primo vomitu, mox absinthij decocto, vel hiera. Quoniam verò venter est qui recipit (recipit verò in longis inedijs, vt in mœrore 6. Aph. 50.) ideo non debent cibo præter suas horas hi abstinere, sed sensum famis anteuertere, cũ præsertim non soleant famescere: vnde præceptum illud Auic. est suspectum, quòd ad cibum fames expectanda sit. In cibo verò oportet præcedere leniẽs aliquod semper, mox sequi quę roborát astringẽdo: & vinũ astringens sit, & album, & tenue, vt per vrinas bilẽ expurget. Patet autem quòd vniuersa victus ratio esse debet, quæ biliosa excrementa non generet, id est, frigida & humida, cibis, balneis, somno, quiete: vno Aphorismo comprehendit Hippocrates sexto Epid. In calida natura refrigeratio, aquæ potio, quies. Sic verò & temperabitur bilis, & quæ circa iecur est, per intestina expurgabitur.

Numverò purgantibus instandum sit; credo quòd nõ nisi aluum lenientibus, vt natura bilem traducere assuescat per loca consueta: dum corporis malus habitus corrigitur. Quòd si influxus bilis in ventrem sit naturalis, vt ex portione pori fellei ad ventrem tendente: quem errore naturæ in quibusdam maiorem esse cõtingit, quàm oporteat, malum est incurabile. At si pituita à capite descendat (& est casus, qui crebro euenit, Florentiæ præsertim) ipsi prouidere oportet, postquam venter melius se habuerit. Propria verò capitis prouidentia erit per contrariam intemperiem. Quoniá verò multa pituitosa excremẽta generat, erit exẽpli gratia intẽperies eius frigida & humida. Caput igitur calfaciemus, & siccabimus. Sic enim & alimentum bene concoquet, vnde nec ex alimento pituitam generabit, & quæ ab inferiore corpore susceperit excrementa, expurgabit per insensiles transpiratus; & etiam per sensiles vias, neq; etiam promptè suscipiet ea iam firmatum. At qualis prouidentia capiti frigido & humido debeatur, in de capitis morbis dictum est. Capita verò eorum sunt, vt si adest multitudo pituitæ, vacuetur. Si est communis toti, per totius prouidentiam: si partis solùm, per notas vias, per quas caput purgatur: per nares inquam, & os, & insensilem transpirationem, & per ea, quæ calore, & siccitate siccant, cum noctu assumuntur. Galenus his Diatrion propinat, & piper album ex aqua. Si verò melancholicus est humor, si totius vitio, dictum est su-

Pituitæ à capite in uentrẽ descendente quomodo prouidendum.

Capiti frigido, & humido quomodo prouidendũ.

prà

prà quomodo proſpiciendum: ſin partis, vt lienis, quoniam malè affectus eſt, hunc vacuabis eodem modo: & victum inſtitues, quo maximè eius ſucci generatio euitetur.

De Abolita appetentia. Cap. XLIIII.

FAmem, alimenti appetentiam eſſe, definit Galenus. Sitim verò potionis, ſeu humoris. Sunt autem hæ naturales affectiones oris ventriculi inſequentes moleſtum quendam ſenſum, qui fit in eo, vel ex alimẽti penuria, ſcilicet fames, vel humoris, aut frigidi, id eſt ſitis: Inſtitutum ſanè à natura in ea parte, vt ſenſum indigentiæ habeat, & ſentiat alimenti, inde remedium quærat, vt & potionis. Neque ergo inconuenit ſimul famem, & ſitim fieri. Nam ſymptomata ſe compatiuntur: vt Ariſtot. ſecundo de Anima. Cauſari autem hanc appetentiam ait ex alio ſymptomate, hoc eſt moleſto ſenſu circa eam partem, qui fit ex venis innatis, cibum ex carne ventris quærentibus, ac proinde vellicantibus, & exugentibus, qualem ſenſum ſæpe experimur. Dum autem à ventre quærunt, quærunt à iocinore, ſed trahent excrementa. Hinc aliquibus os amaricat, alij paulo poſt velut plenos ſe ſentiunt. Inaniuntur autem illæ venæ ex maioribus iocinoris inanitis, quibus ſunt hæc velut radidices. Hæ verò à carnibus, in quas diſtribuuntur ad alimenti delationem. Quare hæc ordine ſe habere Galenus ait, partium inanitionem, mox tractum à venis, has tandem à ventriculo. hinc moleſtus ſuctionis ſenſus, inde fames, id eſt, cibi appetentia. Num verò ad famem naturalem hæc omnia concurrere oporteat, vetus quæſtio eſt, propter plethorica corpora, quæ famem incidunt ſtatis horis, cùm tum ſanguine abundent in venis. Dico in his quoque inaniri venas: fieri enim ſemper augmentum molis carnis, & adipis, quæ alimentum exigunt, vnde à venis ſemper fit tractus, & hoc non cibi modò, ſed & potionis appetentiæ eueniunt. Sed & tertio de Facul. 13. cùm membra à venis attraxerint, & concoquant, interim ventriculus iam appoſuit, & aſſimilauit cibum: quare & eius venæ citius inaniuntur, quàm extimæ, & cibum quærent, quamuis non fiat mẽbrorum indigentia. Econtrà ſtat venas extimas inanitas trahere, dum venter eſt ſatur: diuerſo enim tempore fiunt hæ actiones. Accidunt verò circa appetentiam vitia: primum ſi aboleatur, ſecundum ſi imminuatur, tertium ſi deprauetur actio, quæ duplex eſt. Primò cum plus iuſto appetit, ſecundò cum non appetenda, & vitioſa: vt ſi ea appetat, quæ homini alimenta non ſunt. Primum & ſecun-

Primo de Simpl. cap. ſeptimo.

dum vitij genus, symptomata sunt eorundem affectuum, quos inue nire oportet. Galenus hos esse dicit: primus si suctio non fiat, si corpus non inanitur, si suctio non sentitur. Videtur autem ad duos affectus reduci, vt vel non fiat suctio, vel non sentiatur. Quòd verò non fiat, causam vltra quærere oportet, & assignat duas genere, alteram in toto corpore, alteram in ventre. In toto quidem, quoniam non dissipatur, vt cum plenum est frigidis crudisque humoribus: vnde & calor debilis fit, & materia non facilè absumitur ob crassitiem, & densitatem carnis. Vnde vna ex causis plenitudinis est carnis densitas, & minima perspiratio. In ventre verò siue calida, siue humida intemperie laboret, siue adsit materia, siue sine ea. Nam generatim vt sexto Epid. 4. cap. 19. Galenus ait, quæ calefaciunt, & fundunt, tollunt appetentiam. Contrà, quę stringunt, & cogũt, eam adaugent. Sed experientia monstrat æstate ferè tolli appetentiam, hyeme plurimum augeri. hæc de calida. Humida verò laxat os ventris, non secus atque articulos laxari videmus: vnde & languet appetentia. Sensus est, suctio non fit: quoniam venæ illæ calido laxæ fiunt, & ventris partes non facilè contrahuntur, & spissantur, humido calidóue relaxatæ. Galenus primo de Sympt. causis laxando, & fundendo replet scilicet partes oris ventris, vnde non appetit, & at tractricem debilitat, inquit: contrà, calidum attrahit etiam alimentum. Quôd si etiam materia adsit, tertio Epid. primo, eò magis tollitur suctus. Causa est (vt arbitror) primò, quòd natura venarum refugit huiusmodi excrementum exugere, ob prauitatem. Secundò, quia calida, & acria talia cum sint, laxant, & fundunt. Tertiò, quia mordent, & dolorem inferunt, vnde non ad attrahendum ventrem inuitant, sed ad pellendum potius, & nauseam cient, quæ perpetua abominatio est.

Sed cur est, dices, vt cibos auersentur, & nauseent, qui ita affecti sunt, cum illi aliàs erant oblectationi? Respondetur, vis expultrix ab vnoquoque excitatur: nec enim vt iocundum apprehendit, in quo nec odore, nec sapore iocunditatem inuenit: ideo molestiam sentiens, omnia quasi molestiam allatura respuit; nisi fortè aliqua sint, quæ appetant, vt remedia, de quibus dicemus. Cæterùm causa illa prima, ratione totius non videtur inter causas annumeranda symptomatis. Nam si digestio per halitum non fiat; haud equidem appetentia eueniet. Sed non inde symptoma est ventris, si non appetit: Nec enim antè sine inanitione debet appetere; hæc nõ fit, sed hoc vitium aliud totius, ad quod sequitur, vt venter non appetat. Ideo affectus, qui causa abolitæ, vel diminutæ facultatis, quæ cibum appetit, & indigẽtiam sentit, esse videntur intemperies duę,

aut

aut etiam materia iuncta. Sic in febribus deletur appetentia, aut diminuitur, quòd suctio non fit, idque ventris ratione, quanuis corpus indigeat. Alterum causarum genus est sensus ablatio, ob quam suctus non sentitur à ventris ore; quæ causa morituris euenit: vnde sitim potionis egestatem multò molestiorem non sentiunt, quanuis maximè indigeant. Cur verò molestior sitis sit, causa esse potest; quoniam per intemperiem molestat calidam, vel siccam. At in fame solùm vellicatio, & titillatio quædam est. Præterea symptoma illud solius oris ventris est: at sitis gulam, fauces, linguamq; molestat. nec etiam valde molesta est, nisi vbi calor quoque iungitur. Et hæc etiam causa est, cur pereat citius cibi appetentia, quàm potionis, quoniam ea indigentia proritat magis, & plures partes. Imò sitis est sine stomachi affectu, vnde multi solum os abluunt, & hinc etiam peius signum est sitis abolitæ, quàm cibi. Causas doloris, seu primariò, seu per consensum ad hoc genus reducere potes, quia obscuratur dolore fortiore.

Porrò quòd non sentiatur molestia, grandis intemperies in causa est, sensum destruens, & est frigida, quę etiam in alijs partibus torporem facit. Nec inconuenit dicere, eandem genere causam & appetentiam iuuare, & eam destruere. Nam & frigus dolorem excitat in parte, & vehemens tollit. Quòd etiam non sentiat vis emortua facit (excipe semper vt facit Hippo. si non delirent) vnde & emortuæ facultatis signum esse dicit Hippo. Fit autem id in multa spiritus resolutione, quando & membra omnia quasi soporantur: vnde & dormire astantibus ægri videntur. Hic ergo est Balimos morbus à Græcis dictus, vt declarat Galenus secundo Aphor. 21. Est autem nomen defectus animi ex inopia alimẽti in partibus corporis, vt primò ad Glauc. vltimo Galenus scribit. Fit autem hæc penuria, quoniam corpus non assumpsit, quoniam non appetebat emortua à frigido facultate, secundo Apho. 21. Est inquit casus potentiæ à frigore externo, quod antea famem excitabat, modò perijt: & primo de Sympt. causis bulimus est cum penuria, & frigiditate laborat, & imbecillitate. Ex frigiditate inquam ventris, penuria verò totius: & debilitate, vt exponit Aetius, & euenire ait iter agentibus per niuosa loca: quanuis nihil prohibeat fieri in febribus prauis, cum cibum non appetunt amplius, quanuis plurimum digerantur per halitum: vnde & animi deliquium ex resolutione incidunt. Videtur omnino addenda alia causa ex emortua facultate, sexto Epid. primo. Sic & Auicen. declarat: sed quod addit de fame syncopali, non video quomodo effugiat hoc caput: quòd causa sit caliditas fortis: si intelligit in toto resoluẽs, verum est. Est autem

Bulimi morbi tractatio.

Auic. taxatur.

hæc vna ex bulimi causis, scilicet resolutio: altera, vt indigentiam non sentiat.

Deprauata verò appetētia, duplex est, vt diximus: vel enim quia nimium, vel quia pauca. Nimium igitur appetit, primùm cum plurima fit corporis dissolutio, & ex calore, & ex succorum tenuitate, & corporis raritate. Nam, vt Galenus ait 1. de Sympt. causis, concurrit contentricis debilitas, cum expultricis fortitudine: vnde assidua, & multa nutritione æget corpus: sed quia conficere copiam nequit, ideo dejciuntur, vel euomuntur, vtpote ventrem grauantia tum multitudine, tum quia debilis est. Alia causa est humor acidus, vt pituita, quæ sæpe in ventre congregatur, vnde talem sensum facit, qualis est suctio in fame naturali: sic & humor melancholicus si in ventrem confluat, facit.

Appetentiam quæ excitent.

Vitiata verò appetentia, vnde prauos ciborum modos appetimus, inquit Galenus, ex humorum vitio fit: sed quod sit vitium, vel quomodo causet, non explicat. videmus tamen sic fieri in prægnantibus. Videmus in pueris & hunc affectum, licet minorem; in adultis quibusdam, qui prauis succis sunt repleti, vnde vel acida, vel acerba appetunt, vel acria. Dicimus ergo nos, hos sic affectos remedium quærere ex assumptis, remedia verò quæri per cōtraria. Hinc alij qui viscidis abundant, acida appetunt: qui frigidis, multum acria: qui calidis, acerba: qui indicibilis qualitatis, etiam indicibilis qualitatis cibos. An & hinc monstruosæ libidines in ijs qui semen retinent? Sed cur fieri dicas, vt in retentis mensibus conceptionis tempore hoc eueniat, non grandioribus, cum sponte detinentur? vtrunque tamen per naturam. Respondeo, semper si intra tempus purgationum naturale detineantur, noxam faciunt hanc, non si extrà. Natura enim aliò ea excrementa sensim deducere assuescit, & eiusmodi excrementa in senioribus non adeò multa gignuntur.

Dubiū pulcherrimū.

Signa verò quibus causam inappetentiæ distinguas, hæc sunt: Primùm enim externas causas considerabis, si qua adsit; vt calorem aut immoderatum frigus ex aere, ex frigido potu, ex veneno frigido: statim enim causa aperta erit. Sic victus reliquam rationem cōsidera, vt si multis & crassis cibis sit repletus, & ociosus, significatur suctionem non fieri: quoniam humida materia affligit. Contrà, si acribus & calidis sit vsus, & in ambiente calido sit versatus, significatur ex materia calida. Sed & illæ intemperies suas notas habebunt in ipso membro editas, & ex toto corpore dominium earum significare docemur: tum plenitudinis notas, & paucæ resolutionis ex habitu corporis habebis. Considerabis postea, num affectus

aliquis

aliquis in corpore adsit qui hoc facere potuerit, sed & affectus naturam, qua ratione posit appetentiam vitiare, vt febris putrida tũ calore, tum putrido vapore offendente, nõ secus ac si materia adesset humorum. Dolores verò si adsint, omnes tollunt appetentiam: quia animam auertunt, aut ventrem prauis saniebus replent: sed præsertim si in illis membris, quæ multum communicant ventri, præsertim si ab afflictis partibus humores ad ventrem fundantur, quod & in mœrore, vel timore accidit, vnde appetentia tollitur. Si grauida sit, causam nosti, vt si ex alia causa supprimantur præter naturam menses. Si verò ingens antea fames præcesit, significatur inappetentiam modò fieri extincta virtute appetitrice. Sic vbi alia ratione insensilis vel sensilis vacuatio multa sit facta. At deprauatæ appetentiæ causas sic inuenies. Nam si plurima appetunt, ex acido humore id sentietur: sin ex resolutione, ea præcedet. Si verò deprauata, vt in pueris & mulieribus fit, scimus vnam causam esse, prauitatem sanierum, concausam verò, animi mollitiem; quæ ijs adest sexui, & ætati, qua corrigere, & cohibere prauas appetentias non nouere.

Curatio verò, causarum abolitio est, affectus inueniẽdo, quibus primùm curatio debetur: vt si ex calida intemperie, corrigatur contrarijs: si humor adsit, purgetur: Et astringentib. pòst vtẽdum acidis vel acerbis, & extrà admotis. Sic si frigidi humores, & lenti grauantes, & laxãtes sint, dissecandi, & vacuãdi: si repletio totius, fame est vtẽdum: fames enim corpora siccat. & sexto Epid. 4. 16. multos per inediam deduxit, vt appeterent. Si verò resoluta vis non trahit, vnde atrophiam fieri certum est, balneis & frictionibus, & moderatis exercitijs appetentiam excitabimus, trahendo ad membra alimentum: & alimenta, quæ facilè penetrant offeremus, & sumere cogemus, & retinere (si nauseet) nares apprehendendo, & cucurbitulam affigendo: nam cum vires venter resumpserit, appetet. Hîc verò etiam in memoriam grata per sanitatem reuocabis, & si paulo deteriora fuerint, iuxta præceptum Hippo. Quòd si sensum perijsse, aut esse inanitum contingat: siquidem ex frigore iam bulimos est, seu ex multa resolutione spirituum. Cura verò bulimi erit difficilis tentanda tamen, præsertim in iuuene. Odoribus ergo primùm insistimus si animo linquuntur, aceti calidi, præsertim rosacei, & vini Cretici, & panem ex vino sumere cogimus, & extrema confricamus, ac sicut syncope affectos curamus: mox sensim quoque reficimus, vt antea expositum est. Si ex frigiditate incidit, in aere calido detinebimus, & pannis fouebimus, ventrem verò calidis, & odoratis illinemus, vt in intemperie frigida fecimus. Si ex dolore vel pro

Fames corpora siccat

Bulimi cura.

prio, vel alterius partis: hic ex propria curatione sanabitur. debet enim priuatim de vnoquoq; dici.

Deprauata quoq; appetentia ex causarum amotione tollitur, id est, prauorum succorum purgatione: quæ si prægnantibus accidat ex capite proprio prægnantium est curanda. Si verò ex acida qualitate, docet Hippoc. secundo Aphor. vigesimo primo. & Galenus eo loco, vt curetur, vini inquam potu, & pinguibus, quæ cibi fastidium faciant. Si ex multa dissolutione, vt in pueris, parum & sæpe dandum est, & cibi, qui non facilè dissoluantur, id est, crassi, & duriores. Iuuat verò & elixa potius, quàm assa dare, quòd magis appetentiam sedant ventrem replentes, quàm sicci sibi faciant.

Vide in secundo ordine.

Sitis verò causæ eædem genere. Vel enim quia non siccatur, & hoc ob intemperiem frigidam, & humidam, vel quòd siccitas non sentitur; idque vel ob destructum sensum, vt in resoluta virtute, vel anima aliò auersa, vt in delirio, & dolore aliò auertente.

De Dolore stomachi. Cap. XLV.

IAm suprà egimus de dolorem sedantibus, quatenus symptoma respicere oportebat, dum de syncope egimus: idque generatim in omnibus partibus, à quibus syncope prouenire potest: in quibus præcipua est venter. Nunc verò primùm causæ intédemus, id est, affectui, à quo dolet: & ordinem Rasis sectati, cum sciamus dolores præcipuos ex soluta vnitate euenire, ab ea incipiemus. Et quia quæ vnitatem soluunt, multiplicia sunt, primùm de mordentibus agemus: secundo loco de tendentibus. Ad duos verò maximè affectus causas redigemus, scilicet flatuosam materiam, à qua vehementissimi fiunt dolores; & calida apostemata. Atque hi sunt Rasis scopi, quibus si videbitur, alias quoque causas addemus.

Primùm ergo calida de causa agentes, id est, de intemperie cum materia biliosa: & hæc propriè cardialgia veteribus nominabatur, secundo de Ali. vigesimo quarto, eam distinguere tentabimus: & sunt ea signa quibus suprà ad intemperiem calidam vtebamur: nempe morsus & erosio, quod Angustiam nominat: turbatio, quam nos inquietitudinem dicere possumus: & nausea quod signum non est materiei distinctiuum: Nam etiam in frigida imbibita nausea esse potest, sed quòd vt suprà diximus, materiam tunicis imbibitam significat. Alia enim satis naturam materiæ demonstrant: quibus & sitim addere possumus, & oris amarorem: & si quid vomendo

mendo educitur flauum, & amarum est, & causæ euidentes ad hoc præcesserunt: vt calidorum ciborum esus, & vini calidi potus. Sed de hac sæpe suprà actum est, ideo sat fuerit Rasem videre, qui curat hunc affectum purgatione bilis, & his, quæ influxum prohibent bilis ad ventrem, scilicet cum astringentibus. Quam etiam purgationem Galenus instituit sexto Epid. sexto. Post vomitum enim odorato aliquo astringente perfundit. In victu verò ægrè alterabiles cibos exhibet, & qui astringant, vt influxum prohibeat, & qui temperent. sic & polentam cum punicis Hippocrates exhibet secundo de Alim. 24.

Frigidam verò causam flatibus iungit Rases, & quidem scitè. Nam vehementes dolores, tensione eorum excitantur: Materia verò flatuum pituita est, præsertim crassior; vnde turbidus vapor, multusque eleuetur, idque à tepido calore. Sic duodecimo Methodi Galenus capite octauo, grauissimi à retentis flatibus dolores fiunt: retinentur obstructione vel densitate loci, in quo cohibentur, vt transpirare nequeant; aliàs si soli humores sint crassi, & viscidi, non fit dolor vehemens. Gignuntur verò flatus cum calefiunt humores crassi, & glutinosi. sic enim in flatus, crassumque vaporem vertuntur. Neque enim necesse est exhalationem semper illam siccam esse, & terrestrem, quam in Meteorologicis materiam flatus dixit Aristoteles, sed sat est spirituosam, & tenuem esse substantiam, præ ea, ex qua gignebatur. Agens verò est calor: locus autem in quo flatus includuntur ventriculi tunicæ sunt. Nam si in medio spacio aceruetur, facilè vacuatur; ex ea verò parte difficillimè, & longo tempore; ac nonnisi vehementer extenuatus, & dissolutus: quod cum non nisi calidis fiat, metus est, ne rursus plus, eorum vsu flatus eleuetur, quàm tollatur. Facit ad difficultatem curę, quòd non sicut in priore vti poteramus tutò sopientibus vt quæ affectui, id est, dolori prosint; & causæ, id est, humori acri, quem temperant sua frigiditate.

Pituita, præsertim crassior, est materia flatuũ.

Flatus quonam pacto gignātur.

At hîc causam augent, cum rebellem discussioni crassum spiritum faciunt, & tunicas densant, per quas debebat excerni. Hæc ferè Galenus de flatuoso dolore eo loco. At decimoquarto Methodi, capite septimo, fieri flatus ait, vel cum calor debilis est, vel cum humidum crudum, crassum & glutinosum. Vnde excrementum quod natura excerni insensili transpiratu consueuerat, iam non transpirat: præsertim si densa sit pars in qua continetur. Quin subdit, calor quoque auctior hoc facere potest, dumtamen tantus non sit, vt digerere possit. Idem etiam quinto Aphorismorum vltimo, fit flatus vel imbecillitate caloris, vel ex crassitie humoris.

Ex quo patet, non eſſe temerè admittendum, quod quidam ſine diſcrimine dicunt, tepida eſſe quæ flatus gignunt. Nam à valido calore ibi fieri aliquando ait materiæ ratione, & frigidis curat. Præterea id aſſerit libro duodecimo, cum multos melius curari colicos ait ſine calidis fomentis: quoniam ab illis ſæpe augetur dolor, aucta doloris cauſa, ex ſexto de Loc. ſecundo. Dolores à flatibus fiunt, vel cum frigidus, craſſusque humor aceruatus eſt in corpore craſſo, & denſo genitus, qui egredi nequeat; vel à flatuoſo ſpiritu, has inquit cauſas eſſe probabiles. Retinetur craſsitie, & denſitate corporum, & humores tum alterare, tum tendere partem poſſunt, vt ſpiritus tendere.

Quòd verò imaginantur quidam, calorem plurimum extraneum facere flatus, cum naturalem minuit, fabula eſt. Quicunq; enim calor vigeat, flatus tollit, niſi, vt diximus, qualitatis materiæ ratione etiam multos flatus faciat; vnde neque in febribus vrentibus fiunt, neque in auriginoſis, iuxta Aphoriſmum. Quòd ſi in prauis febribus appareat inflatus venter, id euenit, quoniam non ſunt calore vehementes, & cum multa cruditate humorum. hæc de cauſa agente. Materia verò aggregatur tum ciborum ratione, qui craſsi natura ſint, & viſcidi, tum ex multitudine & crebra cruditate, & in ſumma ex omnibus cauſis, quæ pituitam gignere poſſunt. Quæ verò calorem debilitant, vel ſpiritus reſoluendo, vel per ſe refrigerando, vt frigidæ potus, aut frigida vina dolorem facere poſſunt, vt fieri videmus. Imò poſt frigidæ potum doloribus ventris quidam periere, quib. ſcilicet id viſcus natura erat imbecillum, & aderant materiæ, è quibus flatus gigni poterant in ipſo ventris corpore aggregatæ. Sic dolor externo ex frigore excitatur, præcipuè ſi extrema patiuntur; quæ ſunt partes neruoſæ, & frigidæ, & exangues, à quibus facilè frigus peruenit ad ventrem. Auget etiam frigus dolores, quoniam denſat tunicas adeò, vt non tranſpiret quod in eis continetur: hinc magis dolor excitatur, cum flatus exitum non inuenit.

At ventris verò dolores, vt quinto de Loc. & primo de Sympt. cauſis habetur, multa incidunt ſymptomata, vnde & omnes verendi ſunt. Nam ſyncope prehendi ſolent affecto corde: quod & pulſus antea demonſtrant parui, & inæquales, & languidi: in libro ad Tycon. quo ſanè etiam ſigno diſtingues veros dolores à ſimulatis. Hoc verò mali genus Cardiaca appellatur, cum ſcilicet frigidis ſudoribus exoluti pereunt. Quanquam & in conſenſum facilè cerebrum quoque trahit, cum epilepſias infert dolor oris ventris, & deliria. Sed conſenſus maximi, huiuſmodi cauſa à Galeno redditur: quia cordi communicat ob vicinitatem: magnæ enim arteriæ ventris

tris corpus inhæret, cerebro per neruos. Verùm elia eſt conſenſus cauſa ad cor, ob eximium ſenſum. Neque enim venter ſolus, ſed pars quælibet, cui plurimus ſenſus ineſt, ſyncopas affecta creat, vt de digiti punctura euenire videmus. Hoc autem ſuprà euenire diximus ex ſpirituum diſſolutione, cum de ſyncope ageremus. Nam quantumuis vicina pars ſit, vt pericardium: niſi ſenſum egregium habeat, non infert ſyncopas.

¶ Signa verò doloris à flatibus, ponit Raſes tēſionem, ructum, ſingultum. Et tenſio quidem in ventre ex ſenſu ægri manifeſta eſt: qui ventris tunicas tendi ſentit: quaſi diſrumpi periclitentur. Sed & medicus tenſionem ſenſu percipiet, vt quę etiam ſupra abdominis muſculos ſentiri poſsit. Aliquando verò & tumidus venter ea parte percipitur, & ſi pulſetur digitis, quaſi tympanum ſonitum edit.

Ructus flatuoſi ſpiritus eductione fit. Sed ſingultus cauſæ quoque mordicanti ſuccedere videtur. Et Galenus ſcribit ſe ſingultire ſolitum cum diatrion medicamentum guſtaret. Verùm crebrius ex frigida cauſa euenit: vnde & calidis curatur, vt dicetur. Nam ex calida fieri non vidi ſingultum, ſed nauſeam vehementem: licet externa ſumpta aliquando hunc excitant. Finge igitur affectum quantum fieri poteſt curatu difficilem: nempe vt & ſoluatur continuum & flatibus, & pituita incluſa, & hæc fouentem cauſam habeat aggregatam in ventre: hinc debet curatio incipere, quoniam eſt vt cauſa ſine qua non, & facilè tollitur. Hoc autem fiet vomitu, qui ſanè per oxymel fieri debet, ex decocto herbarum, aut ſeminum extenuantium: cuiuſmodi eſt aniſum, cyminum, cardamomum, imperatoria. Sæpe enim ea agitatione, & calore medicamenti, quod affixum tunicis eſt, euacuatur, ſi non adeò craſſum ſit, neque vehementer inhæreat.

Singultus unde eueniat.

Extenuantia quæ ſint.

Quo ſatis feliciter ſuccedente, ſi remiſsius malum videatur, flatus ſolum diſcutere tentabimus, ſi qui reſtant, idq́; primùm fomentis leuioribus ex milio, ſale, furfure. Poſtea & cucurbitulam iuxta Galeni præceptum admouebimus ex multo igne, & ſæpius iterabimus. Maximum enim eius auxilium Galenus pollicetur, ſi ſoli flatus offendant: & nos ſæpe feliciter vtimur. Verùm vbi materia adhuc adſit, vel non tollitur flatus prorſus & dolor, vel ſi tollitur, facilè redit, rurſus tentandum eſt, vt infixa materia vacuetur. Cum verò vacuent & fomenta inſenſibiliter, ijs tamen eo caſu non vtemur; quoniam affectum præſentem magis proritant. Quæ ſenſibiliter vacuāt, alia per ſe id faciunt, vt quibus vis trahendi pituitam ineſt: alia ex accidenti: quando pituitam extenuant, & vias aperiunt, per quas excerni debet tum ea, tum flatus. Vnde expultrix facultas fa-

Quæ flatus diſcutiant.

cilè excernet. Sic Galenus clysteri ex rutaceo oleo pituitam vitreã excernit. Huiusmodi verò generis est & diacalamentum, & diaciminum, & diagalanga. Hæc in vino Cretico calido dissoluantur, & propinentur. Huius generis est aquæ vitæ vnciam vnam si optima sit, cum melle rosaceo æqua portione. Iuuat verò præcipuè potare suetos. Aliud: nucem muscatam tritam flauo vino, & calido exhibe. Aliud: Calamenti, & rutæ siccorum pulueres propina. Quòd si pluries his vsus fueris nec dolor sedetur, aut sedatus redit, clysterem colicum inijcies. Hoc enim auertuntur flatus, & humores, qui ex dolore possent ad ventrem trahi, & ex debilitate eius sursum regurgitare, & offendere. Potabis verò Diaphænicone, & hiera composito medicamento. De hiera suprà diximus. Alterũ verò medicamẽtum est multi vsus; de quo tradunt non excedere vim eius purgantem primas venas. Vim enim purgandi hebetem habet, præsertim si non duplicentur doses scammonij, quod diaphęnicum maius hodie vocant; & ipsum solum vnciæ pondere dabitur ex seminum decocto. Hîc etiam vti Terebinthina resina expediet. Modus est, vt cum oleo amygdalarum æquo pondere fundatur: amararũ quidem vbi non adeò delicatus fuerit æger: sin autem dulcium. Abluatur tamen prius decocto aromatum, vnde & gratior fiat, & vim acquirat extenuandi, vnde detergere poſsit. Nec enim vim aliam habet præter detersionem: ni lauetur, solet robur ventris dissoluere, & appetentiam tollere. Optima ex Syria affertur. quæ in Gallia nascitur, negligenda non est. Vsus eius plurimus, & penetrat in longinqua; vt ex odore vrinæ apparet. Datur ieiunis manè, & vesperi. Habet hoc prę alijs purgantibus, quòd nõ excedit purgando, neq; trahit ad ventrem, & non facilè euomitur.

Diapheniconis laudes.

Terebinthinę usus.

Cum verò diu perdurat malum; quanuis dolor remittatur, facilè reuertitur; significatur vel materiam difficillimè purgari, vel intemperiem derelictam in ventre, à qua aggregatur humor: vel vtrunq;: cum præsertim ex dolore resoluto spiritu, frigidior factus est venter: vnde & ad concoquendum ineptior. Tunc ergo ad tollenda hæc omnia, potus sulphureæ, & nitrosæ aquæ conuenit, atque confert. Primùm quoniam flatus, & humores inhærentes extenuat, siccatq;, & fundit: vnde & natura partis facilè expellere potest, quos etiam extergendo purgat. Calfacit etiam, vnde iuuat intemperantiam. Vsus quoque hoc comprobauit, & est frequens; in qua re, quę minus salsæ sunt, plus autem sulphureæ, & ferrei nonnihil habentes, plus iuuare videntur. In nostra ergo hac regione, Porretana primas partes habet, quam appellant (Bocca di lione). Huic proxima

est aquarium propè Regium. Postrema Montis Catini, quā Tettucium vocant. Potestis in omni regione ita exquirere secundum supradictas qualitates. Erat consuetus veteribus earum potus: & Galenus, & omnes meminere. Modus exhibendi; quoniā vsus frequēs est, notissimus est, vtilitas verò multa.

Postremò ad morbi reliquias & roborationem ventris, siue potus aquæ præcesserit, siue non, fotibus vtemur: de quibus supra in causa frigida diximus. Dum verò dolor vrget, quoad possumus cibo, & potione abstinebimus: quoniam concoctio bona esse nequit. Postea dabimus cibos tenues, & qui vim extenuandi habeant: eritq; exiguo potu contentus æger & meraciore. vitabit frigus in toto corpore, sed extremis præsertim.

Quòd si vnà febris adsit, difficilior est casus, præcipuè si sit exputredine. Cauere ergo statim oportet ne remedijs augeatur, & illi, quod magis vrget attendere, altero non neglecto. Est autem plerunq; dolor. Nam non solent magnæ febres comitari, nisi fortè cū diuturnus fiat: & multa facta sit inde in corpore cacochymia ex vigilijs & dolore. Dolorem itaque mitigare fomentis leuibus tentabimus: & si obstructio, & cruditas humorum non sit, aqua Therma si potabimus, vel alio medicamento humores purgabimus. Sed si ineptum purgationi sit corpus, clystere vtemur, & aliquando vomitu à cibo. Demum & opiatis vtemur: attamen parum; de quibus suprà diximus. Sæpe verò & eadem remedia vtriq; proderunt, vt quę citra multum calorem dissecant, & extenuant, & partes rarefaciunt: vt oxymel compositum, & diatrion, si febris magna non sit. Cucurbitulæ etiam vsus non nocebit. Inter purgantia minus nocebunt terebinthina: quòd à remotis non trahat. Ventriculi dolentis cum febre curatio.

Quoniam verò sæpe fit, vt hic morbus per interualla reuertatur: si quis vos de præseruatione cosulat: primùm victus rationem instituetis his, quæ calorem non excitent, qui est agens, & pituitam non gignant: quę plerunque est materia. Nam si vitio lienis fiat, vel iocinoris, patet quòd illis prospicere oportet. Euitabunt in cibo crassa & frigida omnia: euitabūt olera, carnes vetulas, duras & molles nimium, & fructus frigidos & vina eiusmodi, quæ non calfaciunt, & frigidæ vsum: parum bibant ob fluctuationem. Exercitium optimè facit in sicco præsertim aere, & Veneris abstinentia. Fugiāt somnos nimios: quòd viscera grauant: & vigilias superfluas, vt & curas, & mœrorem. Calorem potius ferant circa & extrema, & ventrem. per interualla extenuantibus vtantur, & ventris lenitatē procurent, maximè res melle conditas in prima mensa sumendo, vel Vētriculus per interualla dolens quomodo præseruādus.

cappares ex oleo: & ea, quæ flatus discutiunt. nam hæc etiam pituitam absumunt.

De Phlegmone uentriculi. Cap. XLVI.

VEntriculus secundũ suas tunicas, siue internã siue externam, pati potest tumores præter naturã, & eadem est omniũ generatio, scilicet ex superuacuę materiæ affluxu: siue ab initio inutilis vel excrementitia foret, siue vtilis sui natura, sed parti molesta. Influit aũt generatim ꝑ venas, per quas nutrit. Quòd si sanguis sit, primũ maiores tẽduntur, mox minores, donec resudet in ipsam carnẽ humor, eáq; spongiæ ritu madidam reddat, ac spacia, quę fibras interiacẽt, & in quib. arteriæ mouentur repleant; vnde dur⁹ repletione tumor fit; & tensio, & renititur cõprimenti, & dolet. Calor verò tũ ex natura humoris gignitur: tum quia collectum in arcto loco & impactum, non transpirat: vnde necessariò putrescit: Putredo verò calorem gignit; qui si in ea parte sit, quæ vel ob vicinitatem, vel ob præstantiam cordi calorem communicare possit, febrem faciet, aut ephemeram, aut putridam; prout maior, vel minor est communicãtia. Vnde decimo Methodi sexto, febres ex phlegmone aliquo modo dici possunt putridæ, si causam respicias, licet reuera ephemeræ sint natura, quando solus calor communicatur cordi, non autem putridus vapor. Vide hìc primo de Febr. diff. 5. & de Ven. sect. ad initium.

Sed num sicut ex sanguine plus iusto influẽte, phlegmone in eo gignitur, ita & ex alijs humoribus tumores alij fieri possint? Videtur enim quòd simili ratione fiat generatio, eorum scilicet influxu, ex 13. Meth. primo. & de Ven. sect. Quòd si res ita habet, cur ergo authores phlemones solius meminere? Atqui erysipelatis stomachi alibi fecerunt mentionem, vt decimo Meth. & 4. de Vict. secundo. Quòd verò scirrhosi tumores fiant; nos vidimus in dissectis: vt Florentiæ in muliere è domo Puccina. Respondetur, primùm sub phlegmones voce comprehendi etiam erysipelata, vbi non est exactè loquendum. Alij verò tumores raro accidunt, quoniam in membranas duras non facilè confluere potest crassus, & viscidus humor, præsertim in interna. Aliquando in externa constitere: & memini me ad tactum scirrhosos tumores sensisse, duros inquam sine dolore. Hi ergo si accidunt ex communi ratione curandi scirrhos, curantur, addita solùm indicatione à parte, quam in vno exemplo phlegmones monstrare sat erit: & iure, quoniam maximè periculosa est, & cu-

& curatio multum artificij exigit. At erysipelas licet æquè, aut magis periculosum; præcepta tamen curatiua habet simplicissima, scilicet solis frigidis intus, & extrà admotis. Nos de phlegmone agamus, id est, tumore facto à mediocri sanguine, & vtili. Hic ergo in partem influit ex maioribus venis, quę eò confluunt: confluxus verò causa est, vel ex ipsa parte attrahente, vel ex quapiá alia transmittente. (Iuuat enim modò fusissimas Galeni demonstrationes decimotertio Meth. in epitomen cogere). Quæ transmittunt, robustiores necessariò sunt, vel natura, vel ex accidente aliquo suscipientibus comparatæ. Transmittunt autem, quia ipsa se grauari sentiunt, vnde vi vtuntur noxiorum, seu onerosorum expultrice. Quæ verò grauant, aut quantitate molesta sunt, aut qualitate vitiosa, & noxia: vt calida, frigida, acria. Ex altera parte, quæ attrahunt confluxum causant: attrahunt verò calore partis, aut dolore. Opus verò caloris Asclepiades nolebat attractionem dicere, vt Galenus scribit. Ipse verò vult attractionem dici, cum ille confluere humores, non autem attrahi in partem calfactam diceret. Et quidem non facilè decernitur, quis horum rectius sentiat. Asclepiades calore, vt puto, considerauit fundi, & liquari circunstantium partium succos: aperiri partis meatus, & laxari. His facilis fit confluxus: vt contrà frigidis arcetur. Nec Galenus aut ratione, aut experimento monstrabit quòd calore attractio fiat. Nam quòd in magno mundo à sole sursum feratur vapor, attractio non est: siquidem per se mouetur sursum, ex forma quam à generante acquisiuit. Ratio verò solùm rarefactionem, & eterogeneorum solutionem à calore fieri inuenit. Secundo de Diff. febr. II. loquitur disiunctiuè, quòd calor vel attrahit, vel recipi facit. Adde pro Asclepiade, quòd calor cum intemperiem efficit, dolorem efficit. Ad dolorem non propriam attractionem reducit Galenus, sed ad transmissionem, vt statim dicemus. Dolor enim inquit, confluxum excitat: quoniam natura dum causam contristantem expellere tentat, siquidem primo impetu non prosperè succedat, maiore impetu nixa sanguinis aliquid, & spiritus eò trudit. Sic ad dolores plagarum, tumorem insequi cernimus. Hoc ergo non est dolorem attrahere, sed dolorem occasionem esse, vt humores in partes transmittantur. Quòd si secundo de Diff. febr. & alibi centies attrahere dolorem inquit, non propriè de attractione loquitur, sed cum ea similitudinem habet, quatenus pars dolens, ipsa à dolore repletur. Ideo rectius loquitur tertio Metho. cum inquit: Dolor est fluxionis causa: non dicit fluxionem trahit. Et rursus sexto de Vsu partium, attractionem triplicem ponit; vacuo calore, familiari qualitate: doloris verò non meminit. Sed hoc quia

nõ erat ad propositũ cum de attractione cordis ex arterijs loqueretur. Considera ex eo loco expertum attractionis caloris: vt flamma ex elichnio oleũ attrahit, & hoc caloris vi ex lucerna: vnde eam exhauriri videmus. An non videas magis num ficci ratione attrahat vel calidi? ficca enim humidum attrahere vehementer videmus, vt spongiam, linum. Hinc ergo elichnium. Sed tunc aliá causam attractionis dare oportebit: nẽpe, quæ à siccitate fit. Pręterea si hæc esset attractio, tunc siccum, id est igneum, humidum sibi contrariũ attraheret: contraria verò se refugiunt. sed hæc aliàs.

Hęc doctrina multis partibus erit cõmunis.

Signa phlegmones ventriculi si ex ipsa natura haberi debent, partim affectus naturam sapient, partim affectæ partis. Atqui affectus signa hæc sunt: Dolor primùm, qui ex solutione continui fit: facta ex materia replente, & tendente sensitiuas partes; mox tensio, seu renixus partis, quæ repletione accidit. Cum enim durum vniuersim, quod tactui non cedit, 5. de Simpl. alia dura erunt concretione: alia siccitate; alia repletione; cuiusmodi est phlegmone. Quòd verò materia à qua fit, sit sanguis, necessariò calor aderit parti; & nõ solum ex natura materiæ, sed etiá ob putredinem, quæ ex necessitate sequitur. Semper enim humida, & calida corpora cum in calido loco manent, non perflata citissimè putrescunt. At non perflantur, quòd omnes meatus, per quos transpiratio fit, sunt astricti, vel obstructi: vnde & probè Thessali phlegmonẽ astrictam passionem dicebant. rubor verò ex natura humoris accidit.

Phlegmones internæ signa.

Hæc indicant omnem phlegmonem, quę sub sensum venit: sed si interna sit, non omnia hæc sentiuntur, quædam tamen. Primũ ergo dolor sedem affectam demonstrat, si præsertim non extimas partes attingat, quod tactu distinguitur. Vnde internas partes afficere mõstratur: quę & ex vehementia eius coniectura fit. Mox sensus tactus aut visus tumoris circunscriptionẽ sentit: sed hoc non semper euenit, vt cum remotas partes obsederit. Ideo quòd dicit, & apostema manifestũ fuerit, id est, tumor apertus; efficax quidem nota est, sed quæ non semper sentiatur. Fit tertiò coniectura ex febre, quæ necessariò adiungitur. Est autem necessitas generationis ex putredine, vt in libro de Ven. sect. & primo de Febr. diff. 5. habetur: quæ cũ necessariò putridum calorẽ excitet in parte; siquidem pars illa, vel quia vicina est, vel quia nobilis, multis vasis abundans: uel ob multitudinem materiæ collectæ calidæ, communicabit cordi calorem suum igneũ: vnde vniuersum corpus incalescet præter naturá, & ita fiet morbus febrilis. Quòd si non modò calorẽ, sed & putridum vaporẽ insuper impartiri possit, iam non febris modò, sed & febris putrida fiet. Cum igitur venter vicinũ positum habeat arteriæ, & iocinori,

cinori, facilè febrem faciet,, & eam putridam, & continuam: cuiusmodi sunt omnes febres, quę ex visicerum tumoribus fiunt. hæc Rases. Sed cōiecturam solum affectus facient, nisi & alterum addatur: calor loci perceptus, & ab ęgro, & astantibus cū palma ventrē attingunt. Adde & sitim, quæ necessariò euenit: Nam cætera symptomata, quæ Gal. numerat, insequūtur, præcipuè os ventris afflictū: ideo adaugent coniecturā affecti loci, sed nō affectus: siue enim conuulsio, seu delirium sequatur, siue cibi horror: omnia inquā ad ventris morsus sequi dicebamus, sicut & animi deliquia. Ob has causas Auic. vaga quædam signa addit, vt certificet coniecturā. Si, inquit, dolor remedijs non soluitur, & durat, significat apostema. Sed signum est inefficax, nisi intelligatur continuitas caloris: Hoc enim aliquid facit ad agnitionem cum reliquis. Similiter & vitia pulsus, & anhelitus communia alijs causis esse videntur, nō propria phlegmones. De periculo, & morbi magnitudine quid attinet dicere, cùm & p se lædat plurimas, & necessarias actiones, vt nutritionē, & dolorē prosternentē vires inferat (habet id pręcipuū, vt principes partes in cōsensum maximè trahat. Curatio, cum ex cōmuni phlegmones curatione pendeat, in primis ea examināda est ex Gal. Cum igitur phlegmone pars laborat, siquidē adhuc augeatur tumor, duplex scopus obijcitur: alter inhibendi augmentū: alter sanādi quod tumoris est factū, & dicitur mista ex pręuisione curatio. Ordine verò prior scopus præcedit: quanquam contingit aliquando simul vtriq; satisfieri. Inhibetur igitur primū tollendo fluxionis causam, quæ varia cū sit, singillatim de vnaquaq; dicendū. Primū ergo fit ex mittente causa, quoniā onerosa erat parti plenitudo, in phlegmone syncera: vel etiā vitium in phlegmone mista: ideo vel vacuādum est, vel purgandum, vel vtrunq; faciendum. Simul autē cōmune præsidium erit reuellere ad longinqua fluxionem ijsdem præsidijs vacuantibus, vel purgantibus. Hoc enim ad fluxiones cohibendas opportunissimū. Si verò in recipiente causa sit, vt dolor, vel calor: cōtrarijs instabis: calorē quidem frigidis sedando. Accidit autē casus hic æstate, cum quis auribus discoopertis solem excipit. Sæpe enim erysipelate, vel phlegmone tentantur insueti; præsertim si in fluuijs lauent, & sole feriantur. Dolor verò sedabitur tollendo causam, vt calfaciendo frigidas partes, calidas refrigerando. Si vlcus propria remedia habet, dolorem sedantia, quæ chalastica dicuntur: si morsus venenosus, venenum extrahes cucurbitula cum scarificatione, suctu, cauterio.

Prognostic cū de uentriculi phlegmone.

Factam verò iam phlegmonē, vnū indicare scito: nēpe vacuationē. morbus enim ex repletione est. Hoc aūt aliquādo ijsdē remedijs

fieri contingit, vt cum chalasticis vtimur ad dolorem vlceris. Nam vnà phlegmone soluitur, digesto humore qui continebatur: & cum refrigeramus partem calfactam, vnà & vacuamus repellendo quod tenue est in vicina: & cum refrigeratam calfacimus, digerimus vnà si quid collectum erat. Sic cum à spiritu tendente dolet, chalastica vtrunq; facient; vacuant verò prorsus, & quæ solum factum tumorem respiciunt; vt scarificatio partis, aut quæ insensili effluxione vacuát: vt calida & chalastica, quæ diximus. Tollunt equidẽ & inhibẽt fluxionẽ, & vnà affectum factum sanant astringentia: quæ communi nomine repercussiua dicuntur; quibus ideo inter initia est vtendum, quod vtrunque scopum respiciunt. Densando enim partem faciunt, vt non admittat; & si quid admisit, retrudat. Sed & alia ratione: quoniam tenuis tunc humor est, & paucus, ita vt facilè repelli possit, & vis membri languida adhuc non est: vnde remedijs frui

Repercussiua in quo casu nocẽt.

potest. Verùm hæc nocebunt, si quando dolorem augeant: vt si dolor à causa frigida sit: vel ex morsu venenoso, vel ex vlcere. Nam venenum excerni prohibet, & vlceribus frigidum mordax existit.

Cum igitur vacuent, & quæ repellunt, & quæ digerunt: initio repellentibus solis vacuabis, si nihil obstet ex his quæ diximus, vel etiam natura partis vt dicemus. Mox vbi auctus tumor est, & iam feruere incipit, & est tempus augmenti, admiscebis resoluentia; vbi viget, æqualia erunt. At vbi feruor subsedit, solis resoluentibus vteris. Atque hæc si sine puris generatione, phlegmones tumor absumi potest: sed si ad multam molem increuit, & iam suppurandi signa adsunt, id est, doloris incrementum, & febres, vt Hippoc. scripsit; illis vteris, quæ quàm citissimè ad pus perducant. quod vbi euenerit è sententia, siquidem exiguum sit quod continetur, nõ incides, sed tentabis medicamentis resoluere; sin autem, incisione. sed hæc est cura suppurati tumoris, non phlegmones.

Ventriculi phlegmones curatio.

Reliquum est, vt curationem hanc ad ventris phlegmonas accõmodemus: quo loco partis naturam in memoriam reuocato. Primùm contextum tunicarum, & qualitatem, in quibus fit phlegmone. Quæret enim quis, Num par sit ipsius ratio, & pleuritidis, & pulmonis, & oculorum: nempe vt statim à principio exudet aliquid de natura phlegmones, & continuè amplius, quo magis concoquitur. An instar eorum, quæ crassiore cute teguntur, nullum sensile fiat effluuium. Videtur enim tunica longè crassior membranis, vt non facilè quid effluat. Huius rei nullam mentionem à veteribus habeo, quid obseruarint, nisi quòd aliquando Galenus, cùm partiũ catalogum poneret, quæ aliquid semper tumoris remittunt, enumerat & ventriculum, decimotertio Meth. 17. Quòd si hoc verum est,

est,sequitur raró fieri,vt tumor suppuretur. Nam hic non fit, nisi vbi materia omnis ferè seruatur. At raró hoc accidet,sicut & raró in pleuritide,& pulmonia:vt cum ob crassitiem humor detinetur: & erit casus lethalis. Sequitur secundo quòd raró ad ruptionem, & abscessum veniet,inde fiet exulceratio:sed potius exulceratio,quæ in ventriculo, ex erosione fiet influentium non sequetur, quanuis ita fieri nihil obstet aliquando. Considera etiam qua parte purgetur ex secundo ad Glaucon. secundo, quædam ad interna spacia habent, in quæ purgentur excrementa, vt pulmo per arteriam: quædam extrà se,vt membrana pectoris:quædam vtrobique,vt iecur,& ventriculus.Facillimè ergo purgantur eius excrementa,siue sanies extrà effluat in peritoneum,seu intra in suá cauitaté. Quòd veró ad naturam eius attinet,consideramus actionem, quæ est toti communis,& necessaria; vnde studendum maximè est, vt robur eius in morbo seruetur.Itaque medicamenta si vacuent,non temerè vacuent,oportet. vt septimo Meth. & si alterent quoque accuratè id faciendum, secundo ad Glauc. 2. Nam noxæ,quæ illi inferuntur tum propria ratione possunt hominem offendere ob id quod diximus,tum ex accidenti, quatenus communicat partib.principibus: vnde ex oris ventris noxa,fit syncope.Consideramus & situm, quoniam in profundo sub musculis, vnde non omne vtile est medicamentum,sed tenuium partium. Postea sensus acritudinem egregiam,vnde facilè à vehementibus auxilijs lędi vehementer potest. Quod veró ori proximum est,si quid intra corpus assumendum, bibendum erit. Nam ab infusis per sedem auxilium non sentit: Hæ sunt indicationes à parte, vt & quòd colligantiam habeat cum iocinore per venas mesaraicas, & inde ad cauam venam.

His positis curam quærimus: Ex fluxione sponte facta, vacuari copiam exigit & reuelli;fiet venæ sectione.sed quæ vena? Respondet Rases, basilica; hæc ab eo vacuat mediante iocinore, & vnà reuellit, cum confluxus sit per iecur: vnde inanito iocinore fit retractio.Fit enim retractio,vel ad longinqua,vel ad eas partes, vnde est fluxus origo.Inutiles hîc quæstiones mouent expositores. Sunt enim de verbis,cum habeant rationem ducem. Ab hoc Rases ponit epithema, cuius intentio est astringere: secundum quòd diximus satisfieri ab his vtrique scopo,cum fluxurum reprimant, & partem vacuent.Constat autem ex frigidis,& astringentibus, & stomacho gratis.At nos possumus securius ponere,quæ Galenus scribit. Materia enim erit prorsus astringens magis,vel minus frigida potestate,iuxta vehementiam inflammationis,quæ sensu ægri, & modo febris sentitur.Quoniam veró est in profundo sita,opus erit his, quæ

sint partium tenuiarum, quæ rarò inueniuntur de astringentibus, vt decimo Meth. Galenus annotauit. Nec sicut in alijs vti aceto possumus ad penetrandum: nam neruosas partes lædit, tertio de Vict. & primo ad Glauc. cap. de accidentibus. Cum igitur inter simpliciora astringant, & rosaceum, & lentiscinum oleum, & absinthinum, & ex cotoneis, & myrtinum egregiè, tamen quia crassarũ magis partium, erit inutile: vtilissimum absinthinum, quoniã vis amara, viam parat astringenti qualitati. Si verò multa inflãmatio sit, alijs frigidis vtemur. Quòd si emplastra ferant, ex cotoneorum carne, vino austero cocta apparabimus, adijcientes masticen, & rosas rubras, & santalos flauos. Galenus inspergit Rhu & Enanthê. Sed num actu frigida? Rases subticet in ventre: expositores annuũt, & Fuchsius. Galenus varius esse videtur, decimotertio Meth. vndecimo negat: nemo hoc faciet compos rationis de iocinore: nos non minus de ventre. Quæ enim ratio? Ex altera parte decimo Meth. adhibet omnia frigida vehementer his partibus capite septimo & nono in vsu cerati frigidi. Respondetur, aliud in phlegmone, aliud in erysipelate, 14. Meth. primo & decimotertio Meth. Intentio in eo est magis refrigerandi, hîc magis vacuandi. Ratio hoc plus lædit incendio, hæc plus copia, ideo absolutè negat. Vnde malè qui semper ad præcordia epithemata calida faciunt, hac sententia ducti falsò intellecta. Nam in refrigerando, hîc periculum scirrhi, qui inter aliàs causas fit concretione, quinto de Simpli. quarto: minus verò periculum in erysipelate, nono Meth. quinto: erysipelas frigidis solum, non phlegmone. Adde quòd præcludent viam frigida. Quoniam verò mentio de his, quæ in principio quæ sunt, quæ post, vbi defluxum sedatum speres: nempe mistæ intentionis ex astringente & digerente, epithema eius erit ex absinthino, mastiche, & aloe, & cera, & est Gal. Habet enim mistas vires. quôd si nardinum addas, vt ipse facit, magis resoluens erit. Sic perfusiones ex oleis compositas vt nardino, camæmelino, absinthino.

Acetum lædit neruosas partes.

Fuchsius taxatur.

Sed quoniam alimenta integris viribus ad ventrem perueniunt: tentandum est, vt & ipsis opem feramus: ideo de victu eorum agendum. Galenus vndecimo Meth. decimoseptimo. In hoc affectu tenuissimo victu vtendum dicit. Nam cum concoquere nequeat laborans venter, sequitur, vt cibi corrumpantur, & inde phlegmone augeatur. Rases aquam hordei, id est, succum hordei offert: potum tradit granatorum succum. His non solùm prospicit alimento, sed etiam auxilio est astringendo, & extergendo si quid effluit saniei. Credo si inediam æger fert, solis potibus regendum, vsque quo remittatur dolor: & etiam cum mediocriter concoctus est humor,

mor, vt in pleuritide. Potus verò, qui astringant, vt vinum granatorum, vel cotoneorum, vel iuleb rosatum, vel violatum. Nam mulsam timet Galenus, tertio Acut. vndecimo, quia bilescit. Auic. Tabarzet, id est candi. & erat saccharum sponte ortum, non adeò dulce. Mutandus mox victus quo ad quantitatem succi ptissanę, & qualitatē potus, vbi extersione opus est cum astrictione: optimè faciet passarum vuarum decoctum. Cum verò pleniore victu vteris, etiam preire facies quod extergat. De ventris lenitione Rases cassiam propinat. Galenus vniuersim interdicit decimotertio Metho. 13. Ratio, quia auertere, non ducere fluxiones oportet. Certè lenitio, & detersio procuranda cibis vt oleribus, & clysmatis lenibus. Quòd si in processu, vt hìc facit, exhibeatur; & abluet extergendo: & educit à poris sanies putridas, euitandus tamen perpetuò vomitus, quoniam dilacerat ventriculum.

Tabarzet Auicen. est saccharum sponte ortum nō adeò dulce.

Si verò durus interim tumor appareat; siue quia ab initio vera phlegmone non erat; vel erratum est in remedijs, resoluendo fortius quàm expediret: tunc malagmatis, id est, mollientibus est vtendum. Præcipuum verò est, quod ex meliloto fit, de quo suprà memini. Huius etiam generis est, quod describitur à Rase, præsertim vltimo loco. Est enim optimum molliens ob bdellium, & ammoniacum, quibus ad omnes scirrhos vtimur, siue permutatione sint facti, siue ab initio tales fuerint. Sed & iuuabunt si quando durities in musculis eueniant. Habent enim etiam vim astringentem adiunctam. Vtile est etiam medicamentum quod potari vult ex vino in hoc casu. Habet enim easdem vires, vt dissoluat duros tumores. Adsunt enim eadem mollientia medicamenta. & ego ad scirrhos viscerum illis vsus sum.

Quoniam verò erysipelatis intentio magis est refrigerandi, vt phlegmones vacuandi, decimo tertio Meth. & decimo quarto: hinc fit, vt eius curatio sit refrigeratio, qualis vtitur decimo Methodi quinto, & nono Methodi quinto. modicè tamē fiat, id est, quantum exposcit affectus, ne fortè in affectum frigidum transmigret: sic enim scirrhi gignuntur.

De Iocinoris phlegmone. Cap. XLVII.

IEcur natura instituit, vt alimentum vniuerso corpori appararet. Aluntur enim omnia sanguine: & hæc est illi insita facultas, scilicet sanguificatio: quæ est alteratio cibi iam in stomacho confecti ad naturā sanguinis. De hac 6. de Plac. Gal. propriam ipsi esse

1. ad Glau. 2. sanguificatio quid.

ait;non aliter quàm ossi,& neruo,& musculorum carni ad simile alimentum conuertere. Agens enim alterans quodq;,sibi passum assimilare, quærit. Fitque hæc similitudo colore primùm vt patet de chilo in stomacho,mox & substantia. Vt verò in illis aliquid alteratum,& mutatum prorsus est;aliquid verò mutatur adhuc,& est proximè aliturum; ita & in iocinore est quod mutatum est, id est, alimentum in eius substantiam versum; & quod proximè mutari debet,id est,sanguis. Hoc verò distat à partibus, quoniam id,quod est opus eius,id est,quod ex actione resultat vtile est vniuerso corpori non sic aliarum,nisi ventris. Nam & hîc opus habet toti vtile, à quo distat: quoniam secundo ad Glauco. secundo, opus suum alijs tribuit,non facultatem:at iecur vtrunque. Nam facultatem sanguificandi venis tribuit. Venæ sunt factæ distributionis,gratia primò: habent etiam facultatem sanguificandi ab hæpate sibi communicatam. Licet enim distributionis tantùm gratia sint factæ:vtile tamen erat,& vim eam participare: vt interim dum distribuitur perpetuò transmutetur.hæc quarto de Vsu. In mesaraicis quidem quasi præparatio quædam:In vlterioribus,quasi perfectio eius, quod effugit iocinoris actionē. Quod de mesaraicis dicitur,apertè visitur. Alteratus enim est,sed non plenè. Hæc etiam tertio de Facult. ad finem. Sic 7.Meth.iecur facultatem venis tribuit,id est sanguificam.

Quomodo verò venæ albæ cum sint, & vnumquodq; sibi assimilet: imò & venæ ipsæ in album,nempe puris naturam transmutare soleant:attamen vis sanguifica ijs tribuatur,aliàs disputauimus: vt & num hępar venarum principiū dici debeat. Quod enim Arist. dixit,probat Galenus, iecur substantiam habere quasi concreti sanguinis qui affunditur exiguis venis innumeris:quæ texturā quandam densam faciunt,& eius carnem fulciunt. Vnde necessarium est venarum generationem priorem esse, vt in libro de Fœtus formatione Galenus fatetur. Sed id verum est,in ea parte venas radices habere, in quam omnes deferunt, scilicet simæ partis ratione, & à qua omnes trahunt,scilicet ratione gibbæ. Igitur ad simam partem venæ omnes mesaraicæ concurrentes,in vnam portam coeūt. Rursus in partes distributæ ad gibbam feruntur:qua parte rursus coire incipiunt,donec cauam venam constituant. Quoniam verò inter coquendum cum diuersas partes habeat chylus,& alteram tenuiorem & pinguiorem,alteram verò crassam & terreā;hinc duos humores fieri necesse erat actione caloris:alter,qui bilis dicitur: alter qui humor melancholicus:qui tametsi necessitate quadā gigni videantur, attamen natura abutitur in nutritionem, quod eorum optimū est;reliquum necesse erat excerni, quod fit mediante fellea vesica,

& liene,

& liene, quibus vis ineſt ea attrahendi. Fruuntur eo aliquandiu, po ſtea quod onerofum eſt effundunt: fel quidem ſaltem pro maiori parte in inteſtinum ieiunum, humor verò melancholicus in ventriculum, quinto de Vſu par. Poſitus verò eius eſt ſub ſpurijs coſtis dextræ partis, quem ſitum, dextrum hypochōdrium appellant. Supra hunc muſculi abdominis. Iungitur verò ſepto tranſuerſo vinculo forti, ab eo medio enato; conſortium habet cum partibus omnibus venis mediantibus; præcipuè verò cum liene, ventriculo, veſica fellea, diaphragmate. Hæc omnia antea noſſe neceſſariū erat, vt diſcerni poſsint ſympto matum cauſæ, & partes, in quibus affectus conſiſtunt: vnde & curationis forma plurimum habetur. Sunt autem affectus hi primùm intemperies ſuarum partium ſimilariū: vt carnis, venarum, inuolucri. Secundò tumores præter naturam ſcilicet phlegmone, eryſipelas, ſcirrhus, tenſiones ex flatibus, obſtructiones in anguſtis vaſis à viſcidis, vel craſsis humoribus. Adde & eos, qui ex his ſequuntur: colores praui, extenuationes, cachexiæ, hydropes, lepræ, elephantes, ſcabiei genera. Quamobrem diligentiſsime rem hanc tractare oportet. Præter hæc enim & occaſio ferè malorum omnium eſt, putredinum, eriſipelatum, œdematum, febrium putridarum. 5. de Loc. 6.

Nos verò ſermonis affinitate ducti à tumoribus præter naturam ordiemur, quos mirū eſt Raſem præterijſſe, niſi dicas & calidos eadem fermè ratione curari, ac eos qui in ventriculo: ſcirrhos verò iā factos eſſe incurabiles, vt innuit capite de hydrope. Primùm verò de calidis agemus: quorum generationem & cauſas reſumere oportet ex his, quæ de ventriculo diximus. Adde & externas cauſas de quibus Galenus egit libro vndecimo, cum de cataplaſmatis agit in pleno corpore: vt ſi quis etiam dolori ſedando cucurbitulam affigeret, aut calida emplaſtra admoueret. Sed plerunq; in fluxu fiunt repletis venulis, & carne eius irrigata, & repletis ſpacijs. Huiuſmodi & in ſimis partibus, & in gibbis ſum contemplatus. Statim verò cōtingit aut imam eius partem tumorem occupare, aut ſummam ita, vt membranam vnà afficiat. Diſtinctio eſt Galeni ſexto Aphor. 5. & ſeptimo Aph. 46. Sit igitur primùm circa partes gibbas tumor ex ſanguine ortus: eius aggregatio facilis ſi magnus ſit, & abdomen nō adeò craſſum, vt in gracilibus euenit: præſertim poſt ſecundam vel tertiam diem, cum ex febris vehementia ſiccantur. Facilè etiam tactu deprehendi poterit, vt Galenus ait quinto de Loc. ſexto, aliàs non ſentitur, quòd triplex ordo muſculorum ſupertenditur. Sæpe verò imponit medico tanquam ſit in iocinore affectus, cum tamen ſit in muſculis abdominis: quem caſum recitat Galenus, Steſiano

cuidam euenisse: & nos aliquando vidimus deceptos medicos: & Hippoc. multos ait, ex eo quod ignorant, lucrum facere: quod credunt se curasse phlegmonas iocinoris, cum tamen sint musculorũ. At si in simis sit, nihil ad notitiam confert tactus. Quamobrem alia signa habere oportet, quæ & ratio ex natura rei sibi inuenit, & experientia ex sensatis confirmat. Primùm est febris acuta, secundũ dolor, & grauitas in dextris præcordijs, vt deorsum trahi videatur cũ æger assurgit: qui etiam aliquando ad iugulum vsque protenditur: quòd membrana, qua suspenditur diaphragmati & deorsum trahitur, ortum habet ex ea, quæ costis subtenditur: sed hoc non nisi in magna sit phlegmone. Adest & tussis sicca, seu quia ex gibbis partibus aliquid intra thoracem effluit; vel quia calor molestus pulmonem afficit, vel demum quia respiratio libera non est: vnde natura noxam è respiratorijs organis pellere volens, tussim excitat. Cætera verò quæ Galenus addit de sicca, & exusta lingua: de bilis flauæ, vel eruginosæ vomitu: de aluo astricta: partim communia sunt nimis symptomata, multis acutis morbis succedentia: partim non necessariò eueniunt. Fit enim aliquando soluta aluus, vt dicemus, cum de intemperie sermo erit. Sunt autem hæc euenientia, seu in gibbis sint, seu in simis: communia enim sunt vtrique parti: quanquam vehementior sitis, nausea, biliosarum sanierum vomitus simis accidat magis. Contrà, respirationis vitium, & in respirando dolor, plus gibbas partes insequitur. Distinguitur verò non facilè à pleuriti: quamobrem mirum non est, si medicus ille deceptus est quinto de Loc. septimo. Sæpius verò locus dolens distinctionem facit; & tussis humida si eueniat, pleuritim monstrat, & quæ se dem febris comitatur: idem de siti & nausea. Demum quæ vomitu excernuntur, biliosa, vel eruginosa: quibus si excrementa hepatica succedant, de quibus in capite de intemperie loquemur, clarissimum fuerit argumentum.

Quoniam verò de dolore mentio fuit, distinguit Galenus sexto Aphor. quinto, de situ phlegmones. Nam quæ est in profundo carnis, dolorem grauantem faciet, id est, sentiet quasi pondus quoddam deorsum trahẽs viscus, & diaphragma: at dolor magnus non erit. Nam pars, quæ propriè afficitur, sensum non habet. At si mẽbrana patiatur, erit dolor acutus. Addit & si venas afficiat, dolor pungens, & tensiuus fiet. Alibi tamen scripsit Galenus, vt secundo de Loc. secundo, & inde sæpe, venarum tunicas, & arteriarum non sentire, decimosexto de Vsu par. ducentesimo decimo octauo. Prorsus carent, inquit sensu, siue inusseris, siue secueris. Respondeo, locus

locus est mendosus, decimosexto de Vsu. lege, fiunt insensiles venę & arteriæ seu nerui incidantur, siue vinculis excipiantur. Et quidem si venas subiens inflammatio, dolorem acutum facit, non poterit euitari talis dolor in quauis parte consistat. Vbique enim venæ aderunt. Et tamen Auicen. huiusmodi meminit distinctionis factæ à Galeno sexto Aph. quinto, statuens, quòd si venas affligat, dolor erit acutus.

Eadem verò signa sunt quoque erysipelatis maioris & minoris ratione differentia: non modò enim acuta febris inde eueniet, sed prorsus ardens, & sitis, & reliqua de lingua, quæ æstum insequuntur longè grauiora. Prognostica verò generalia sunt, quæ & aliorum acutorum affectuum. Vnica enim salus est virium robur, decimo Metho. ideo viribus imbecilli, vt senes, vt graciles & biliosi, aut peribunt, aut in tabem transibunt: præsertim ex erysipelate quinto de Loc. 6. Pessimum verò signum est extrema refrigerari, cum medium corpus vritur, & cum pedes subinde nudant, cum sint frigidi: & aliæ notæ, quæ generatim in acutis ponuntur primo Prognost. Vomitus verò niger pessimus, vt & porraceus: magná enim adustionem significant. Morti verò proximis intumescit venter, rupto abscessu; & sudant sudore frigido circa collũ, & faciem: & linquuntur animo, vt Bellarmato contigit. Generatim verò morbus periculum grande minatur. Spem facit sanguis de naribus largè fluens, præsertim tempestiuè, id est, post coctiones, & sudores 3. de Cris. 3. coctiones verò vrinis cognoscuntur, vt ibidem habetur. 3. Epid. 2. 5. primo 5.

Curatio verò resumet scopos eosdem, atq; in ventriculo, nempe vt inhibeatur generatio phlegmones, & sanetur quod ipsius est factum. Inhibemus vacuando & auertendo fluxionem, si ex ea causa oriatur; & astringendo, & roborando partem ne recipiat. Fiet autem vacuatio & auersio ex vena basilica dextra, vt rectitudo seruetur. Sic enim natura optimè agit, vt experientia monstrat in libro Epid. & testatur Galen. libro de Ven. sect. & 3. de Cris. tertio. Quòd verò reuellat, & vacuet, Galenus testatur cap. 11. libri 13. Meth. Post hæc astringentia eadem quę ventri, admouebis, tum fotus ex tepẽtibus, vt Galenus scribit. Contrà, 10. lib. cap. 7. vtitur etiam in phlegmone contra rationem nostram suprà, vbi diximus verificari de erysipelate dictum libri decimi. Respondeo, Verùm est quod diximus, securũ vsum non esse, nisi in erysipelatis: at in phlegmonis nõ tutò fieri, sed cura coacta, præponendo minus malum ad euitandũ maius: vt frigida potat ob periculum, ne æger incidat marasmum. At lib. 9. cap. 5. prohibet in phlegmone; suadet in erysipelate: quia est cura regularis.

Victum verò statim instituit, vt sint & ex ipso præsidia. Quòd ergo ad alimentũ attinet, certum est tenuissimũ esse debere ob morbi magnitudinem & acutiem: quòd si qua dare oporteat, ea sint, quę non modò non lædant, sed & prosint. Discurrit in his Galenus lib. 13 Metho. cap. 13. octauo κ.τ. capite de Hepate, & monstrat quod ob ventris spacium amplum, in quod sanies effluunt, non est periculum ab astringentibus, neque à viscidis. Contrà verò in iocinore ob angustiam venarum, fit, vt & ab astringentibus constipentur, & à glutinosis cibis obstruantur. Quod cum vniuersaliter in omni phlegmone iocinoris sit verum: maximè tamen verùm est, vbi cauę partes laborant: quoniá integris viribus adhuc eò alimenta perueniunt, siue astringant, siue obstruant. Hac de causa nec succo granatorum vtetur, nec alica. Adde quòd semper sanies elui debent, quæ in venas effluunt ex apostemate. Ad hæc quæ diximus, & his similia remorantur. Sed & meatus, quibus expurgatur bilis in ieiunum obstruunt. Mulsa verò hæc operatur, sed vitij id habet, vt bilescat, & tumidum facit viscus; quòd confertim dulcia ad se trahit, quoniam his maximè delectatur.

Iecur maximè delectatur dulcibus.

Eligit ergo ptissanam, quæ sine morsu detergat: & oxymeli dilutum, vt vias aperiat. Diluit autem tum vt frigidius sit, tum vt ex aceto nimius eius vsus non offendat. Solet enim intestina abradere, tertio de Vict. Nos verò in hunc vsum oxymel componere possumus, respiciendo partem, per quam magis ducere volumus excrementa: vt si gibba laborant, sic componemus. Lactucam, satiuũ intibum, acetosam, sonchum sumemus: & his semina citrulli, peponis, magni cucumeris addemus: postea ex saccharo solido, & aceto acido componemus. Si etiam tempus sit, cucumerum magnorum succum dabimus. Arabes Indum appellant, & pepones ipsos. Hæc enim per vrinas vacuant. Quòd si ad aluũ ducere velis, illis addes ordeum, & passas vuas, & pruna dulcia. Hæc inter initia dum morbus remittatur. Vitetur præcipuè somnus in principio accesſionũ quoniam fluxiones auget: quæ eo tempore maximè ad intra feruntur, vt & cibare eo tempore maximè lædit, 11. Meth. vlti. Cum verò remittitur morbus, ad ea, quæ dissoluunt, mistæ tamen materiæ cũ astringentibus deueniemus: qualia sunt, quę suprà descripsimus cerata, & cataplasmata ad ventriculum.

Oxymel compositũ cum iecoris gibba pars laborat.

Quæ sunt addenda cum per aluũ ducere uolumus,

Medicamenta verò quæ bibuntur, siquidem vrinas ducere opus sit, incoquendo apium & nardum celticam, & similiter apparando. Si verò ventrem vis subducere, aliqua cibis admiscere Galenus sua det: vtpote quæ familiaria cum sint, potest quotidianus esse eorum vsus; vrticam, mercurialem, cnicum. Sed ingrata hæc sunt plurimũ; ideo

Medicamẽta urinã ducentia.

Medicamẽta aluũ ducentia.

ideo melius fuerit vti caſsiæ medulla trium drachmarum, aut quatuor pondere ante cibum: aut iuleb ex rhabarbaro confecti; aut ſyrupi ex cichorio compoſiti vncias duas ante cibum offerre: aut Iuleb roſatum ſolum.

De Iocinoris ſcirrho. Cap. XLVIII.

QVoniam verò ſæpe fit, vt ex phlegmone in ſcirrhum affectio permutetur, ideo de eo modo agendum: quanquam & ab initio ſtatim gigni poteſt, abſque præcedente phlegmone; vel paulatim collecto in viſcere excremento craſſo dum nutritur, vel à liene eò tranſmiſſo: quod ſanè vtrunq; fieri videmus quotidie. Et quidem in libro de Morb. temporibus ſenſim, & latenter incipere ait; poſt multum tamen tempus ſentiri, vt exponetur. Vniuerſim verò hęc viſcera lien, iecur, renes oportuniſsima ſcirrhis eſſe patet decimotertio Meth. quod ſanè duobus euenit ob alimenti, quo aluntur craſsitiem: quòd ea cauſa facilè hæret, atque impingitur. Renibus verò potius ob venarum anguſtiam, quæ cauſa etiam iocinori eſt communis. Vt verò hæc melius intelligantur nonnulla de ſcirrhi natura dicenda ſunt. Eſt igitur ſcirrhus 14. Meth. ſexto, qui ſine dolore eſt: at non ſine ſenſu, ſed neceſſariò ſenſus affectæ partis hebes fit ex eo affectu; qui torporem quendam inducit, tandem verò inſenſilis fiet: quando etiam exquiſitum ſcirrhum nominat ſecundo ad Glauc. quinto. Nam alter, qui adhuc ſenſum aliquē infert cum præmitur, exquiſitus adhuc ſcirrhus non erit, ideo duritiem inſenſilem dixit 1. de San. tuen. ad finem.

Eius verò generatio eſt duplex, vel enim ab initio ſtatim eiuſdem rationis erat, vt videmus ſtrumas in externis partibus gigni, & exigua ex mole augeri in multam: vel quia permutatio facta eſt ad hoc genus, cum prius naturam eryſipelatis, vel phlegmones obtineret, idq; ob multam, & intempeſtiuam refrigerationem, quod frequentius euenire Galenus ait, ſecundo ad Glauc. quinto. Prior ergo generationis modus talis erit: vel enim ex influxu humoris intumeſcit pars, quomodo phlegmonem gigni nouimus, & hoc rarius: vel quod frequentius euenit, ſenſim aceruatur in venis, & ſpacijs medijs carnis: atque impingitur humor, qui tumorē facit. Hîc autem neceſſariò eſt vel craſſus, vel viſcidus, vel vtraq; natura participans, 14. Metho. ſexto, & ſecundo ad Glauc. & omnino frigidus. Vnde & pars ſi erat natura frigida in concretionem deducit humorē. Concreſcunt enim frigore humores, pręſertim natura frigidi. Vel ſi erat

calida; attamen eius præsentia citò refrigescit. hinc ergo durities. Nam durum quinto de Simpl. quinto concretione, & repletione fit, & siccitate, vel horum coniunctione. Hic ergo duæ aderunt causæ concretio scilicet & repletio. Hæc est spontina scirrhi generatio, cui etiam addi aliquid siccitatis videtur: quoniam necessariò digeritur tenue, & serosum per halitum: restat crassum, refrigeratũ, & concretum, quinto Simpl. 7. Altera verò ex errore fit, cum refrigerantibus & astringentibus vtitur medicus nimium. Hinc enim pars primùm refrigeratur, & humor: secũdò crassior redditur, quoniam repellitur quod est tenue è parte, restat verò crassum impactum: & fit scirrhus: idemque symptoma excitat, ac si ab initio statim scirrhus extitisset. Sed hoc maximè euenit vbi phlegmone, & erysipelas exquisita non sint, sed ex crassiore humore genita. Sunt autem symptomata quibus etiam significatur: vtpote necessariò consequentia, quæ ferè diximus, in definitione comprehensa. Tumor inquam cum duritie, sine dolore, & sensum tollens, vel prorsus, vel maiori ex parte; quæ omnia ex natura causæ crassæ, vel lentę: sed omnino frigidæ ortum habet. Quòd si permutatione fiat: & in extimis partibus liuor mortificationis signum apparet, & sensatum frigus.

Curatio verò generatim hæc erit, primùm inhibendo eius augmentum, si in generatione sit: secundò tollendo quod iam est genitum, quod propriè est scirrhum sanare. Primùm ergo crassorum, & viscidorum humorum copiam auferemus: idque purgando corpus post præparationem purgatione, quæ respiciat, vel pituitã crassam, vel melancholicũ humorem. Simul & victum instituendo, cuius sit extenuare, quæ crassa sunt, & incidere quæ viscida. Quòd verò eius iam factum est curabis, sed prius distinguendo num sit curabilis. Distinctio autem est penes exquisitum esse, vel non exquisitum. Exquisitus enim statim est incurabilis. Causam verò affert Galenus, secundo ad Glauc. quinto. Potest hoc primùm experientia testari, quia non curantur. Potest & afferri ratio, quia extinguitur adeò partis calor, vt non amplius fruatur natura eius ope medicamentorum. velut nec in parte mortua aliquid operantur. Rursus, quoniam lapidosum in halitum dissolui amplius non potest, quoniam terrestre est effectum. Hinc articulorum tophi insanabiles. intellige tamen medicamentorum vi, non chirurgia.

Curatio igitur iam facti scirrhi, sed non exquisiti, quod ad positos scopos attinet, vacuatio est: quoniam affectus est repletionis. Verùm vacuandi non vnus modus, ac cæterorum, vtpote per resoluentia sola, quæ in halitum digerunt, id est, calida & sicca medicamenta. His enim vtimur ad reliquos tumores morbosos: nam si his

ad-

ad scirrhos vtaris: egregiè tibi inter initia profectum videbitur: tumore scilicet imminuto non parum: sed quæ reliqua sunt omnino indissolubilia fiunt, & ideo insanabilia, non secus ac lapides. Sententia Galeni secundo ad Glauc. 5. & quinto de Simpl. 3. 14. Meth. Ideo præceptum est, vt non calidis, siccisq; insistas, sed mollientibus vtaris. Sed quę sunt hæc mollientia? Hic Galenus varius esse videtur. Nam quinto de Simpl. 8. Mollientia inquit calida, & sicca esse: sed moderatè, & his ad scirrhos vtitur. neq; intelligas, moderatè id est temperatè: nam ipse se exponit, quòd à medio distant sensibiliter calore & siccitate. Contrà hoc est Galenus secundo ad Glauc. vbi vult talia mollientia esse humida, & calida, vt oleum, adipes, medullę. Sic 14. Meth. cum dixisset humida esse debere mollientia, subdit exempla quæ diximus. Hîc ergo duplex contradictio: & de mollientium natura variè loquitur, & de curatione scirrhi. Respondetur, scirrhus, ob naturam humoris, varijs medicamentis eget: calida primùm omnia sunto, quòd est affectus frigidus. Sicca, quia siccis repletio vacuatur, non humidis: rursus humidis: quoniam concretio etiam siccitate est, ideo molliri, & fundi debet humido. Quoniam verò non possumus simul siccare, & humectare, ideo consueuit Galenus illis vicissim vti, vt scilicet nunc humidis mollientibus nunc siccantibus vteretur. Contrà, quid de mollientium natura? Respondetur, vtrunq; molliens dicitur: quoniam durities scirrhi non vna est. Vt enim durum concretione calfacere iuuat: ita siccitate humectare, vt multitudine siccare. In quinto ergo de Simpl. declarat, eo loco quæ sint mollientia repletione indurata corpora. Vel dic, declarare genus vnum mollientium: quia non erat locus proprius ponere omnia mollientia: quanquam & eo loco de humectante molliente meminerit, capite quinto. Vel aliter: scirrhus, vt variè durus est, ita varia quoq; mollientia habere oportet. Vt enim durus congelatione calida molliũt: vt repletione, calida & sicca: vt siccatione, humida, & modicè calida. Vtitur verò illis vel simul admistis, vel in diuersis temporibus.

Galeni sententia de mollientium natura & scirrhi curatione explanatur.

Materia verò euariat pro natura partis multum, licet genere sit eadem: ideo sat nunc est, generales scopos curandi scirrhi habere: atque aliquo exemplo declarare. Nunc ad scirrhum in iocinore accedamus: primò signa ponentes. Equidem si sub sensum cadit, facilè noscitur duritie, aut insensili, aut saltem indolorosa. Sed hoc non fit nisi in processu, cum auctus est tumor, & extenuati musculi, quãdo etiam nulla est spes salutis. Nos itaq; coniecturas quasdam antea habere oportet, quàm prorsus confirmetur: mox scirrhi iam exquisiti. Si igitur permutatione fieret ita, vt post phlegmonem reli-

quiæ ſcirrhoſæ relinquantur, facilè diſtinguetur. Nam & tumor adé rit vt prius. Sed is ſine calore, & dolore, ſola grauitate moleſtans. Iam verò & color corporis ad albidum mutabitur: quòd venæ cum bonum ſanguinem non gignant, ſed frigidum, & aquoſum: neceſſe eſt colorem corporis alterari: vtpote qui inde eueniat: ſed & febre carebit, niſi aliquando lenta febre corripiatur, debiliq; ob obſtructiones tum ipſius tumoris, tum ob cruditates factas.

Quòd ſi ſtatim ab initio incipiat, cum incipit magnitudinem aliquam habere, quanuis adhuc tactu non ſentiatur, grauitatem tamē ſentiet æger in dextris præcordijs. Verùm hoc ſymptoma commune eſt obſtructionibus viſceris à craſsis & viſcidis ſuccis. Quin adeò ſunt ſimiles hi affectus quo ad omnia, vt difficillimè diſtinguātur. Nam vtrobiq; pondus, vtrobique ſenſum procedente tempore amittunt. Nam & in obſtructionibus moles viſceris intumeſcit: vtrobique refrigeſcit iecur, & venæ omnes: vnde vtrobiq; vitiatur concoctio venarum: vnde vrinæ aquoſæ minguntur, & color corporis albicat, & intumeſcūt crura & facies. Demum videntur prorſus ad hydropem ſpectare: ſed euentus differētiam monſtrat. Nam qui ex obſtructione ſunt, breui congruis remedijs conualeſcunt, hi verò pereunt. Nam tandem in aquam intercutem veniunt. quando tametſi ſcirrhus magnus ſit, non poteſt tamen ob aquæ potentiam ſentiri. Itaq; ab initio hunc affectum noſſe ſi ſenſim oriatur, non eſt poſsibile: & hoc Galenus innuit, cum dicit in libro de Optima ſecta, & de Morb. temporibus, Latenter eos per multos menſes augeri, abſque hoc quòd ſymptoma aliquod inferant: donec ad nota dignam magnitutinem peruenientes, tandem ægrum corpus faciant. Vnum tamen ex diſtinctiuis ſignis, pulſus durities eſt, primo de Præſag. ex pulſ. Illud quoque ſciendum, quomodo ex vitio lienis contingat; vnde quotidie perire videmus. Nam vt Galenus ait, ſiquidem lien imbecillus factus humorem melancholicum ad ſe non trahat: nec ſanguinem eo expurget, ad anguſtas venas, & carnem iocinoris traducetur, & ibi concreſcens tempore ſcirrhum faciet.

Noſſe verò ante curationem oportet, quantum inſtet periculi. Id primùm ex generali notione ſcirrhi habetur, id eſt, vbi exquiſitus ſit factus: quod ex ſenſu deperdito partis dignoſcitur, quanuis omnino exiguum ſenſum habeat particula: cum ſcirrhus occupet carnem. Galenus videtur difficultatem ex tempore morbi metiri, cum ait: Incipientem ſcirrhum ſanaui, initia morbi intelligens; quæ ſanè lenitate ſymptomatum iudicantur; vel metitur hæc per temporis ſpacium, vt ſanabiles dicat, qui paulò antè cœperunt, quòd ſcilicet

materia non prorsus durata: at qui ad plures dies sint pertracti, insanabiles. Hæc secundo ad Glaucon. sexto. Pereunt autem vel breui atrophia, vbi obstructæ sunt simę partes hepatis, neque alimentum distribuitur: vnde aluus semper fluxilis fit, vel diuturno, & lento morbi genere, cum aquam intercutem incidunt: quando etiam iam durities visceris non sentitur: quòd vtris instar, totū peritonęi & intestinorum intermedium spacium aqua est repletum: de cuius generatione pòst dicetur, cum de hydrope agemus.

Atrophia quando euenit.

Cum primùm igitur de scirrho suspicio est, siue ex phlegmone remansit, seu sponte incœperit, auxilia maximè ex victus ratione sumenda sunt: vt & in omni longo morbo, & difficili. Nam talia familiaria cum sint, minus lædunt naturam, & possunt longo tempore sensim multum efficere. Ideo victus generatim sit, qui tenues succos gignat, & vim habeat incidendi, & extergendi, quod à tumore deciditur: idque per vrinas, aut aluum, aut vtroq; modo, quod magis conuenit. Vti ergo expedit in cibis, quæ vrinas egregiè mouent & acria sunt: tam ex herbis, quàm ex aromatibus. Vti verò & his ante cibum, quæ per aluum excrementa simarum partium possunt extergere: cuiusmodi sunt cappares saliti, cæpæ, porri, vel acria olera ex aceto, & oleo: cuiusmodi sunt & smirnium coctum, & daucus, & apium hortense. Dulcia verò omnia præsertim crassæ substantiæ, deuitent. Potus verò vinum tenue, & acre mediocriter, & fuluum bibant; idque modicè dum comedunt. Sed post cibi concoctionem amplius, si sitierint. Exercitia pro viribus valentia sint, seu equitando, seu pedestria: multum enim iuuant, vt & sicco in aere morari.

Quòd verò ad medicamenta attinet, curandum est, vt & per ea, quæ bibuntur & quæ extra imponuntur, iuuemur. Quæ ergo bibuntur, partim aluum subducant: partim vrinas. Et ad aluum quidem ducendam optimè faciet confectio ex amygdalis, & cnico, de qua Galenus quinto de Tuen. sanita. Oportet autem cnicum contundere, & sic componere. Facit & terebinthina cum saccharo ad formam electuarij confecta, & manè sumpta mediæ vncię pondere: & est Galeni familiare remedium. Ego verò in hunc vsum potione salsæ aquæ feliciter sum vsus; sed interim extrinsecus mollientibus vtebar, quæ dicemus. Habet enim vim extergentem, & extenuantem plurimam. Itaque altero scopo satisfacit curandi scirrhi: nempe vacuationi. Vsus etiã sum potione ammoniaci hoc modo. Ammoniacum cum rutæ dimidio in pillulas confirmatum propinabam pondere drachmam vnam, vel scrupulos quatuor. Habet enim vim emolliendi, & leniter exterget, & siccat. Iuuat verò & tro-

chiſcorum de rhabarbaro vſus, & alia medicaměta aperientia egregiè, & vrinas ducentia, de quibus in capite de Obſtructione nobis ſermo erit. Ad vrinas verò priuatim potione dictamni ſum vſus, & aſari. Extrinſecus verò medicamenta eadem conducunt, quæ ad ventriculi ſcirrhos deſcripſimus: cuiuſmodi ſunt & quæ ex bdellio & ammoniaco parantur: & quod ex meliloto, & ex œſypo. Hæc enim in cerati formam redacta apponantur: habent enim vtranque intentionem, molliendi inquam, & ſiccandi. Quod quanuis ſerius faciant, quàm quæ ſolùm ſiccant, & acria ſunt, id tamen tutius faciunt: ideo præeligenda.

De Obstructionibus iocinoris. Cap. XLIX.

obſtructio eſt morb. inſtrumentalis in cauitat bus, &c.

FRequens etiam affectus huius viſceris eſt obſtructio. Eſt autem ex vniuerſalibus pręceptis notiſsimum quomodo fiat. Eſt enim inſtrumentalis morbus in cauitatibus, quæ præter naturam replentur humore, vel alio corpore, quòd inhæret, non tranſfluit. Nec enim ſanguis venas replens, & continuè transfluens, vt ſecundùm naturam facere ſolet, obſtruere dicitur: ſed quando impactus manet, vel eſt ægrè mobilis. Fit autem eiuſmodi 9. Meth. ſecundo, vel ex abundantia [illegible]orum, vel ex æqualitate. hæc autě eſt craſſa, vel viſcida. Vel ergo naturā melancholię habet, vel pituitæ. Sunt aũt occaſiones harũ non ſolùm cibi naturę, de quib. exempla habes 5. de San. tuen. & alibi ſæpe: ſed & motus intempeſtiui & balnea, ob citā diductionem crudorum; & copia cibi ad vires: ſed & mediocris ſanguis, vt faciat obſtructiones manifeſtum eſt in phlegmonis; præcipuè verò illis, quæ ad gangrenæ naturam peruenere.

Sequitur verò obſtructiones varius affectus. Nam vel calor naturalis opprimitur, cũ non ventilatur, & pars refrigerata nō cōcoquit alimentum: vel putredo accenditur. Sic igitur febres quædam incidere ſolent lentæ: ſiquidem obſtructio ex frigida materia ſit, quæ etiam ex victus ratione aceruatur; in his præſertim, quibus ſunt venæ anguſtæ: vnde iubemus eos à caſeo, & azymo pane, & craſsis vinis cauere, & lactis frequenti vſu. Hiſtoria eſt quinto de San. tuen. 89. Potius verò aceto vti, vt præſeruemus ab eo morbo: & multam exercitationem ieiunis iniungimus; & alui profluuia fiunt, non diſtributo alimento.

Signa verò generatim obſtructionis non ſunt; ſed diuerſa, pro diuerſitate partis in qua viget. 6. de San. tuen. ad medium. Sentitur aut ponderis, vel diſtentionis ſenſus, vel vtriuſq;. Sic lib. 5. 89. At cū ratio

ratio generale quippiam habet, partim ex natura causę proximè, id est, humoris obstruentis: quē etiam licet morbū nominare: partim ex causa remotiore, id est, abūdantia humorū in corpore: Quoniā aūt obstructio tolli nequit, nisi ei⁹ prima causa tollatur, imò si quis ad obstructiones tollendas accedat non vacuata copia humorū in venis, potius augebit obstructionē. 11. Meth. 10. & 8. Meth. 10. quod erit apertū, si consideremus, quid exigat prima ratione obstructio. Est autem eius indicatio apertio; quæ fit per ea, quæ contrario modo humores afficiunt: vt si lenti sunt, incidantur: si crassi, extenuentur, & vnà vacuetur quod præter naturam continetur in vasis. Sed quę hoc efficiunt plurima sunt potestate calida, & fundentia sanguinem: quare metus est ne augeant obstructiones, siquidem copia humorū adsit in venis. Itaq; præceptum est ante medicamēta, quæ obstructione liberant, abundantiā minuere: idq; vel vena secta, si sanguis abundet: vel etiam melancholicus & crassus sanguis, & omnino si vires ferant. Hinc enim significatur non esse tantā crudorū copiam, quin etiam vnà sanguis adsit, aliter non expediret, 4. de San. tuen. Vel purgatione pituitæ facta per vomitū; vel etiam inferiorē aluum. Plurimū verò (quòd in minoribus ętate accidit) non est cur cogitemus de sanguine mittendo. Materia verò, quæ obstructione liberat, vel ex victu sumitur, aut medicamentis. Victus ergo talis esse debet, qualem in scirrho descripsimus, tenuis scilicet alimenti, & etiam extenuantis. Sunt autem extenuantia calida, acria, amara. Et ex frigidis acida: è quibus, scilicet amara, vim etiam detersoriam habent, acria incidendi: vt & acida vnà & extenuandi: ex qua Meth. facilè particularē materiam tibi parabis. 6. de San. tuē. ad medium. Quę tollunt obstructiones, etiam coctionem iuuant: vt diatrion, si coctio tarda sit. Sed si neq; pharmaco, neq; secta vena potes copiam minuere humorum, tunc parco victu, clysmatis & his quæ aluum lenem faciunt cibis vteris: exercitatione vti inter initia tutum non est tertio Aphor. 20. gignuntur in his non pauci morbi. Vide quarto de San. tuen. neq; lauandi inquit, neque exercitandi, qui in primis venis crudorum multitudinem habent. Si igitur in iocinore obstructio sit, signa primū generalia aderunt omni visceri: qualia sunt quæ de pulsibus Galenus scribit, primo ad Glauc. ad calcem libri: vbi de accidentibus agit. Pulsus, inquit, fiunt parui, & languidi, sed inæquales ita, vt nunc magni fiant, nunc vehementiores: nunc rursus languidi. Aliquando, si res grauior sit, etiam intermittentes. & secundo de Causis pulს. secundo, cum arteriæ obstructæ sunt difficili obstructione: siquidem & præsertim si circa cor sint, vel sal-

tem in nobili aliqua parte, fiunt diuersitates pulsus multæ, & difficillimę: quoniam arteriæ ea ratione nihil ad se elicere ex venis possunt, sed neque de externo aere. Similiter neque pellere à se excrementa, vnde aliquando insurgunt vi magna, sed parum proficiunt: aliquando succumbere videntur. Vnde etiam pulsus intermittentes fiunt. hoc apertę visitur in pulmonis affectibus ex fluxione ortis; pręcipuè in his vbi vis pulsatrix imbecillior: quales senes, & pueri. Reliqua verò signa communia ferè sunt scirrho de vitiata concoctione; quæ in colore corporis, & vrinis apparet. Sentitur & circa præcordia dextra grauitas ex multitudine aceruata: sæpe & regius morbus insequitur, vt capite sequenti agemus. Flatuosi etiam dolores ea parte oriuntur: sed dolores exigui ex obstructione: graues ex spiritu flatuoso: septimo Aphorismorum 53. Febres præterea lentę; siquidem materia aut in flatus vertatur, aut putrescat. Tandem verò & facies, & crura intumescunt, fitque malus corporis affectus, qui cachexia dicitur. Conijcere verò num pituitosa sit obstructio, an melancholica: & si pituitosa, num sincerior sit, an vnà bili crassiore admista facilè coniectare poteris. Primùm enim humoris naturam distingues vniuersali illa arte: vt quia victus ratio omnis huic, vel illi humori gignendo fuit idonea. Mox ex accidentibus, quæ huic, vel illi humori sunt propria, tam circa corpus, quàm circa animum; de quibus in libro de plenitudine.

Cachexia.

Curatio.

Curatio igitur, siquidem recens sit affectio, solum circa tollendam obstructionem versatur: Si verò diuturnior, post hanc, tollere quoque derelictam intemperiem oportebit. Primùm ergo communi ratione tollēdi obstructiones vtemur: ac nisi vires prorsus ex cruditatibus, & cacochymia laborent, ad copiam tollendam, venæ sectione erit vtendum, vt docet Galenus in libro de Ven. sect. vt scilicet paulatim copia tollatur: non confertim facta vacuatione, ne vires in eo morbo frigido debilitentur. Simili ratione, & deiectio procuranda, ijs primùm quæ molliter vacuant: qualis est hiera, electuarium diacatholicon: quod magis faciundum vbi vel ob vires, vel ob ætatem prohibemur facere venæ sectionem. Similiter & clysmatis vtendum.

Remedia verò de obstruentia partim ex victu, partim ex medicamentis capientur: ex victu quidem, non in quātitate cibi solùm, sed & in qualitate. Oportet enim exiguo cibo contentos esse: vt si quid crudi, sed vtilis sanguinis in venis est; concoquatur in cibi abstinentia. Doctrina est Gal. 4. de San. tuen. Qualitas verò sit, quā generatim descripsimus, & extergēs: nempe extenuans, quę extenuata fuerint, & vacuans, seu per vrinas, seu per aluum ea, quæ prorsus inutilia, &

lia & excremētoſa ſunt. Vinū itaq; colore ruffum, & calore modico iuuerit, concoquendo cruda, & ducendo vrinas. In cibo verò ad hæc iuuant aromata omnia, vt piper, cinamomū, zingiber: & inter herbas apium hortenſe, ros marinus, origanum, tymbra, thymus, aniſum, cyminum. Parui verò ſaliti piſces, & capparum fructus, & folia condita muria, aluo ducendæ conducunt: vt fœniculū, & crythmos ad vrinas. Vitent verò craſſa omnia, & concoctu difficilia. Exercitari verò ieiunos mirè prodeſt longo, & forti exercitio: præſertim vbi corpus iam copia nō laboret. Aerem verò ſiccum, calidumque eligant, & ſomno moderato vtantur.

Medicamenta verò quæ exobſtruunt iuxta prædictam methodum plurima eſſe poſſunt. Omnia enim quæ extenuare valent, & extergere, vt amara, acria, acida, huiuſmodi ſunt generis. Quòd ſi prȩterea quippiam aſtringens habeat, optimum & vtile erit viſceri, ratione, quam ſuprà diximus: ideo præcipuè rhabarbarum laudare ſolent Arabes: non quòd, vt quidam putant, proprietate ſubſtantiȩ conueniat, ſed qualitatibus manifeſtis. Ea igitur afferam, quibus vti ſoleo. Hic enim morbus communiſsimus eſt, ſed præcipuè ob ingluuiem puerilis ætas capitur eo: præcipuè puellæ delicatæ, quæ domi, & in vmbra perpetuò manent. Capiuntur & adultæ ſi ocioſam vitam ducant, & humores tales aceruent, præſertim ſi menſes ſint ſuppreſsi. Capiuntur & viri, ſed rarius, ob eaſdem cauſas. Hinc quoque tolli ſolet appetentia, aut prauorum ciborum appetentia exoriri, cum vel putreſcunt, vel corruptiones indicibiles incidunt humores, dum moram in venis trahunt. Et hoc paſsim fieri videmus, præcipuè in pueris. Inter mitiora igitur primum eſt oxymel ſimplex & compoſitum. Fortius verò erit ſi vim herbarum addas, vel radicum, vt calamenti, pulegij, tymi, marrubij, polij. Fortius his erit ſi acetoſum diarhodon accipias, vel Biſantinum dictum. Quoniam verò timemus aliquando medicamenti calorem, vel ob febrē adiunctam, vel naturam corporis, optimum erit radicem cichorij incoquere, & filicis. Egregiè enim faciunt, vt & fumum terræ. Interim verò per interualla, per aluum purgare oportebit. Optimè verò faciet diaphænicon, & terebinthina, & hiera, & trochiſci ex agarico. Demum ſi oporteat, aquas ſalſas potui dare. Optimè verò purgat, & rhabarbarum, præſertim agarico miſtum. Ex medicamantis verò exobſtruentibus, & vrinam ducentibus: leuius eſt diarhodon abbatis: hoc fortius diacurcuma. Trochiſci de roſis, de rhabarbaro, qui debent ex vino offerri ieiunis. Sic & trochiſci de Amygdalis amaris à Galeno deſcripti 8. κ. τ. Poſtremum remediorum eſt chalibis vſus. Eſt autem communis modus, vt admiſceatur ſub duppla

Mm

portione ad diarhodon;& manè propinetur ex vino tenui. Vt verò ad venas distribuatur citissimè corpus mouere oportet, & pro viribus exercitari. Hæc ergo remedia admouere oportet distinctione habita ætatis, virium, & temporis anni, & affectus magnitudinis. Magnitudo verò affectus dignoscitur causarum vehementia procatarcticarum,& diuturnitate affectus,& copia symptomatum, & quoniam non facilè remedijs cedere videtur.

Imponit verò hic affectus facilè ignaris: sæpe enim vt desperata existimant, ob symptomata hydropicis similia, quæ reuera desperata non sunt. vnde & à vulgaribus hominibus sæpe curantur.

De Iocinoris intemperaturis. Cap. L.

DIximus de Iocinoris affectibus, qui sensum non latent, sed vulgo quoq; sunt noti. Cum verò citra manifestum tumorē imbecillum fiat viscus, hos hepaticos veteres dicere solebāt. Sic enim eos definit Galenus tertio de Symptomatū causis 2.& 8. de Med. secundum loc. & 5. de Loc. 7. Vulgus enim cuius plurima nomina est imponere, eos quibus debile est viscus, causa tamen debilitatis aperta non est, hepaticos dicere consueuit. Sed reuera debilitas sola incusanda non erat. Est enim symptoma, sed affectus, ad quem debilitas operationum sequitur, siue vnus sit, siue plures. Cum verò alibi monstratū sit, actiones primò ad similarib. edi: hinc fit, vt si eæ afficiantur, lædatur actio: earum verò morbi ex primo de Morb. diff. sunt intemperiei genera: quare debilitates inde fient, & affectus hepatici erunt ex iocinoris intemperie. Sunt autem partes quæ id patiuntur, similares, venarum tunicæ, & propria caro visceris. Cum autem in omni intemperie necessariò debilitentur actiones naturales visceris: attamen ex vna magis concoctio: ex altera exempli gratia, attractio; rursus retentio, vel expulsio: ideo non ad quamlibet intemperiem imbecillitas omnium facultatum sequitur sed priuatim cuique propria.

Primùm ergo de calida agamus. Fit verò hæc intemperies præcipuè ex cibis, & potionibus, vel eorum condituris. Fouetur postea, atq; augetur ex pręsentia biliosi humoris irrigantis carnem, & venarum tunicas. Igitur signa huius erunt, primùm ex colore totius corporis valdè citrino, & bili attestante: sæpe verò, & oculorum alba pallescent. Pallida erit vrina; vel si ieiunarint, flaua, & mordax. sæpe ictericorum vrinas imitatur multa bilis tinctura: habitus gracilis: & sæpe adnescentur cuti erysipelata, & morbi alij, qui sunt germi-

na

na biliosæ fluxionis : vt scabiei genera, & psoræ, & exanthemata. Aderit quoque sitis, propter stomachi consensum, & tactus corporis calidus. Quòd si plurimum excesserit, colliquationes dictæ deijcientur: & sunt biliosæ, crassæ, & fœtidæ, genitæ exustione sanguinis tum in iocinore contenti, tum in Mesenterio, vt quinto de Loc. septimo habetur. Mox & caro hepatis colliquatur ex multo calore. ita', vt cruenta egerant colore carnis iocinoris : vel etiam ipsa caro in paruas portiones diuisa; & in plenam crasi, & exusti sanguinis species : qui ad atræ bilis naturam colore consistentia, & splendore vergat.

Ponamus & signa frigidæ, nempe huic contrariæ: pendent autem omnia ex mala concoctione sanguinis, vt tactus corporis frigidus, & corporis albedo totius, & œdemata, & pituitosæ febres, & tumida sæpe facies, præsertim oculi, & crura, vrinæ tenues, albæ. Excernunt autem per aluum octauo κ.τ. cruda, sed non valde olida & liquidiora multo: imò aquosa. Postea deijciunt inquit, cruenta, crassa, nigra instar sanguinis putrefacti, sed similia colore, & consistentia atræ bili. Distinguuntur verò colore splendente, qui atræ bilis est proprius, vt in libro de atra bile habetur, & quarto Aphor. Etenim sic distinguitur sanguis cõgelatione crassescens, & exustione, tertio de Sympt causis secundo. Hæ sunt hepaticæ excretiones dictæ : à quibus etiam hepatici ægri vocantur: qua voce, vt dictum est, significatur visceris debilitas. Quoniam verò quatuor sunt virtutes, videndum est, ad cuius debilitatem illæ sequantur: num scilicet concoctricis, an alterius virtutis. Et rursus videndum, quam iocinoris facultatem, à qua maximè intemperies vitiari contingat. Videtur ergo Galenus cruentas excretiones similes carnis loturæ aliquando tribuere vitio concoctricis, vt 8. Catatopus: Hepatici inquit affectus plurimùm hinc incipiunt, cum nondum prorsus abolita est concoctrix, sed diminuta : vt aliquo modo cõcoquat non bene. At tertio de Sympt. causis secundo, debilitatem contentricis esse ait, vbi scilicet quod attraxerit, detinere nequit, quousq; concoquat, sed quasi semicoctum dimittit. & quidem vtrunq; debilitato viscere euenire potest. 5. de Loc. 7. cum retentrix laborat, primũ cruenta sanies, mox crassa. Sed cõcoctio diminuta in frigida maximè erit: retentrix imbecilla, vbi humidum iungitur. Hæc ex tertio de Sympto. causis tertio. Hos affectus multi malè dysenteriam arbitrantur, similitudine decepti excretionum. Et quidem ad calidas intemperies sæpe sequi solet, etiam sine febre. Sed hepaticæ propriè dictæ excretiones sine dolore sunt. Præterea in dysenteria sensim ex vlcere intestinorum manat cruentum quippiam:

At in hepaticis, confertim excernitur. Videtur ergo velle quòd ad omnem intemperiem sequatur cum debilitari iecur incipit talis excretio; sed aliquando debili concoctrice; aliquando debili attractice existente. Postea sequuntur aliæ transmutationes in excrementis pro natura intemperiei. Distinguere etiam oportet excretiones quæ debilitate visceris fiunt, ab his, quæ robore expultricis excernuntur: quam quis hepaticam dysenteriam appellauerit, de qua 3. de Sympt. causis. Fit autem hæc cum natura copiam sanguinis qua grauatur exonerat: vt alijs per vomitum facere solet. Sed distinctio facilis: hîc enim non apparent notæ affecti iocinoris. Præterea sanguis qui excernitur, colore & consistentia secundum naturam apparet, contrà quàm in hepatico affectu. Præterea periodos quosdam statutos hîc seruat: nempe cum primùm copia aceruata fuerit. At in hepatico affectu quotidie deiectio fit.

Hepaticorũ prognosticum.

Periculum verò ex affectus magnitudine iudicatur. Magnitudo verò affectus primùm ex magnitudine symptomatum, secundò ex diuturnitate, tertiò quoniam remedijs ritè adhibitis non cedit: Transitur autem, aut in hydropem, aut in febrem tabidam: quando cum calore viscus etiam siccius euadit.

Curatio primùm calidæ intemperiei fit: hæc autem vniuersim per ebibita comparari potest; vel ex his, quæ extrà apponũtur. Sed per ebibita maximè quod monstrat situs: est enim ebibitis non longinquus, quod & Galenus testatur. Itaque integris viribus ad affectum locum perueniunt. Iuuat autem, vt pro exemplo nobis sumamus puellam illam Lucensem, cuius historiam proposueram. In ea ergo primùm intemperies erat calida, cuius ratione hepatica dicebatur. Erat & extenuatio, qua in tabem tendere videbatur. Aderat & siccitas solidorum, quæ incrementum corporis tardabat. Cui tametsi succurri non posset: attamen prohibere eius augmentũ opus erat, vnde minus incrementum corporis impediretur. Erat enim in media adolescentia. Necesse itaque erat vt in complicito affectu ad id, quod causa erat, maximè spectaremus. Nam sine eius sanatione, neque alterum sanari poterat: id erat intemperies calida, & sicca. In cuius sanatione, quoniam ex longitudine affectus verisimile erat aceruata esse excrementa biliosa, & id omnia testabantur: ideo cœpi primùm vacuationem moliri medicamẽto, quod minimè excalfaceret: cuiusmodi fuit aqua Villica, quam septies propinaui ea ratione, qua docui aquas propinari solere. A purgatione ad alterationem transiui, quam succis herbarum efficere nixus sum. Accepi cichorium, & sonchum: priorem quidem plantam egregiè laudat Galenus octauo Catatopus, tanquam visceri gratissimam, non refrigeratio-

Historia puellæ Lucensis ab authore curatæ.

Cichoriũ iecori est gratissimum.

frigeratione solùm; sed & abstersione, quam facit in venis illius; & astrictione, quam requirit iecur infirmum. Sonchus earundem facultatum est, plus tamen refrigerat. Hæc ambo in succum redacta manè cum modico sacchari exhibui: idque per dies decem, quando iam remitti caliditatis signa omnia visa sunt. Interim tamen & victus ratione sum vsus, adhibendo omnia, quæ refrigerant, vt ex herbis, oxalida, lactucam, portulacam, intybum. Ex fructibus verò pruna, cerasa, melopepones. Euitaui salsa, dulcia, pinguia omnia. Interim & extrinsecus adhibui cataplasmata earundem virium: vt quod ex farina hordei, & succis supradictis constat: vel etiam epithemata, quę in vsu ad talem intemperiem esse solent. mox & ab his illitiones ex cerato sandalino dicto, aut ex cerato simplici Galeni. Demum ad extenuationem curãdam accessi, & lactis potione sum vsus ea ratione, quam suprà docui. His adeò profecit, vt & non modicè carne repleretur, & colorem suprà quàm credi potest mutaret ad melius.

Sonchus abstergit & refrigerat.

Talem nobis curationem Rases instituit. primùm enim meminit purgationis, quanuis non primo in ordine ponatur, quoniam non semper est necessaria: imò scribit, si necesse fuerit. Purgat autem cum his, quæ bilem respiciunt, vt sunt pruna, & tamarindi: quibus addere possumus, & iuleb rosatum, & casiæ medullam. Propinat & medicamentum ex succis endiuiæ, solatri, cuscutæ: hęc planta in vsu iuniorum est. Sumit aũt efficaciam ex plantis, quib. inhæret, vt Serapio ait. Græci eius non meminerũt. Habet vim detersoriam in calore, & frigore media; ideo alij calidã, alij frigidam dixere. Probatur & in casu, cochlearũ vsus carnis, vt quæ, vt Gal. ait, à tota sustãtia confert; vt & lupinum iecur; cuius se dicit multã experientiã habere Gal. Quo aũt modo cochleas Gal. obtulerit, non satis constat num crudas, vel coctas: num in puluerem redactas, vt Aetius de lupino iecore scribere videtur. Nam si coctas proculdubio adiecisset coctionis formã. Solùm teri vult eas, & ex vino propinari: sed contritio nisi exustis cochleis fieri non potest. At videntur iam alterius naturæ factæ, ideo puto vel crudas propinasse, vel elixas. Nostri (quod expertum satis habemus) eius aqua vi ignis exstillata vtuntur. Experiuntur verò refrigerans pharmacum, nutriens, & sitim, æstumq; remittens, & dissolutioni valde resistens; nec facilè alterabile in ventre calido.

Bilem purgantia quę sint.

Cuscuta ueteribus ignota.

Cochlerum aqua exstillata refrigerat, nutrit: sitim, æstũque remittit.

Laudat Galenus philoni vsum adeò, vt semel solum acceptum conferre videatur. Nostis capite de dolore stomachi vtendi rationem. De frigida verò intemperie paucis agemus; monentes itidem ijsdem genere remedijs in ea vtendum, atque in ventriculo: quin &

Philonij usus ad iecur.

breui persistere potest, quin habeat adiunctam humiditatẽ. Sæpius verò & humores obstruentes genitos ob vitiatam concoctionem, vnde remedijs obstructionũ dictis egebit. Transit autem hęc in hydropẽ, vt diximus: quamobrem vbi corpus expurgaueris per agarici potionem, hieram, diaphinicum: victus rationẽ ad calidum inclinantem institues, & siccantem, si multa humiditas iam sit iuncta: cibos actu, & potestate calidos, & potiones institues tum natura, tum conditura.

Mox & medicamenta magna propinabis ex his, quę suprà dialaccã dictam, & diacurcumã, & theriacen manè potam ʒ. pondere. Extrinsecus verò vnguenta ex nardino oleo, & speciebus diamusci cõficientur. Demum aromata omnia quomodocunque corpori applicata hanc sanant intemperiem, præcipuè verò quæ & astrictione participant, vt macer, nux muscata, garyophyllum. Expedit enim in his ob excrementorum copiam continuè offerre, quæ vrinas mouent; de quibus suprà diximus: atque in exercitatione, regionis mutatione, negociosa vita, curam omnem reliquam constituere. Probatur maximè cypheos compositio ab Andromacho descripta.

De Ictero. Cap. LI.

CVm iam de Morbis iocinoris egerimus, superest vt de affectibus agamus, qui consequi eos solent: è quibus vnum est Icterus dictus. Ab aue galbulo dicta Latinè, quòd aurei videntur regij dicti. Est autem nomen accidentis, nempe qualitatis mutatæ, id est coloris, qui ad flauum, vel subuiridem tendit; quales sæpe omnes fieri videmus. Insequitur verò hoc accidens semper causam præter naturã proximam, hoc est fusionem bilis per cutis exiguos poros: quæ cum incipit, apparet maximè in illis partibus corporis, quæ sunt vehementer albę, vt oculi: Mox in vniuerso detegitur. Huiusmodi rursus fusionis causa, interna aliqua prior est, seu propriè causa sit effundens, seu velut occasio. Quæ autem sint eiusmodi effusionis causæ, ex Galeno habetur quinto de Loc. septimo, vbi mouet quæstionem, num semper eueniat affecto iocinore? Respondet, non semper: Est enim vbi fiat ex effusione bilis, quæ per iudicationem fit in febribus: de quibus Hippocrates meminit quarto Aph. 62. & 64. Malum inquit est ante diem septimum euenire in febribus. At die 7, & in his, qui deinceps, bonum est. Subiungit nisi dextrum ilium obduruerit; hoc est nisi morbus regius eueniat occasione

Icterus est nomẽ qualitatis mutatæ.

casione affectuum, qui in viscere, qui omnes communi hac ratione morbum regium faciunt, quòd obstruunt, vt Galenus ait, meatus fellis. Sunt autem hi, vel quibus ex iocinore ipsa vesica attrahit bilem, vel quibus ex vesica truditur bilis ad intestina. Per duritiem ergo Hippoc. intellexit omnem affectum tumoris, seu phlegmone sit, seu scirrhus: & sunt veræ durities, seu obstructio, & est potius tensio, quàm durities. Significat ergo hac sententia Hippo. tunc laudari debere regium morbum cum sola naturæ pulsione fit, & hæc est crisis: quam dicit etiam non semper laudabilem esse, sed solum à die septima. Cuius causam Galenus scribit, quoniam inquit ante septimam diem non potest bilis efferri per viam crisis in cutem. Itaque necessariò accidet ob aliquem iocinoris affectum inquit Galenus, qui tres sunt, obstructio, inflammatio scirrhus. Habemus igitur hucusque duas genere causas: alteram, naturam morbos curantem, alteram obstructiones visceris. Causæ verò harum obstructionum aliàs solubiles sunt, vt si in simis iocinoris eueniant ex crasso, & viscido humore: aliàs ægrè solubiles, vt si à lapidibus fiant. quod nos aliquando fieri vidimus, vel scirrho.

Præter hæc verò iocinoris mala, fieri potest, & ab ipsius intemperie calida, scilicet, vt vniuersus sanguis valde biliosus fiat: vnde & color totius ad flauum permutetur, quod & ex venenato morsu euenisse aliquando Galenus ait, in imperiali seruo, quinto de Loc. septimo. Fiunt & ex affectu solo vesicæ fellis: vt si obstruatur qua parte expurgari debet, sed etiam si debilitatur eius attractrix; vel expultrix, quæ vtraque ex infirmitate eius possunt euenire: sicut euenire videmus in renibus, & liene: cum non attrahendo non expurgant: vnde repletus manet sanguis bile, quæ in venas regurgitat. Potest & expulsio eius nimia repletione impediri, vt Galenus censet, quando & ita vesicæ contingere videmus, cum nimium repleta fuerit. Hæc libro quinto ad finem de Locis affectis.

Talis itaq; diuisio ad inueniendas omnes causas fiat: Funditur bilis ad cutē, vel quia à natura eò truditur ex proprio officio expurgādi corporis: vel quia nō expurgatur quotidie vti natura cōparatum est per intestina. Rursus expellitur à natura, vel vt morbi causa in crisib. vel quia copia eius in venis molestatur, sano etiānum existente corpore; copiā verò augeri cōtingit ex omnib. notis causis bilem generātib9: & ex alijs occultis, vt venenis. Notæ causæ sunt ex aere & victu, & intemperie venarum. Detinetur verò in venis, non expurgata bilis; quia vesica fellea suo officio non fungitur; idq; vel quia non expellit, vel quia non attrahit. Porrò quòd non expellat,

causa est obturatio meatꝰ, qui ad ieiunũ peruenit, vel imbecillitas. aut quia repleta nimium cũ sit sese cõprimere nequit, quod illi euenire potest ob insensibilitatẽ. Nam in vesica fit etiam ob voluntatẽ. Fieri tamen ob insensibilitatem vidi aliquãdo in eo, qui opium potauerat. Quod verò non attrahat, similiter imbecilla attractrix causa esse potest, vel quia ramuli quos in iecur mittit, sunt obstructi; obstructionis verò causæ sunt corpora, quę diximus.

Qua igitur arte conijciemus quæ modò causa affligat? primùm considerabimus, num in iocinore suspicio adsit morbi, à quo obstructio proueniat: vel scirrhus inquam, vel aliæ obstructionis notæ. Sic enim causam inuenimus quòd non attrahat, vel non expellat; quæ coniectura statim confirmatur ex excrementis, quæ nullam bilis tincturam habent, sed albicant canum instar. Contrà verò vrina vehementer est flaua adeò, vt flauescant omnia, quæ cõtingit alba. Vrina enim à gibbis iocinoris. Confirmat & coniecturam victus pręcedens, aptus gignendis obstructionibus: de quo suprà diximus. Auget & notitia naturæ corporis: quoniam scimus angustas habere venas, & facilè his capi solere. Si verò obstructio absit, considerabis num causa aliqua bilem abundare fecerit, nempe iocinoris intemperie, vel aliæ externæ. Sic enim causa nota erit bilis abundantia: vt si acutus, & biliosus morbus præcessit causa patet, scilicet natura excernens. Quòd si nullum horum adsit, concludimus debilitatẽ vesicæ esse. Num verò peccet attractione, vel pulsione conijcitur; quoniam si pulsione peccat diu detinetur, & cęrulea euadit: vt lapillos vidi in vesica ea gigni eius coloris; exuritur enim tempore retenta. Num verò pulsio repletione nimia impediatur, vel debilitate; inde ostenditur, quòd quæ repletione est multa, simul deijcitur, & malum statim cessat. At vbi debilitas, diu durat, & fortè non cessat, sicut & vbi attractiua debilitatur.

Prognostica symptoma in qualitate mutata, insigne non est, duo decimo Metho. Nihil ergo lethale significat, nec curam exigit, nisi ob fœditatem: sed bene affectus, vnde prouenit. Curam exigunt, vt inflammatio venosi generis; vt scirrhus, vt obstructio, vt vesicæ infirmitas. Si verò pulsione naturæ fiat, distinguunt Hippoc. & Galenus hoc signo. Si ante septimum, nõ laudatur: si post septimum, laudatur. Causa inquit Galenus, quia bilis ante septimum diem non potest criticè moueri ad cutem: quod intelligitur excellenter nomen crisis sumendo, id est, pro bona crisi; & tempestiuè, & legitimè facta: aliàs crisis erit symptomatica dicta, quæ ante septimam euenire potest; quare erit malum, vel quia malam crisim significabit, vel malum iocinoris, aut vesicæ affectum. At post septimam bona

esse suffusio potest. At non necessariò: quia tunc etiam ex affectu io cinoris potest prouenire, qui etiam vltra septimam persistere possunt, & mox bilis suffusionem operari.

Aliud prognosticum est, quæ à lapide: quæ à scirrho, incurabilis. Hic dubitatur, cur impossibile sit bilem iudicatoriè ad cutem ferri ante septimam diem, cum sciamus biliosos morbos multos ante septimam iudicari, & tertio de Cris. fatetur tertio & quinto die, & 6. Confirmatur, quoniã celerrimi iudicij hi sunt: ergo prius septima. Omnes Hippo. dimittunt. Auic. Serapio: quoniam causam non inuenerunt huius dicti. Sed neque dicunt vidisse se mendacem Hippo. experiẽtia tantũmodo sic arguunt: Bilis est humor tenuis, citæ concoctionis, velocis motus, vnde citò ad iudicium tutò venire potest, & ante septimam. Iuniores nihil dicunt, sed hæsitant cui innitantur. Ego verò dico icteritiam ante septimam malam esse, id est, vel non iudicare morbum, vel si iudicat, quasi symptomatica crisis iudicat imperfectè, infidè, multo labore; vnde quidam bili suffusi pereunt: vt vidi iuuenem perijsse in morbo. hæc de experientia. Ratio est ex coctione. Cum dicunt bilem citius concoqui ob tenuitatem, errant: non enim tenuis est, quæ morbum regium facit: aliter transpiraret liberè per sudores. & insensilem transpiratum: sed crassa detinetur. Et esse bilem crassam testatur Galenus quinto de Loc. ad postremum libri. Talis est sententia primi ad Glauc. de tertiana notha, quòd post septimam datur absinthium: quem locum cum omnes accipiant, nullus exponit. Causa enim erat, quia bilis crassior erat. Nam in tenuiore, vt exquisita, tale tempus non præfixit.

Est etiam dubitatio de eo, quòd diximus fieri icteritiam cum doloribus circa ventrem: quod etiám fatetur Auicen. cum dicit: colicam cum ea iungi: & nos sæpe vidimus ad colicum succedere icteritiam, & subsequi colicum ad icteritiam. Et ratio dictat id fieri posse: quoniam causa obstruens potest etiam dolores ventosos facere, si in aliam partem transumatur. At Hippo. quinto Aph. ait vltimo Aphorismo, Qui icterico morbo tenentur non valde flatuosi fiunt. Exponit Galenus: quoniam bilis materia non est generationi apta flatuum. Gignentur ergo solum flatus à calore debili. Nos autem aliter Aphorismum exponimus, & magis ad veritatem, quę ob seruatur experientia, quod verum est ex parte materiæ biliosæ, flatus non fieri, sed ex parte pituitosæ, quæ obstruit. Si ergo icteritia solum fit sine alio affectu obstructionis, tunc flatus non fient: si cũ obstructione, tum solum, cum est à crassis, & viscidis, & frigidis humoribus, quod sępe contingit. Dubitatur secundò pro curiosis verborum Galeni. Nam si vis expultrix alienorum, vesicæ tribuitur,

ergo & sensus, quo percipiat, quod quantitate, vel qualitate est one rosum: ergo & neruis participat. At contrarium huius dicitur tertio de Facult. cap. 12. quòd nullis neruis participat. Falsum verò hoc est, & contrarium his, quæ quinto de Vsu par. nono dicuntur. Vetus interpres prorsus affectus legit: sed causam non reddit, cur dicitur; vnde manifestum est, quòd neruis participat. Sic ergo legatur litera: Nec tamē id similiter se habet in vesica iocinoris: hoc est non sentimus ipsam grauari quanto, vel quali bilis. Vnde manifestum, quòd exiguis admodum neruis participat, id est, quòd habet exiguum sensum: ergo exiguos neruos, quod etiam in libro de Vsu par. fatetur Galenus.

Nunc ad curationem accedamus: ac primùm in censum veniat oportet ob authorum verba; Num venæ sectione in hoc malo sit vtendum. In libro igitur de Purgantium vi sic scribit Galenus: Si inquit morbo regio laborantibus sanguinem miseris, extremam in pernitiem ages. Hoc etiam argumento vtitur in lib. de Atra bile ad monstrandum medicamenta proprium sibi humorem trahere. Aliàs inquit idem esset, ac venam secare. Cur ergo nullus in his venam secare est ausus? Contra hanc sententiam est communis schola. Nam Aetius duo maxima inquit sunt remedia, venæ sectio, & purgatio. Sed venæ sectio, si sanguis abundet, adhibetur. sic Auicen. Respondetur, icteritia secundum se sanguinem mitti non poscit, id est, si nulla causa eius adsit: sed solus affectus mutati coloris; & causa quæ est morbus scilicet bilis fusio. Hic enim bilis redundantia est, ergo purgatione est opus. hac iuueris: venæ sectione nihil iuueris. Contrà, vacuantur omnes humores: & octauo Methodi secat venam in vitiosi succi abundantia. Respondeo, hæc est sequestrata à sanguine: secundò hæc fixa est, non mobilis per venæ sectionem, quare vacuabis sanguinem depuratum: at vbi adsit causa antecedens, à qua continens foueatur, tunc distinguendum est. Nam si ex copia eius in venis, corpus cacochymum erit: stultum ergo fuerit venam secare, quod ad eam copiam attinet. Si verò copia hæc habet adhuc causam, vt intemperiem non secabis, nisi sit à phlegmone eius gratia. Si verò copia sit, quia non expurgatur: tunc distinguas, non expurgatur imbecillitate, sanguinem frustra mittes: aut obstructione, quæ si à crassis, & lentis, & sanguis abundet, secato venam: si à scirrho, vel lapidibus, non secabis.

Viso in quibus sanguis mittendus, nunc reliquam curationem explere oportet. Hæc verò primò vertitur ad causam, vt Auic. rectè inquit: postea ad iam factum morbum. Si ergo causa fuit naturæ impetus

Impetus in crisi, nihil nobis erit negocij circa causam, sed solum circa affectum derelictum, quæ erit generalis cura. Si verò ex bilis abundantia, ex intemperie purgare bile corpus oportebit, & intemperiē sanare. Purgatio verò fiet ex scammonio: vt ex electuario de psillio, ex diaprunis solutiuis, ex electuario de succo rosarum. Intemperiē verò sanare suprà docuimus, victu & medicamentis. Si verò ex veneno sit, propria curatio veneni exigitur. Galenus theriacen propinauit. Si causa obstructio sit, ea remouenda: quare à venæ sectione humores parabimus in libro de Ví purgantium. & primo de Nat. hu. Hoc autem fit amouendo qualitatem, qua obstruũt; lentorem scilicet & crassitiem; quod fit dissecantibus, & extenuantibus. Signum autem egregium, quòd soluta obstructio sit, est fæces tingi, vrinam verò reddi melioris coloris: quod aliquando fieri sensim videbitis: confertim aliquando. Quæ autem sint deobstruentia, suprà abundè diximus: Acida, acria, amara, quibus vtemur, vt in cibis, & potionibus quoad possumus. Interim & acribus vti clysmatis. Postea conducent ea, quæ crassam bilem, & pituitã purgant: in quib. diaphenicon maius esse censetur, & electuarium de succo rosarum, & pillulæ aureæ cum Turbit. & pillulæ dictæ aggregatiuæ. In fine verò infusionem rhabarbari.

Quòd si corpora rusticorum sint, ciclamini radicem propinabimus. Extrahitur succus drachmas duas, aut trium pondere, cum vino albo. Post horas duas in stupham ducatur. Non modo enim venas, sed & cutis ipsius tincturam per sudores purgat, qui etiam crocei visuntur in stringili.

Si verò ex imbecillitate vesicæ sit causa, primùm corpus purgabimus. Sæpe enim vbi non adeò crassa est, sola purgatione, & meatuum apertione tollitur. Mox victus ratione conuenienti, & potionibus, quæ intemperiē sanant, curabimus: similiter & extrinsecus admotis. Cum enim iocinori sit annexa, vix fieri potest, vt imbecilla fiat, quin iecur vnà patiatur; quare cura eius, erit cura iocinoris. Post hæc ad iam factum malum descendemus; hoc est bilem ipsam per summam cutem fusam vacuare. Id verò fit omnibus, quæ ipsam in vaporem soluunt extenuando, & poros aperiendo; per quos debet expurgari. Optimè itaq; faciunt, quæ cutem rarefaciunt, & sudorem cient, vt balnea dulcis aquæ, & frictiones ex chamæmelo, & eius potio ante balneum, ex vino vel aqua mulsa.

De Hydrope. Cap. LII.

Hydrops semper fit affecto iocinore.

Hydropis tres species.

Est & hoc malum ex his, quæ iocinoris affectus consequuntur: quin imò quinto de Loc. sexto, semper fit affecto iocinore. Ratio est: In omni hydrope vitium est sanguificationis. Pertinet autem hoc vitium ad eam partem, cuius est opus sanguificatio: ergo ad iecur, & venosum omne genus, quod à vi iocinoris gubernatur. Primùm ergo, quoniam non vnus est hydropis modus, distinctio habenda est, eaque ex Galeno quarto de Vict. in qua omnes conueniunt: quoniam alius affectus, Ascites dicitur: quasi vtricularis, alius Tympanias, alius Anasarca, vel Hyposarca: quæ nominá à similitudine dicuntur externorum. In prioribus enim quasi vter aqua plenus conspicitur: in alijs, venter tympani instar inflatur. In tertio genere spem carnosæ molis totius referunt: vt cum quis ventricosus, & toto corpore crassus euadit. Propriè verò dicitur hydrops Ascites: cæteræ verò species per huius similitudinem. De tympania quarto Aphor. vndecimo, quòd ex similitudine. Ibi de tribus speciebus litigant moderni, vt saluent Hippocr. qui duas species ponit. Non est locus ille Hippo. & à Galeno, vt insufficiens reprehenditur. ò miserum laborem.

Modus verò generationis cuiusq; horum affectuum talis erit: ex 5. de Loc. cap. 6. omnia prouenire ait refrigerato iocinore, & ex consequenti venis omnibus. Hinc vitium sanguificandi, id est, diminuta concoctio, vel vitiata. Diminuta quidem, vbi aqua, vel pituitosus sanguis generatur: & sunt duæ species. Deprauata verò, vbi in flatus vertitur, & sic in alienam qualitatem. Cum igitur sanguis exiguam mutationem suscipit, maiore sui parte in aquosam substantiam vertitur, ac circa primas venas, & cauam manens, vtpote tenuis, & serosus, resudat in peritoneum. Quod autem maneat causa est, quoniam à membris, & ab vlterioribus venis nō trahitur: quod verò non trahatur causa est vitium eius. Remanent etiam eo sanguine plenæ venæ mesenterij omnes; quibus erat aliqua vis sanguifica, vt monstrauimus: vnde ab ijs defluit roris vice aliquid in cauitatem. Vaporis quoque humidi copia, vbi in peritoneum tunicam inciderit, densatur, atque in ipsum defluit. Talis est Ascitis generatio. Fatemur tamen & aliquando in ipsius abdominis substantia aliquid aggregari, inter musculos scilicet & cutem. Necessariò enim contactu aquæ humescunt. Cur verò sæpe accidat, vt in Ascite solum venter intumescat: reliquę verò partes graciles sint, scilicet extremæ. Vnde ait Poeta. *Io uiddi un fatto à guisa di liuto.* Causa est tum.

Dantes.

tum quia,vt dixi,membra non attrahunt huiusmodi sanguinem, tū quia sępe iungitur obstructio à scirrho in Ascite,vnde distribui non potest alimentum.

Causæ igitur Ascitis est multa refrigeratio visceris, & consequēter venarum omnium.Id verò aliquando primariò iecur patitur,aliquando secundariò. Voco autem secundarium, cum ab alio alterius membri affectu habet originem. Sic igitur potest iecur immediatè ex causis procatarcticis frigidum fieri; vt ex plurimo aquæ frigidæ potu,vel opiatorum vsu,vel alijs frigidis.Sic & ex his,quę per accidens refrigerant,vt sanguinis profluuia. His enim sæpe succedit hydrops. Testatur hoc nono Meth.Galenus capite decimo, & quinto de Loc. sexto, siue è naribus fluat, siue ex vtero, siue ex hæmorrhoidibus. Ad omnes enim hos affectus cum diu durant, hydrops Ascites succedit.Vnà enim cum sanguine & calor deficit. Fit & ex proprijs frigidis morbis, scirrho, obstructione, & ex multitudine assumpti cibi calorem innatum extinguentis. Sed & per consensum aliarum partium,vel secundariò affectu:cum scilicet partes illæ refrigeratæ vnà iecur afficiunt. Fit autem hic consensus secundo Progno.primo,vt quia venis,vel arterijs multis, & magnis communicant;vt lien cum intumescit, & vterus si scirrhum patitur: vel alia ratione aqua,vel frigidis humoribus repletur,aut contactu,aut si venter,aut septum,aut intestina afficiantur. Fit demum vicinitate,vt à renibus,vel à pulmone. Et quidem à pulmone non rarò fieri vidi in his,qui asthmate laborant: vnde & refrigeratas eas partes pituita habent. Tandem omnes in senecta in hydropem migrant hac de causa. A renibus verò non solùm fit communicantia noxæ per se,sed ex accidenti.si aquositatem non purgent:vnde multa remanet in venis:fitq; sanguis aquosus, & excolatur serum illud in aluum:sæpe verò,& multa horum iunguntur.

Hydrops sæpe succedit sanguinis profluuijs.

Tympanias verò si sincerus sit,videtur à ventre,& intestinis oriri.Sic enim testatur Hippoc.quarto Aphor.vndecimo. Si dolores diu circa vmbilicum,& lumbos torqueant;qui neque medicamento cedant, id est, quibus tamen diligens curatio sit adhibita, transit in Tympaniam. Significatur enim, inquit Galenus, habitu contracta intemperies, vnde & imbecillitas partium, quæ ad ventrem attinent;non eum concoquunt,sed in flatus vertunt. Sic & tertio de Sympt. causis primo, Si,inquit, cruditates in vētre fiunt ob facultatis imbecillitatem, ad morbum,qui Tympanias dicitur, deueniet. Vult ergo affectū vētri ascribi. Quomodo ergo vniuersaliter dictū est in omni hydrope iecur affici,& sāguificationis vitio prouenire? Respondeo:propriè sanguificandi vitia sunt aliæ duæ species.Non

Tympanias unde generetur.

enim in venis hi flatus vertuntur, sed quia semper adest etiam admistus humor aquosus: ideo dicitur necessariò iecur, & sanguificatio lædi. Contrà, quarto de Pul. dign. tertio. Est aliquando tympania, & ascitis sincera, in qua non cauatur digitis cutis. Respondeo: sincerum dicitur, quando notæ admistionis euidentes non sunt. Sic medicus sinceros tumores dicere solet. Quòd si ab initio læsio à ventre incipit, tandem & in iecur perueniet per consensum partium: & quia chylus malè confectus, malè etiam iecur afficiet, & malam coctionem in eo sortietur. A quibus verò causis venter, & intestina hoc patiantur, suprà de ventre exposui. Sunt enim illæ eędem à quibus & iecur.

Hyposarcę generatio.

Hyposarca verò fit, cum crudus & semicoctus sanguis plurimus in corpus distribuitur, ita, vt copia crudorum venæ omnes abundent, & vniuersum corpus mole augetur; atque adeò habitus vitiatur, vt dignosci nequeant. Hîc rursus iecur patitur, sed non adeò frustrata est concoctio; sed quia vnà affectæ sunt venæ, ideo vlteriores venæ non possunt hanc cruditatem emendare: quare nec membra si attrahant in poros assimilabunt, vnde remanet alimentum distributum, & dispersum in omnes cauitates. hinc tumor. hæc 3. de Sympt. causis primo.

Soluenda autem nobis quæstio est, quam iuniores mouent, quę harum affectionum sit deterior. Alij enim, vt Auer. tertio Colliget, Tympaniam dicit: ratio, quia non est hæc sine calore, nec potest sine calore flatus discuti: vnde duplex incommodum in cura sequitur, & augmētum scilicet flatuum, & augmentū discrasiæ calidæ. Videte quantum proficiat ars sine experientia. Nec enim distinguit veram ratiocinationem à falsa. Miror brachatos hos medicos primùm non esse experientiæ innixos ad problema soluendum, mox rationibus certasse: sed nimis addicti erant scriptoribus ita, vt nihil ab artis operibus vtilitatis assumerent. Ego verò à iuuenta perpetuò euentus omnes ægrorum obseruaui: vidiq; cæteris paribus de ætate, & robore, hydropas, qui anasarcæ dicuntur facilius curari. Quòd si cōtendere ratione oporteat, ratio est: quia causa minus est rebellis: Nam proximè hi ad sanguificationem accedunt, nec vires adeò imbecillas habent. At in cæteris membra alimento destituuntur, & omnia imbecilliora. Adde quòd sæpius hic casus euenit ex mala victus ratione: vt crapula cum dimisso exercitio in aere humido, & crassis cibis: & sic videmus pueris aliquando contingere. At hæc facilius sanatur, vt veritas, & Galenus testantur.

Medici brachati taxātur.

Authoris diligentia.

Quòd si Tympaniam compares Asciti, facilius curam hæc recipit. Ratio dictat, quoniam à minori defectu fit 4. Apho. 11. quoniam humida

humida substantia sine calore aliquo in flatus non vertitur: quare & vires minus imbecillæ factæ sunt. Sed & alia est causa, quoniã, vt diximus, malum à ventre ortũ habet, & sic non est tanta læsio principis partis. Aetius Tympaniã periculosiorem facit, sed nullam causam affert, nisi quòd incisio adhibetur iuuans. Ad Auer. verò rationem dico, verũ fuisse si ex intemperie calida fieret. At non sequitur, ex maiori calido fit: ergo simpliciter ex calido. Sed in veritate, si de prauitate morbi rectè dijudicare debeamus, à fortitudine causę inchoandũ. Stat ergo tympaniã à scirrho ventris factã, vel mesenterij multo deteriorẽ esse Ascite à frigore iocinoris facto, ob causæ naturã, & fixionem. Ideo qui cõparat cætera omnia, cõparare debet paria, de causa, de ętate, & alijs, quę possunt vim morbi, & periculũ augere. Altera quæstio est: quoniã posuimꝰ Ascitẽ à causa frigida hepatis semper fieri ex Gal. ideo quærendũ venit, nũ & à causa calida, vt posuit Auic. quẽ sectantur iuniores oẽs ponentes hydropem à causa calida. Similis sentẽtiæ fuit Auer. 3. Coll. Sed & verisimile est, hos vidisse multos calidis morbis laborantes, qui hydropici forent; vt cum intemperie calida nimiũ iecur laboret vel phlegmone. Et quidem nos vidimus hydropicos, quibus aderant signa caloris in iocinore. Confirmatur hoc, quia sæpe suffusi flauo colore apparent, & vrinæ coloratæ valde colore rubro, vel flauo: quare stabit cum calida iocinoris intemperie hydrops. Quòd si ratione cõtra hos contendere velis; quoniam generatio aquæ, vel flatus est à calore diminuto, & ita necessariò ex frigiditate, respectu naturalis temperiei: Respondebunt, increuisse extraneum calorem, & morbosum: imminutum verò naturalem; cuius vis est concoquere; & ita refrigeratum iecur esse calido innato, sed calidum calore extraneo. Quòd verò hoc fit, patet, quoniam ad acutas febres sequitur non alia ratione, quàm quia extinguitur calor concoquens. Hæc quæstio necessaria est, quoniam nosse oportet num opus sit semper procedere cum calfacientib. in hydrope: an aliquando sit refrigerandum. Profectò ego non video quomodo posṡit à calida intẽperie gigni aqua. Scimus enim quòd omnis immoderata intẽperies deijcit opꝰ, & facultatem 3. de Sympt. causis primo, & ita omnis vitiat coctionem: sed diuersimodè, vt Galenus ibi ait. Nam frigida frigidos semper affectus parit: calida calidos, quod est assare, & in bilem vertere & siccare. Quanuis ergo calor natiuus sit debilis, aget tamen iecur calore quem habet, in cibos, & hic est calor acris, & mordax, & exurẽs: ergo plurima bilis gignetur, dum ea viget intemperies. Sed cessante ea, & restincto calore præter naturam, cum etiam imminutus sit, qui secundùm naturam, erit iecur frigidum: & ita frigi-

ditas eius ad calidos morbos poteſt ſuccedere per reſolutionem.

Ad ea verò experimenta quę adducebantur, dico primò, non eſſe inconueniens de hydrope tympanite, quòd fiat ex calido circa viſcera vehementiore, dum in ventre, & inteſtinis copia adſit pituitę: quod aliquando euenire poteſt, vbi homo calidi iocinoris vſus fuerit victu apto pituitæ generandæ. Scimus enim quòd ratione materiæ fit à vegeto calido flatus, decimoquarto Meth. capite de Priapiſmo. Reliquis verò morbis calidis ſuccedet quidem aſcitis aliquando, ſed non comitabitur. Poteſt etiam contingere, vt in calido iocinore ſcirrhus eueniat; vt lienis vitio, vel exuſtione alimenti, & ſanguinis, vnde refrigerentur meſaraicæ venę, & ſima iocinoris, & obſtruantur venæ illæ, vnde alimentum crudum, & aquoſum permaneat, & exudet in ventrem. Sed ſemper à frigido fiet, vt patet. Quod verò additur de vrina, nihil eſt: ipſi enim exiguum mingunt, & diu detinetur, vnde ruffeſcit. Galenus tamen ſecundo Progno. ſecundo, hydropem ponit factum ex inflammatione lactium, & ieiuni. Sed vult fieri Tympaniam, quia crudum alimentum deijcitur per inteſtina, & à calore loci in flatus vertitur, & manent in ventre ob excretricis imbecillitatem. Sed & de ea, quæ ex iocinoris inflammatione fit capite tertio loquitur. Fieri verò ait, quoniam alimentum detinetur, & potio in lactibus, indeq; reſudat. Quod verò in iecur permeat torretur; vnde bilioſum fit ex inflammatione. Quod verò inſuper addunt, à ſicca intemperie & humida fieri, falſum eſt, Nam ex his non vitiatur concoctio, id eſt alteratio alimenti, niſi vbi iunguntur frigido, vel calido: quod ego ſuprà ex Galeno monſtraui, ſed aliàs noxas inferent

Sed rurſus ad prognoſticum reuerſi dicimus, cauſas aliquas eſſe prorſus inſolubiles, vt ſcirrhum, ſi in viſcere eo ſit; ſi verò in liene ægrè ſolubilem. Sed & quando iam aquam intercutem facit, prorſus inſolubilem, ſiue in liene, ſiue in vtero, ſiue in lactibus ſit. Diu enim duraſſe, & confirmatum eſſe oportet. Difficile verò ſoluitur habitualis frigida intemperie: attamen non eſt impoſsibilis. Facillimè curantur, qui ex obſtructione, vel ex victus ratione oriuntur; vt ex cibi multitudine. Mox qui à ſuppreſsis menſtruis. Curam etiam recipiunt, qui ex profluuio ſanguinis, ſed quia rarò fit ſine ſcirrhis, ideo rari euadunt.

Quæret quis, quòd ad ætatem attinet, quinã melius euadant, an iuuenes, quorum naturæ morbus eſt aduerſus: an ſenes quibus eſt affinis. At experientia monſtrat pueros aliquos euadere, ſeniorum verò nullum. An eodem propoſito genere cauſæ morbi, magis periclitantur pueri, quàm ſenes? quia magnitudinem cauſæ commonſtrat.

ſtrat. Hæc enim eſt cauſa, ſecundo Aphoriſ.trigeſimoquarto. Sed licet ſenes de vita non periclitentur, rarius tamen morbo liberantur ob vires defectas: quoniam branchi in valde ſenibus non maturantur.

Mox de ſignis diſtinguentibus agendum. Nam quæ affectus demonſtrant, ſatis ad ſenſum patent. Tympania enim percuſſa ſonum edit: gracilia remanent extrema, nec tument, & iacenti corpus diſtentum manet, etiam reſupino. At in Aſcite fluctuationem aquæ æger ſentit, & intuitu percipimus: quoniam tumorem in latus iacentis perpetuò ſequi videmus. Adde quòd recto ſtanti ad ima ventris plurima moles fit, & tenſio aquę deſcenſu. At iacenti venter ſentitur mollior, & tument breui cura. In hypoſarca moles vniuerſa tranſmutatur, ac propriam formam amittunt, albentque toti. Cauſarum verò diſtinctio ponenda eſt modò, priuſquam ad curam veniamus. Hinc enim grauitas morbi conijcitur. Sed hoc facile eſt, cõſiderando affectus corporis, qui præceſſerunt, vel procatarcticas cauſas. habent enim omnes proprias notas: & qui ad ventrem, vel iecur pertinent, omnes antea ſunt pertractati.

Igitur ad curationem veniẽtes, in primis de Hypoſarca agamus. Raſes poſtremò de hac loquitur, & eam deſcribit tumore molli totius corporis. Hîc igitur abundat multus crudus ſuccus in vniuerſo corporis habitu: hunc autem neceſſe eſt vel concoqui alteratione, vel vacuari, vel vtrunque fieri. Tertiò, ſi cauſam adhuc habet fouentem, eam remoueri. Sunt autem cauſæ, quæ perſiſtũt, menſium ſuppreſsio, aut praua victus ratio, tum in qualitate cibi, tum in quãtitate. Similiter & quæ debilitant iocinoris concoctionem, præter ſcirrhos, aut obſtructiones magnas, & difficiles. In his enim iuxta modos dictos videtur potius fieri aſcitis. Cum ergo ex retentis menſibus fuerit, vel hæmorrhoidibus iuxta Hipp. Aph. 6. & duodecimo, vbi oſtendit Galenus hoc fieri: quoniam prauus ſanguis, & multus vitiatur frigido vitio, retinetur in venis: Vnde tandem ſanguinis generatio fruſtratur extincto natiuo calore, cogitandum eſt de venæ ſectione. hic enim eſt affectus, qui eam exigit. Sed & cauſam reſpicimus: de quo affectu Galen. loquitur in libro contra Eraſiſt. cum hydropas ſanguine miſſo ſanatos eſſe ait. Sed maximè vires animaduertere opus eſt, vt habeant; & vt habituræ ſint à miſſo ſanguine. Nam ſi conſtare videntur, ſignum eſt tantam crudorum copiam non eſſe, quę prohibeat venam ſecari, authore Galeno in libro de Venę ſect. Non aliter quarto de San. tuen. in crudorum multitudine prohibetur, vbi multum remota eſt multitudo à ſanguinis natura, idque ob virium robur. Sed & modus ille ſeruandus erit,

Hypoſarcę curatio propria.

de quo Gal. meminit in lib. de Ven. sect. vt scilicet iteratò fiat: atq; interim ea, quæ humores ad alteratioñe præparant, propinentur, id est incidentia, & calfacientia, & subtiliantia. Meminit verò sanguinis missionis solùm in Anasarca, Galenus quarto de Vict. & in hac solùm locum habere ait.

Misso sanguine cogitandum, vt humoris frigidi copiam educamus: id verò multiplici via, nempe per aluum, per vomitum, per vrinas, per insensibilem transpirationem, per chirurgiã, & per ea, quæ ex accidenti corpus siccant; à quibus auspicandum, victu scilicet, vtpote in morbo longo, (omnibus verò vtendum, quoniam in varijs partibus continetur humor, & est per proxima vacuãdus:) quẽ generatim ita instituemus: Quòd ad quantitatem attinet, talem, ne vires deijciamus. quòd ad qualitatem, vt siccet corpus, nihilq; graue concoctu, ob caloris infirmitatem, glutinosum vel crassum, propter obstructiones; humidum actu, vel potestate ob humoris copiã. non frigidum, non flatuosum: omnia enim hæc lędunt hydropas eiusmodi. Conditura ciborum optimæ sunt ex aromatis vrinã cientibus, & ea, quæ ventrem subducunt quotidie familiaria: de quibus suprà egimus, vbi de obstructione sermo erat. Potu verò quam exiguo oẽs vtantur: is sit vinum album tenue, & non adeò astringens. Multi cum forti animo per menses, solo pane alti, cùm potu abstinuissent, curati sunt, adhibito reliquo victu siccante per exercitationes, quas ferre potest, per aerem siccum.

In medicamentorum verò genere primùm deijcientia aluũ sunto. Hæc enim præcedere debent: quæ cum multa sint, ea tamen eligenda, quæ experientia nota fuerint conuenire. Sæpius enim hæc iteranda veniunt; potestq; prudens medicus facilè experiri. Cõstat autẽ his intentionibus, vt plurimũ operentur absq; ægri molestia, quibus vtimur & potione, & clysmate. Hic igitur cùm cruditates abundent sępius circa primas venas, vtemur hiera: cui inest solutio modica, & confortatio. Sic vsus infusionis rhabarbari, & agarici in vino optimè. Laudatur in hac hydropis specie: aliquando & radicis Turbit aliquid addimus.

Sed vehementiora his sunt simplicia ea, de quibus sermo erit in Ascite: Nam his quoque & aliquando in Hyposarca vti possumus: è quibus sunt squamma æris, æs vstum, lathyris, saldanella, iris, sambucus, vrina iuuenis, vel capræ, esula. Vomitum verò per interualla ciere decocto raphani erit optimum, idque à cibo, in quo aceto condita comederit. Sic & clysmatis siccantibus vtendum, & aquositates ducentibus, & simul flatus, qui semper iunguntur. Decoquantur carthamum, polypodium, cum ruta, & calamento: & ad-

Hydropicis purgandis vtilia quæ.

datur

datur vini Cretici, & vrinæ iuuenis aliquid. Sed quia maxima pars humoris est in membris, & vlterioribus venis, ideo per alia ingenia dicta maximè perficitur cura: ac primò ea, quæ vrinas ducunt, non modò in cibo quotidie exhibenda, sed & vt medicamenta. Asari ergo decoctum vnicè proderit, præsertim si cinamomi aliquid iungemus, & fortiter coquemus vnà & cardamomum, sabina herba, iuniperi bacca humilis, rubiæ radix. Huiusmodi sunt & Dialacca, & diacurcuma, & trochisci de Eupatorio, de rhabarbaro, de rosis. Sudores verò, & insensilem transpirationem procurabis non solùm exercitijs sub sole, & loco aprico factis, cum cautione tum conuenienti, vt ieiuno, & velato capite fiant, ne repleatur attractione calidi: sed & arenarum vsu, qui fuit veteribus vsitatissimus. Sepeliebant itaq; robustos viros in littore maris cum sol maximè ferueret vsq; ad tolerantiam: postea in lectulo reclinabant. Nos domū afferre possumus, & calfacta inspergere. Aliqui in tritici aceruis sub sole calfactis ægros reclinarunt. In hunc vsum, & sulphureis aquis vti, & luto sulphureo proderit: cuiusmodi in Patauino agro, & Volaterrano reperitur. Prodest, & ex marina aqua lotio, vel aliter salsa. Legite Paul. libro primo, capite quinquagesimosecundo. Galenum quoq; 1. Simpl. 7. & potum, & lotionem in his aquis laudat. Quidam infeliciter vsi sunt, quòd sine delectu omnes etiam insanabiles curare volebant, vt & alij ligni decoctum tentarunt, idq; inutiliter, quoniam sine delectu.

De salibus Theriacis.

Postremò medicamentis vel chirurgia vlcera infligenda sunt: quæ cum non sanescant nisi sanato toto, fit, vt multum aquositatis emittant. Fiant suprà talum parte interna per digitos quatuor. Sed & supra cubiti iuncturas, & suprà hypochondria, & fœmora. in hunc vsum vtor flammulæ, quæ & clematis dicitur acerrimæ herbæ germinibus.

Ascitis curatio propria.

Ascitis verò affectum periculosum maximè diximus. Si igitur ex frigiditate sola iocinoris consistat, vt ex frigidæ potu, vel frigidi medicamenti vsu nimio, vel ex aliqua parte affecta, cui iecur consentiat, tunc tentanda est cura: atque in primis ad materiam proximam respicere debemus, mox ad causas remotas, id est affectus, quibus vel primariò, vel secundariò afficitur. Quòd ad materiam attinet, intentiones curatiuæ eædem sunt, scilicet vacuatio. Sed alteratio hîc expectanda non est. Nam serosus ille humor materia sanguinis esse nequit: ideo vt toto genere præter naturam vacuandus. Sed vacuandi modi non ijdem: nec enim hîc sanguis mitti debet: sed inter vacuationes maximè conuenit purgatio, ob purgādi excrementi vicinitatem. Vrinatiua etiam conueniunt, quod facilè

aliquid aquosi humoris per renes traducitur, cum tamẽ in eos, tum in cauam venam resudat. Præterea faciunt ad distributionem in iecur, ex qua impedita dicebamus, maxima ex parte colligi in ventre aquas. Sudores minus conueniunt: quoniam non est in extimam corporis superficiem humor distributus. Sat ergo erit exercitijs moderatis vti ad exercitandum calorem: & reliqua victus ratio omnis similis sit hyposarcæ. Balnea quoque & potiones sulphureæ minus his conueniunt: tum quia vires imbecillæ resoluuntur maximè, tum quia sudoribus non multum iuuantur. Iuuantur igitur purgatione, vrinis, cataplasmatis, incisione. Ac primùm de purgatione agendum. Hæc autem aut per potiones fit, aut medicamentis quæ ad ventrem applicantur, aut clysmatis. Cum multa sint ea, afferam solum quæ hodie sunt in vsu, & experta. Materia verò eorum, quæ aquosos humores ducunt, hæc est: in primis squamma æris, vel æs vstum: quo ego primus, quod sciam, nostra ætate sum vsus. Debet autem optimè conteri vtrunque, atque in catapotia conformari ex melle: Dosis à drachma vna, ad drachmam vnam cum dimidia. Admisce garyophyllum, vel cinnamomum. Ducit autem nunc vomitu, nunc deiectione. Aliud vsitatum medicamentum est, cortex radicis sambuci in succum redactus. Dosis est vncias duas cum tantudem vini odorati. Aliud est iridis succus ex radice expressus. Datur cum saccharo, quòd faucibus asperitatem facit. dosis circiter vncias duas vel tres. Aliud vsitatum est saldanellæ, quam brassicam marinam dicunt, potus succus, vel etiam folia siccata, & in puluerem redacta. Scio quosdam, & aqua extillata vsos: ego verò nõ sum vsus. Erit autem dosis succi vncias quatuor, vsque ad sex, puluis verò manè cum exiguo vino, vel mulsa sumatur pondere drachmas duas. Hanc malè quidam putant esse eam herbam, quæ appellatur Cachile ab Arabibus. Illa enim alia est à marina brassica, & similis vsuen, seu chali: & inuenitur æstate in nostro littore: qua in hunc vsum hodie aliqui vtuntur.

Aliud est laureolæ folia siccata in vmbra, & mox aceto affusa per diem vnum vel duos, & rursus siccata, & in puluerem redacta: ac cõformatis melle, vel succo cotoneorum pillulis, duæ sumantur ad ciceris magnitudinem. Aliud esulæ radix est, cuius cortex siccatus teritur, & vtimur scrupulo vno ipsius, addendo mastichem & rhabarbarum cum succo rosarum, fac pillulas pro vna dosi. Alia verò quorum scriptores meminere, hodie in vsu non sunt: & profectò si his, quæ diximus non satis vacuatur, inanis erit cura.

Vtimur & his, quæ extrinsecus applicãtur, si æger debilis sit, aut valde læditur soluentibus: sic & si puer sit, & medicamenta recuset.

Hæc

Hæc facile est componere ex materia vehementer ducentiū aquas. Sed elaterium,& cyclamini radix,& lathyris inter hæc primas partes tenent,cum grano cnidio. Habemus compositum apud Mes.dictum vnguentum de arthanita; quo imus venter est inungendus: eo ad vermes quoque necandos vtimur:& debet eligi quod maius dicitur. Ea etiam quæ vrinas mouent,aliquid faciunt:ideo his vtendum est,sed non vehementer instandum, vt in hyposarca ob dictas causas. Postea ad cataplasmata, quæ emplastra vocant, descendimus:ac primùm ex cochleis constat,antiquum sanè. Oportet prius per aliquot dies humore excrementitio repurgatas sumere,& cũ testis contundere,& leuigare:postea inspergere florem asij lapidis,calamenti sicci,& rutæ siccæ aliquid:sinere donec spontè decidat,idque toti ventri. Eligantur marinæ cochleæ:sin minus quæ in montibus pascuntur genista herba. Aliud ex stercoribus caprino,bubulo,columbino: Siccentur prius modicè, neque admodum vetusta sint:postea componatur emplastrum cum sapa addendo sulfur viuum,cyminum,lauri folia. Chirurgia verò per cauteria fit,& per incisiones. Cauteria mitiora sunt, minusque ijs inest periculi,tunc maximè facienda,cum iam plurimum venter detumuerit. Debent autem excitari vlcera maximè ex ea parte,à qua pendere malum arbitramur:vt lieni,lumbis,intestinis. Cura verò per incisionem posita est à Paulo. Verùm remedia hęc nihil habent efficaciæ in desperato malo : hinc ferè omnes perire videmus,& infammiam esse ex vtentium inscitia.

Tympania verò si sine febre eueniat, vel ea exigua, & sola consistat, aliam curam exigit:nẽpe vt flatus discutiamus, & bonam concoctionem procuremus ventris,& intestinorum. Hæc autem consistit in roborandis partibus coquentibus,&offerendo ea,à quibus minimè flatus expectantur. Ideo primùm talem victum instituemus:panem, & obsonia minimè flatulenta:& condimenta, quæ ad flatuum iuuant discussionem,& concoctionem faciunt:cuiusmodi sunt anisum,cyminum,ligusticum,imperatoriæ semen. Potus tantus,vt non fluctuet:omnino parcus sit, quanuis non extremè,vt in alijs. Exercitatio mediocris,cæteraque,quæ calorem excitant. Robur verò ventri addimus ex his, quę suprà sunt posita vnguentis ceratis,emplastris, quibus & hypochondria comprehendere vtile erit. Cataplasmata etiam ventri applicantur ad discutiendos flatus, quale est emplastrum ex baccis lauri,quod habetur paratum:id toti ventri imponatur. Simile est,& quod ad Aristarchum refertur,à Mes.descriptum. Neq; hac sola ratione materiam vacuabimus;sed illi exitum parabimus per inferna pariter,& superna: Atque de ebi

Tympanię cura.

bitis conferunt diacalaminthe, diaciminum, diagalanga, electuarium de baccis lauri, & alia de quibus suprà in dolore ventriculi. Clysmata verò & suppositoria eadem ratione fiant, decocto rutæ, aut ea sicca cum sale, & cymino, & melle glande conformata. Quòd si ab vtero, vt sæpe fit, radix sit inflationis, remedia maximè ipsi fiant: & infrà speciatim de vteri inflatione agemus. In summa pessis vtemur ex Gallia muscata, ladano composita & zibetto. Vtemur, & sessionibus earundem virium, & fotu.

Sæpe verò misti sunt affectus, ac miscere curandi rationes oportet, vt aliquando omnium notæ mistæ apparent: perpetuò tamen alicuius ex his notæ dominantur. Rases verò in primis curam ascitis ponit, quæ cum affectu calido iungitur, vt docuimus; & eam desperatam iudicat: & exigua affert remedia ob eam causam. Vnde ait: Si post dolorem, & febrem, id est, si postquam signa apostematis præcesserunt: & diuturnior fit affectus ob scirrhosas reliquias. Remedia tamen vehementia sunt pillulæ de rhabarbaro, Rasis dictæ in officinis, fortes nimis ob Thymeleæ folia, & fructum. Si verò talia signa non sint, dat pillulas de mezereon dictas, & emplastro vtitur ad ventrem: & ea propinat, quæ vrinas mouent. Postremò Tympaniam curat victus ratione, quam diximus, & electuaria, & emplastra adhibet, & clysteria.

De Lienis phlegmone, & dolore. Caput LIII.

Lienis natura ferè suprà est exposita, cum vsum eius diximus esse, quinto de Vsu par. vt melancholicum humorem, qui plurimus in concoctione iocinoris restabat, expurgaret: id autem facit familiari natura, quatenus eo, vt alimento, fruitur. Quoniam verò præ sui crassitie (fæcem enim imitatur vini) plurimum terræ participabat; quare & excrementum atque inutile habebat plurimum; & facilè obstructiones, & alios morbos gignere poterat tale alimentum, vt scirrhos, intemperies: ideo plurima ei vasa tradidit natura & laxa: carneque conformauit itidem laxa & spongiosa, quo & conficere, & separare inutile excrementum posset, & minimè obnoxia esset illis malis. Cum igitur secundum naturam se habet optimè eo munere fungitur. Sed si aliquo modo afficiatur, fiunt inde magni morbi, vt melancholiæ, epilepsiæ, scirrhi, lepræ, hydrops.

Nam

Nam melancholicum excrementum in venis manens non expurgatum, breui in exactè atram bilem transit, vt Galenus testatur. Quamobrem eius roboris est habenda ratio, quanuis non sit ex membris primæ notæ. Lienis affectus vt Auicen. ait, licet immediatè periculum non afferunt: Attamen insequuntur ad eos grauia mala. Afficitur autem maximè & sæpissimè doloribus: qui nunc ex calida causa proueniunt, vt ex phlegmone, quod est rarius: vel ex flatibus, quod frequentius: qui aliquando soli sunt, aliquando verò adiunctum habent superfluum humorem, frigidum, id est, qui vinci à calore non possit. Sine dolore verò, vel eo exiguo, scirrhosis tumoribus prehenditur. De his igitur omnibus morbis Rases eadem hoc capite agit: ac primo phlegmonem describit, dolorem dicens adesse, & febrem, scilicet continuam, & sensum calidum loci, & vrinam rubram. Cur verò vrina rubra fit? An calore iocinori communicato? Addit & tactum Galenus sexto de Loc. primo. Dicit enim inflammationes facilè tactu sentiuntur: Non enim ob crassitiem latere possunt, sicut in iocinore. Fit igitur phlegmone in liene ex eo sanguine ferè, ex quo & nutritur, nempe crasso, & fæculento: quamobrem & terminus eius est plerunq; vt indurum tumorē cedat, resoluto per febres eo quod tenuius est, vel etiam per medicamenta. Contingit tamen & materiæ acris & tenuis aliquid admisceri: vnde fiunt acutæ febres cum lienis phlegmone. Cura verò in primis à phlebotomia incipiat, de qua etiam Rases meminit. Sed inquit, Si repletus fuerit, ex saluatella sinistræ manus; non quòd etiam sine plenitudinis notis non debeat in eo casu fieri ad prohibitionem augmenti tumoris (modò vires adsint) sed cum duæ venæ in sinistris secari possint: siquidem multa repletio sit, incipe inquit, ab ea, quæ in sinistra manu, vt plus auertatur: quod & Paul. obseruauit. Galenus huius meminit in libro de Venæ secti. & eam laudat. Est ergo simul vacuans, & reuellens sanguinem adeò, vt sæpe inter initia ea sola sedetur.

Post hanc aliquid reprimens apponendum: sed neq; adeò frigidum, neque validè astringens. Humor enim densatur, & stipatur facilè, ideo ea incoqui debent cum his, quæ incidunt crassitiem humoris, & extenuant: cuiusmodi est acetum, quo etiam calido vult Rases foueri. Sed si vinum austerum vetus, oleo dulci admiscueris, optimum erit fomentum: vel etiam rosaceum esto huic, vel aceto mistum. Vbi feruor quieuerit parum, ad medicamenta quę resoluunt est transeundum, cauendo semper ne induretur dissoluentibus. Præterea studendum est, vt robur eius seruetur. Nam ex eius imbecillitate, si non attrahat, vel non pellat, caco-

chymum redditur corpus totum, non secus atque in vesica fellea, vel renibus: ideo mistura astringentium eget, sed non æquè ac iecur. Hic igitur vsus erit medicamenti Rasis: sed potius potione vtendum est ob crassitiem partium, quæ est in his trochiscis. Potio igitur fit ex decocto scolopendrij, vel corticis salicis, vel fraxini, vel viticis foliorũ, & seminis, vel radicis miricæ, cũ oxymelle etiam nõ parum acido. Vtetur quoq; in cibo intybis coctis ex aceto, vel lactucis, si ob febrem amplius sit refrigerandum.

Extrinsecus verò fotus fiant ex fœnu græco, & lini semine in posca coctis: quibus si placet, addito ea quæ diximus. Sic enim inflammatio resoluitur absq; scirrho. Fotu verò oleo amygdalarum amararum inunges, cui masticهes, & ceræ parum sit iniunctum. Possumus & cataplasmata apponere, loliaceam farinam cum aceto, vel vino austero. hæc priusquam in duritiem veniat. Agnoscimus autem eò tendere, cum manet quidem tumor idem, vel etiam augetur: dolor verò cessat, vel admodum imminuitur, & reliqua signa calidi tumoris, vt febris, & calor. Sed de hoc postremò cum de scirrho agemus. Nunc enim alios affectus dolorosos percurrimus. Ex secundo ad Glauco. fit dolor, & tensio ex flatibus, & est morbus frequentissimus: facilè enim à crassa materia vapor turbidus, & flatus excitatur. Rases de hoc affectu egit cum ait, si splen tensus fuerit, & cum tangitur, sentitur rugitus, id est, sonus flatuosi spiritus collecti circa sinistrum hypochondrium. Curat verò hunc affectum primũ dieta, quæ ad calidum, & siccum, & extenuans tendat: cibos dat minimè flatulentos, tenues, faciles concoqui. Olera omnia abijcit, legumina, potum aquæ, vel vini austeri. Propinat verò trochiscos de capparibus, quorum intentio est prima flatus discutere ob rutam, semen agni, nasturtij: extergere crassos humores à viscere, à quibus flatus fiunt, & per sedem ducere ob cortices capparis amarissimos & aristolochiam. extenuare habent hæc omnia, & scolopendrium & acorus.

Extrinsecus verò vult apponi emplastrum earundem virium ex ruta, mentastro, nitro, & ammoniaco in vino dissoluto, tenui scilicet & calido. Nos addimus: vbi flatus abundant solum & materia flatuum; præpurgari corpus terebinthina, optimum erit cum oleo amygdalarum amararum. Postea ea, quæ flatus discutiunt danda, vt imperatoriæ seminis decoctum. Demum extra admouere ea, quæ Gal. scribit ex sulphure, & alumine, medicamẽtum scilicet mistarum virium. Sulphur enim siccat, extenuat, digerit: Alumen siccat, sed astringit, ideo sat erit eius subduplum ponere. Nos ex oleis digerentibus, & parum astringentibus vti possumus; & fotu aceti,

in quo

in quo semen agni, & ruta sint incocta; & emplastrum ex limino, & melle. Est & tumor laxus lieni eueniens, de quo Galenus eadem scribit: cuius cura solùm hoc differt, quòd plus astrictionis eget, ideo plus miscet aluminis.

De Scirrho lienis. Cap. LIIII.

PORrò Scirrhosi tumoris curam antea abundè explicauimus, quantum generalis methodus monstrabat, atque ostendimus quantum facilè in eius cura errari possit. Cum enim generalis scopus vnus sit vacuatio, si quis violenter insistat vacuando, proficiet quidem primùm egregiè, sed relinquetur contumax affectus, qui sanari non poterit. Quam ob rem necesse est, vt iungamus ea, quæ calfaciunt modicè & humectant, cũ his quæ dissoluunt. Quoniam verò crassi etiam lapides incidentibus diffringi solent, optimum erit, & ad dissoluendum durum tumorem illis vti. Inter hæc verò maximè acetum conducit, & ea quæ acida sunt, vel tenuiũ partium, & calida: modò non adeò calore participent, vt nimium siccent. Igitur lien facilè scirrhos incidit, siue quòd quis ipsum infirmum habeat, quales sæpe experimur, qui crebro doloribus ea parte capiuntur, & leui de causa, & errore in victu, ipsis intumescit: siue quòd plurimũ melancholicum humorem quis gignit, eumq; crassum: vnde obstructio in eo gignitur primùm, mox tumor in vniuersa carne; idque vel quia natura eius corporis talis est, vel quia ex febribus est genitus, vel ex victus ratione tum in cibo & potu, tum in exercitijs. Equidem vina nigra, & crassa id faciunt: id quoque aquæ palustres lutosæ. Vnde in hac patria plurimum hunc morbum inuenias, & circa maritima ferè loca. Fit & aliquando, & crisi natura sequestrante in magnis morbis materiã in liene. Problema, Cur sæpe citrini colore? An quia expurgatio hepatis debilis est, debilitato viscere per consensum? Hic igitur affectus leuis initio apparet adeò, vt ne medicum quidem rogent: sæpe & multis annis perdurat, nec æger in solitis operationibus læditur quid nota dignum. Tandem verò vel ad febres longas ducit, quæ in tabem transeunt; vel ad hydropē: & omnino ad eos morbos, quos memorauimus ex cacochymia melancholica deueniet.

Medicamenta itaq; ex suprascripta methodo ad scirrhum lienis multa nobis comparare possumus, tum ebibita, tum extrà applicata. Sed quæ magis in vsu habentur hæc sunt. Primùm igitur tumorẽ dissoluere debemus, sed non nisi prius præparatum. Sed num va-

cuatio per venæ ſectionẽ? Multos facere vidi, & Gale. non videtur prohibere: qui in lib. de Ven. ſect. neſcio, inquit, cur multi lienoſis ſanguinem mittere omiſerint. Lienoſos verò appellare eos ſolet, qui ſcirrho laborant: ſed ego credo rarò conuenire, ſed potius purgationis egent; præſertim ſi iam cacochymi ſint. Secus eſt inter initia vbi craſſus & melancholicus ſanguis abundat: tunc enim vena ſecta eſt opus, vt in libro de Ven. ſect. Ratio, quod in ſcirrho eſt de materia appropriata, non educes, & vires debilitabis: Nam iam influxus ceſſauit cum multos dies proceſsit malum.

Lienoſi qui.

Incipiemus igitur à potionibus: ac primùm ex ſimplici oxymelle cum ſcolopendrij decocto inchoabimus, vel betonicę; idque per dies tres vel quatuor: poſtea purgatione aliqua leui vtemur: vt infuſione, & coctione epithymi, & polypodij in ſero caprino. Sint vtriuſq; drachmas tres. Secundo loco fortioribus vtrinq; vtemur, ac trixaginis potionem dabimus, tum montanæ, tum paluſtris, quam ſcordeon dicunt, myricis folia addendo, atque hæc ex acido oxymelle per multos dies. Diſſecant hæc & extergunt, & ſiccant citra vehementem calorem. Interim verò extrinſecus humectantibus morem fundemus, quibus & incidentia admiſcebimus: his enim maximè ad diſſolutionem humor paratur. Fiat ergo fotus ex oleo ſimplici tenuium partium, & aceto, quibus, & vini aliquid tenuis potes iungere, & eſt facilè parabile. Quòd ſi mollis tumor ſit, ammoniacum ex aceto ſumemus.

Poſt hæc purgabis rurſus fortiori medicamento, quale eſt ex elleboro nigro (quam potionem antea docui) paratum, additis aniſo & cinnamomo. Poteſt autem multis diebus continuis ſumi, ſi vires ferre, & leuari ægrum videris. Vbi ſatis morâ traxerit æger, interim victus ratione vteris in cibo, & potu, & exercitatione. Atque ex dia rhodon abbatis aliquid dabis, & lienem ex vnguento amygdalarũ amararum inunges, dum à potionibus quieſcit. Mox valentius ſiccantibus vteris acidis admiſtis, ſed per interualla etiam humectantibus. In potionibus igitur oxymel ſcylliticum erit, cum ſcolopendrij decocto, aut foliorum capparis recentium. Quæ verò extrà admouentur, ſiquidem mollitus tumor manibus ſentiatur (hoc enim quotidie tentare expedit) erunt ſiccantia, extergentia, atq; incidentia: vt fotus ex aceto, in quo ferueant capparis radix, vel folia, rutæ ſemen, cyminũ, myrix cum fœnogræco, & altheæ radice. A fotu verò inunges oleo ex capparibus appellato. Quòd ſi interim imminui valde videbitur, ſed durior fieri; expediet ad mollientia calida, & humida verti: quorũ exemplum eſt œſipi ceratũ ex compoſitis, & emplaſtrũ è meliloto, & emplaſtrũ è mucilaginibus fœnugræci,

altheæ,

althex,ficuũ, adiectis medullis ofsium,& adipibus.Hæc igitur iteranda ſępius quouſq; metá attingas: & ſemper de recidiua timeto. Facilè enim recidunt ob viſceris ex longo morbo infirmitatẽ. Sed ſi his nihil proficias,& iam malum inueterauerit, extrema remedia tentanda ſunt. At primùm potiones hæ:arida capparis folia, cum oxymelle:chalybis,quod ſtomoma appellant, potio : cui intentioni etiam ſatisfacit ex auro. Similiter & ſquamæ ferri potio, de qua Aetius:Nos autem lima attrito vtimur, & exercitia iniũgimus. interim fouendo oleo,& aceto, & victu boni ſucci vtendo.

Poſt hæc his,quæ extrà,vtemur:ac primùm cyclamine cum ſuillo adipe ſubacto.Habet enim vim maximam extergentem, & incidentem,ſicut & ſcylla:ex qua ſimiliter emplaſtrum,vel vnguentum confici poteſt. Aliud efficacius ex ſtercore caprino,axungia ſubacto. Oportet enim interpoſitis diebus,& humido aliquo vti. Poſtremum omnium eſt ex calce viua cum naſturtij ſemine, & fœnugræco coctis in mulſa,ſimul ſubacta atque appoſita. Sunt qui cucurbitulas adhibent, atque ſcarificant, ſale inſpergentes vlcuſcula. Alij cauteria affigunt. Sed qui ſuperioribus non ſanantur, neq; his ſanabuntur. Hiſtoria cuiuſdam eſt, qui per annum durauit;& iam ferè tabidus credebatur, qui ſanatus eſt. Qui verò prorſus ſanari nequeunt,hos in vita ſeruare oportet,ſi Vere,& Autumno purgentur,& congrua victus ratione. Tentarunt aliqui aquas ſponte natas:alij ligni potum. Illi præſeruati ab vlteriori lapſu,non curati.hi in pœnis ruerunt,credo ſiccatione nimia.

De Colico dolore Cap. LV.

CVm multi eorum morbi ſint,ſcriptorem ſequuti, incipiemus à doloris affectibus. Ac primùm meminiſſe opus eſt diuiſionis:qua vniuerſa eorum natura comprehenditur: nempe, alia craſſa eſſe,alia tenuia. Tenuia verò dicimus non capacitate ſolum,& craſſa:ſed & ex tunicarum qualitate. Vtrunque enim genus duplici conformatum eſt tunica:verùm duplo ferè craſsiores ſunt, quæ craſſorum. Sunt præterea carne denſiore conditæ:quòd iam non cibum, ſed ferè cibi expurgatum quoddam continere debebant. Hæc noſſe antea oportet, vtpote neceſſaria tum ad reddendas cauſas, tum ad curationem, vt & ſitum noſſe cuiuſque eorum. Colum enim inteſtinum à dextri renis regione procedens antrorſum ad ſima iocinoris couertitur, rectaque quaſi zona cingit, vſque ad ſiniſtra, atque ibi deorſum flectitur, deſinitque

Inteſtinorum diuiſio.

in rectum intestinum: qua parte Galenus sentiens dolorem, credidit se lapidem in vreteribus pati. Tenuia verò in huius ductu, medio situ, suas faciunt reuolutiones multiplices.

Cum igitur intestina, & ventris cruditates suscipiant vnâ cum cibo delatas, ipsaque rursus ex caloris inopia eas aggregent, facilè ijs repleta forent, nisi prouida natura bilem in supernis intestinum fudisset, quod ieiunum dicunt, per meatum, qui à vesica fellea tendit. Ab ea enim abraditur, & extergitur cruditas. Cæterùm circa initia sincera est, & acris multum, proinde, & plurimũ stimulat excretricẽ & expurgat excrementa. At vbi ad crassiora ventum est, iam mille modis temperata & admista, non potest aliquid nota dignum adeò efficere. Itaq; multa pituita in crasso intestino congregatur: de quo in primis nobis est agendum. Quòd si quis, vel natura, vel ætate frigidior sit, vel ex morbo diutino talis sit effectus, vt longis febribus: vel in victu deliquerit multam frigidam bibendo, vel alios cibos pituitosos plurimos comedendo, vt olera plurima cruda, cucurbitas, pisces lacustres, anguillas, cetacia, caseum, azyma, & exercitia dimiserit, plurimã aceruari pituitã est necessarium: a qua primùm dolor excitari poterit, qui colicus appellatur. Cuius quidem generatio hæc est: necesse est crudum, & pituitosum succum per eorum venas, & poros transumi, & inter intestini tunicas congregari, idq; sensim. Cum verò ad quantitatem notabilem peruenerit, necesse est diuelli tunicas, atq; distendi, & dolorem aliquem causari: tunc verò acerbissimus fieri, cum in flatuosum spiritum versus, vehementius distendit, exitum quærens, ac dilacerans. Detinetur autem violenter, quòd tunicæ eæ crassæ, ac densæ sunt, & frigidi humoris contactu factæ densiores: tum quia ipse flatus crassus est, & nubilosus, non tenuis, & æthereus (ita enim assimilare Galeno placet) qui austrinis flatibus extenuatus, & per exiles meatus discussus, & rursus eorũ materia scilicet pituita crassa extenuata, defluat per eosdem meatus in laxam capacitatem. Altera verò ab apostemate calido colica fit; cuius proprium est dolorem inferre. Altera rursus causa est humor mordens, & continuum soluens. Obstructiones quoque à stercore factæ possunt detinere, ne pituita purgetur, vel vt aggregetur facere: flatuum quoq; exitum prohibere. Sed & sua duritie, & quantitate multa distendendo, dolorem colicum causare. hinc ictericis colicam sæpe iungi diximus.

Colici doloris generatio à crudo, & pituitoso succo.

Colici doloris signa.

Quod igitur Colon doleat, situs ipse in primis demonstrat. Plurimum enim circa coli initia ad dextrum renem figitur. Fit & in cinctu, sed ob vicinitatem speciem facit doloris ventriculi cuius fundo subtenditur. Sed quoniam & renes aliquando dolor prehendit, ideo

ideo non facilè discerni potest pars affecta. Sed nec si non statim discernatur fit ideo magnum incommodum, vt Glenus ait secundo de Loc.affec.circa principium. Primum itaque ex his, quæ præcesserunt nullam coniecturam habes distinguentem : quoniam vterq; affectus cruditates insequitur, & pituitam generationis causam habet. Si verò ex præsentibus symptomatis multum similia sunt, vtrique vomitus, & nausea adest plurima, & cibi fastidium; quæ omnia hic accidunt ventriculi consensu, quem contingit. Sed hæc inquit Gale. in colica sunt assidua magis, & vehementiora. causa est quòd magis consentit venter in colica. Sed vera signa distinguentia sunt, quòd colica sensim incipit, & præcedunt eam nausea, & fastidium, & rugitus, & ructus ob præsentiam scilicet causæ, crudi inquã phlegmatis. Illi igitur qui consueti sunt pati hunc morbum, facilè eum dignoscunt & imminẽtem & præsentem. Statim enim flatus supprimuntur, ne dum vt aliquid excernant stercorum. hoc inter initia. Quòd si vrinas inspicias, in lapide renum dilutas, & tenues videas: at in colica, crassiores. Illud fit ob obstructionem, quam lapis, vel arenæ faciunt, vel crassi, viscidique humores in ea parte. Est autem cum nihil negocij est distinguere, sed euidentia signa habeant : vt si dolor alium situm à renibus occupet, vel in aliam partem mutetur, & extendatur. Similiter si cum vrina cruenta mingant, vt Hippo. dixit: statim affectus, & sedes distinguitur, vt ex alia parte cum medicamentorum ope incipiunt stercora excernere : ipsa affectum aperiunt, si flatus & pituitæ sit soboles; & affectam partem, id est intestina. Nam bubulis stercoribus assimilantur, & aquæ supernatant: vtpote flatibus plena. aliquando & pituitæ multitudo adiungitur. Adde quòd his deiectis leuantur maximè : vbi contrà in renali dolore exiguum est leuamen.

Iam verò non modò affectam partem sic distinguimus, sed & affectum ipsum, num è flatibus proueniat. Vbi enim hæc adsint, sunt manifesti. Aliæ verò causæ, vt obstructio, & tensio à fæcibus ex præcedentibus significantur, vt si icteros præcessit, vel aliàs æger non deiecerit multo tempore. quod aliquando conualescentibus euenit: quoniam plurimum in corpus distribuitur. Si verò dolor ex mordente humore, facilis est coniectura. Nam excernuntur multa & sine flatibus, vel his exiguis, eaque colore biliosa: & omnino hic affectus dysenteriam præcedere solet. Adde sitim, & ęstum, bilis vomitum, & singultum, & quòd à colicis dictis præsidijs læduntur: cuius exemplum Galenus affert. Si verò ab apostemate iam febris necessariò aderit, & dolor fixus, qui nullis colicis remedijs iuuatur, sed augetur potius, & sitim, & calorem circa partem

Colici doloris uarias causas signa distinguentia.

inducit. & in hoc sæpe errant medici, remedia calida adhibendo sine discrimine.

Colici doloris prognosticũ.

Signa verò prognostica ad malum, sunt ex his quæ magnitudinẽ doloris significant, id est, qui vires euertat, vt vel syncope, vel quæ præcedunt syncopas. ex pulsibus signa & colore, & calore, vel sudore. Species quoq; affectus id monstrat: nam phlegmone statim magnus morbus erit, & periculosus: mitior à flatibus: hoc mitior ab acri humore: mitissimus ab obstructione cauitatis. Desinit aliquando in rupturã peritonei: & nos vidimus rumpi circa inguina ex nixu; vel quia flatuũ multitudo aceruata intus est, quæ tendit, vt prægnantibus aliquando euenit: Nam ex partu fit obnixum. Desinit (quanquam rarò) & in paralysim, & visum est nostra ætate. Paulus dicit fieri per mutationem materiæ ad spinam. Huius meminit lib. tertio cap. de paralysi. & pòst.

Colici doloris curatio.

Curatio verò si ritè procedat, à causa debet inchoare. Nam alia est, quæ symptomati solum incũbit, quam & coactam dicimus: de qua suprà nonnulla diximus, & mox etiam dicemus, cũ de curatione omnium colicorũ affectuum egerimus. Primum igitur dolorẽ à flatuoso spiritu, & crassa pituita genitũ tollere volumus. Necesse itaq; est partes laxare, per quas hæc excrementa ferri debent, & excrementa ipsa extenuare, vt facilè partem penetrare possint. Quare medicamenta ea optima erunt, quibus vis est calfaciendi: vnde rarefiunt partes, & quæ tenuatoria sunt, id est, tenuium partiũ: & tertio quæ siccant, & digerunt non strenuè, si quid calfaciendo liquarint, atq; dimouerint. Hęc igitur affectus indicat. Pars verò affecta ex situ, monstrat vsum medicamentorũ, debere scilicet per sedem ea iniici: quoniam ex ea parte magis est proxima: Plus ergo iuuabitur, quàm per ebibita: quanquã neq; hæc negligenda erunt, sed illis quoq; vtendum. Sic & quæ extrinsecus admouentur, certum est debilem vim exercere posse, ob corpora interiecta. hæc igitur vniuersa Methodus.

Galeni non um preceptum in colico dolore.

Verùm quia in eligẽda particulari materia errari potest, ideo primũ considerandum Gal. præceptũ, sæpe repetitum 12. Metho. 8. Si quis in hoc casu, inquit, vehementer calfaciente contendat, affectũ lædet: quando ab his crassi, & frigidi succi in flatus mutantur. At nihil nobis æquè nocet, atq; ea, quę liquare, & in flat⁹ vertere possint digerere verò nequeant. Hinc colligit debere medicamenta esse tenuantia, & digerentia, non vehementer calida: ab his enim concoquitur, extenuatur, atq; inciditur materia omnis. Talia verò etiã siccabunt, & flatus discutient. hæc ille. Colligens facilius curari eos, qui tolerantiores sunt, & tutius sine his calfactorijs vehementibus.

Et

Et ponit multorũ exempla, qui acriter ab his proritantur. At videtur is tamẽ vti vehemẽter calidis. Laudat summopere allium, & est calidum quarto ordine. Vtitur & rutaceo oleo, & laurino. Hæc verò vehementer calida. Respondeo, primùm vituperat vehementer calida, quę solùm liquare posѕint, non discutere, & digerere. At quę numerata sunt, calida quidem sunt, sed siccantia, & attenuantia: vnde flatibus accommodissima. Vel dic, inter initia cum multa est materia non conuenire, postea ea diminuta conuenire. Contrà, flatus calore excitabunt. Respondeo, aliquid excitabunt, sed vnà flatus, & flatuum materiam dissoluent: vnde de rutaceo oleo Galenus ait, Multi ab eo iniecto conflictantur vehementius: sed nõ multò post excernunt vnà flatus, & humorem, ac liberantur. Auicen. ideo bene consulere videtur, vt licet dolor calidis augeatur, non desistamus, sed contrà tendamus nauiter. Secundò dico, damnare eũ extrà posita emplastra, vel cataplasmata: Nam si valenter calfaciant, cum propè partẽ affectam non attingant, non valent extenuare nauiter, & digerere, sed liquabunt solum. Contrà, quæ comeduntur, vt patet in historia rustici, qui allijs vescebatur, & merum potabat. Sic & de iniectis patet in Galeno ipso 2. de Loc.

Reprehendit ergo errorem, quem sæpe committunt medici, & ægri, dum talia adhibent extrinsecus, credentes se dolorem leuare, & sæpius augent: falsi, quoniam aliquando vbi flatus soli erunt, adiuti sunt. Optima ergo erunt, quæ rarefaciunt, solùm extrà admota, vt ex milio, ex sale, ex dulci oleo, vel anethino.

Nunc ergo ad particularem materiam descendamus his scopis ducibus: ac primùm statuamus colicum, cui febris non adsit; neq; suspicio aliqua adiunctæ phlegmones: sitq; dolor ex flatibus cum humore crasso & frigido impacto: statim considerandum erit: num aliquis alius affectus subsit, qui curationem moretur, vt obstructio facta à stercore. Hæc enim antea remouenda erit, idque humidis, vt dulci oleo calido infuso. Sunt qui oleum dulce in hunc vsum potui tradunt, vel amygdalarum dulcium, & est egregium remedium, non modò ad hanc obstructionem, sed & ad laxandum corpora, & leuiter extenuandum. Non ergo ordo Rasis accipiendus, qui à solutiuis inchoat, & quidem fortibus. Vbi hæc fiant, siue stercora deiecerint, siue adhuc detineantur, aliud secundò infundes, quod leniter magis resoluat, sit tamen humidum, vt butyro addito, & sapa. Sales tamen adhibeto vt irritent: & interim ventri quoque mollia fomenta humida, quæ diximus. Atque hæc etiam cura colicæ est, vbi ex stercorum obstructione constiterit.

Demum ad colica propriè dicta deuenies. Illud verò animaduertẽdum, quòd vbi vehemens dolor vrgeat, ita vt non posſit æger quiescere, donec remedia applicemus, Galenus cucurbitulam affigit: idque ita, vt totum vmbilicum comprehendat. At vndecimo libro non meminit vmbilici, sed dicit: In omnibus patientibus partibus vtilem eſſe. Aetius ait, Loco dolenti applicata. Fortè vult in medio coli inteſtini affigi, vt materiam in vno loco fixam in partes laxiores trahat, & flatus . conſidera. Si igitur his non ſedatur, colicos clyſteres adhibebis: ſed prius vomitum prouocabis, niſi ſponte plurimum vomuerit. Laxatur enim inteſtinum ſtomachi vacuitate, & dimotione illa calefit, & extenuatur tardi motus humor, & flatus, & egrediuntur. Et tertio prohibemus ne à ſupernis excrementa eò trahantur, vnde obſtructio augeatur. ſed & ſi cibatum ægrum offendas, vomere iubeto.

Materia verò clyſmatum multa ſeſe offert, ſi bene calleamus vim ſimplicium medicamentorum. Sed nos ea, quæ magis vſui nobis ſint proponemus. Si igitur illis lenibus præmiſsis, nihil adhuc egeratur, tentanda ſunt fortiora. Scopi ergo erunt fæces attrahere præmollitas, extergere inhærentem pituitam, extenuare flatus & pituitam, idque citra vehementem calorem. Extergentia itaque erunt mel coctum plurimũ, & terebinthina reſina, anethino oleo diſſoluta, vel amararũ amygdalarum. Decoctum verò eaſdem habebit vires, vt puta ex aniſo, cymino, ſemine imperatoriæ, & chamæmelo. hæc inter initia. Quib. ſi ſtercora deijciantur, & pituita, reſtẽt tamen dolores: ſiue etiã non deijciantur, aut modica quantitate, nec æger leuetur, clyſma ſimul extenuatoriũ, & attractoriũ, ſimul & deterſoriũ cõponemus, vt ſcilicet ex vi ſua naturali pituitã trahat à tunicis & qualitate aperta eam extergat, & ad exitum paret. Decoctum itaque apparabimus ex centaurio minore, & ruta, & cumino: vel ſi ruri ſimus, rutam & calamentum, aut lauri baccas ſumito. Materia verò iuncta ſit aqua, & oleum partes æquè. excolatis adijce hieræ ſimplicis vncias duas: mellis deſpumati vncias 5. Si verò aquæ ſalſæ ſponte natæ copia ſit, vel etiam maris, ea eſt vtendum, ſicut ſi etiam ſulphureæ adſint.

Quòd ſi ad fortiora tranſeundum, decocto hieram logadij addemus, vel agarici drachmas tres. Vbi itaque multa deiecerit, mox ad reliquias morbi tollendas, vtemur per infuſa itidem rutaceo oleo, apparato ex vino Cretico. Huius igitur libram vnam infundere oportet cum vino earundem virium. Aut alliorum decoctum infundes, nec audias eos qui Raſem ſectati clyſteres faciunt pondere vnciarum ſex vel 8. Quomodo enim ad ſedem affectam peruenire poterunt,

Scopi curationis.

terunt,nisi ad minus libras duas in magno corpore infundas? Iuuatur his,& electuarij de baccis lauri aliquid. Vbi nos parum clysmatis proficere cernimus ad potiones, & ea quæ extrà admouentur descendemus. Prima igitur potio in vrbibus, facile parabilis ex diacimino erit, vel electuario de baccis lauri ex vino forti calido: vel si non adsit ex meraciore mulsa. Secunda est ex nuce muscata trita, & vino Cretico calido. Tertia est ex castorei drachma vna cum vino similiter. Quarta est terebinthinæ potus. Quinta, salsarum, & sulphurearum aquarum. Sexta, lupinum stercus, quod in spinis pepédit. Septima, Galerita auis: eam describit Aetius; & est nobis Alauda, Galerita dicta. Hæc comeditur obsonij vice in albo iure. Octaua, cornu cerui exustum in olla, & in puluerê redactum, epotû, drachmæ pondere. Nona, ius veteris Galli, quod cartamo, & aromatibus coquatur, & potetur. Recipe Gallum antiquum quatuor ad minus annorum, quem defatigatum interfice, ac exenteratum in eo pone salis gemmę drachmas tres, sem. cartami, cnici dicti, polipodij quercini recentis, & contusi, hyssopi herbæ añ. vnciam vnã, sem. dauci, anethi, ameos añ. vnciam s. turbith, drachmas tres. Misce, & in libr. 12. aquæ fiat decoctio ad medias, cuius vncias sex pro vice bibat; & ex eadem decoctione clyster interdum paretur.

Si verò cum febre notabili eueniant, Galenus vehementius calfacientia deuitat. Vtitur enim fomento ex milio, & infuso seui gallinacei cum decocto seminum facto in oleo, scilicet aqua etiam addita, ne frigatur: demum ex opiatis. Necesse enim est si cum febre fiant, aut mistam materiam esse, quæ flatus excitat: aut si pituita sola sit, à febre ipsa breui vinci, & domari: quamobrem modis omnibus non erunt flatus solutu difficiles, ideo mitiora forte remedia sat erunt. Quòd si his non cedat dolor, tantisper opiatis sedandus erit, ne dolore exacerbetur febris. atque interim alijs remedijs dissoluentibus vtemur, ea, quæ mitiora sunt reiterando. Sed de cura ad dolorem in fine dicemus. Nos ergo in hoc casu concocta materia, & parata, diacatolicone vsi sumus, & diafinicone vtiliter: & aliquando Galli iure, & alijs remedijs, quæ non multum calfaciant. Satis enim materia flatuum sponte à febre edomari potest.

Colica verò quæ ab acri humore prouenit, est, de qua Rases in postremo capite agit: quanuis, & circa capitis dimidium, eius remedium vnum ponat, cum dicit: Si cum dolore febris, casia danda ex succo endiuiæ. Patet enim non conuenire medicamentum nisi in humoribus calidis, & acribus. Hic verò habemus Galenum, quem imitemur; cuius curationi facilè comparare hanc poterimus. Recitat primùm historiã quadragenarij, in quo coniecit acres humo-

res tunicis intestinorum immersos: quoniam à calidis omnibus colicorũ remedijs irritabatur: & est argumeutum ab his, quæ iuuant, vel nocent. Rases solum dicit, Si cui dolor hic cum calore superuenerit: Antea dixerat, cum febre: sed hîc melius. Nam per calorem intelligit cum omnibus signis caliditatis. Sic enim refrigerantia remedia vsui erunt. Galenus igitur (à quo Aetius, & Paulus, & Auicen. sumpserunt) curationem ab alimento incipit: quoniam isti humores debent per epicrasim sanari, quod fit alimento. Erat enim verisimile ad affectum locum hîc perpetuò confluere tales succos; ex quo diu durabat affectus, & quia remedijs exacerbatus erat; & ex partis intemperie & prauitate succorũ corrumpi etiam alimentum. Quam ob rem cibo vtitur, vt medicamento temperante. Erit ergo cibus frigidus: sed quia ab occursu praui succi facilè corrumperetur, ideo & eligit non facilè alterabilem, verbi gratia, ptisanam, vel alicam, vel coctas lactucas: mox purgat. Sed hoc præcedere debuit. At non erat probè certus naturæ affectus: vnde quasi tentans dedit cibos eos. Quã ob rem subdit: Ex quo vitiosos humores purgandos iudicaui, cum minus hunc cruciatum post talem victũ intellexissem. Medicamentum autem est hiera. Rases nõ incommodè cassia vtitur dissoluta his, quæ purgant bilem, & temperant, vt prunis. Addit autem oleum amygdalarũ dulcium, quod extergit, & tẽperat. Conueniet in hunc vsum, & ptisanæ succus infusus, & orizæ, & aliæ quæ temperant: de quibus infrà in dysenteria sermo erit. Aliam ponit historiam eius, qui à causa procatarctica patiebatur, scilicet ex scammonij potu: quoniam portio aliqua eius intestinis inhæserat, & eo attrahebat praua excrementa ex toto corpore, & quidem mordacia; quoniam bilem vehementer trahit. Huic alicam cum punici granis propinat, & rhois succo diluto potat. Nos Iuleb habemus dictum de Ribes. Vult autem hoc reprimere, & exulcerationem sanare. Poma etiã austera offert, mala, pira, punica. Quarto die theriacen bibit, & perfectè sanus fuit. Vsus eius ad tollendam noxam scammonij: quoniam ad Pisonem, proprium eius est, & experimentum bonitatis, si hebetat vim pharmacorum.

Scopi igitur erunt, vt in omni fluxione roborare partem, quę recipit; & aliò auertere influentes humores: sed & quia acres sunt, eos temperare. Sed hîc dubitatur, quomodo vtatur purgante medicamento: siquidem excrementa ad affectam partem trahenda non sunt. Et 7. Meth. & 13. intestinis laborantibus, aluum ciere non conuenit. Sed & hoc infrà, cum de dysenteria agemus: nunc locum monstrare voluimus.

Colicos verò à cauitatis obstructione facta à fæcibus, vel vnà phlegmate,

phlegmate, vel etiam lapide, iniectione humidorum sanabis: aut etiam his ebibitis, & extrà admotis. Quæ verò ex apostemate: in ea Græci nonnisi inflammationis meminerunt. Arabes omnis generis apostematũ. Phlegmonem igitur scimus per se dolorem facere, tumores verò à pituita tunc solum ex accidenti, cũ prohibent fęcũ, & pituitæ expurgationem, & flatuum. Sed hæc rara euentu sunt, & erunt sine cura. Sic Rases solùm phlegmones meminit: Si apostema fuerit, inquit, vena secetur, & casśia cum succo herbarum, id est, endiuiæ depuratæ detur. In his ergo omnibus maximum periculum versari diximus, tum ob febres & dolorem, à quo sudores frigidi, & syncope ob os ventris: sed etiam periculũ est, ne superueniant iliaca symptomata de quibus mox. Cura ergo horum à venæ sectione, similis erit curæ phlegmones ventriculi. Rasis alia remedia non ponit. Auicen. verò ad omnes intentiones respexisse videtur: qui in principio astringentibus vtitur: quem scopum Paulus dimisit, cum tamen prohibere augmentum apostematis oporteat. Primùm medicamentum, succus psilij conquassati cum oleo rosato, in quo etiam leniendi dolorem vis inest, & succus granatorum, vel potio oxysaccharæ dictæ nobis: & extrà in loco tumoris itidem aliquid astringens: Postea abstergentia Ichoras, & dolorem sedantia, & morsum sanierum per clysterem ex succo ordei, & casśia: & potus similiter horum: & clysmata ex lacte, & eius potio. Post hæc decoctum fœnugræci, seminis lini, & altheæ infusum, & suprà ventrem appositum.

Cõmune verò præsidium est, vbi res vrgeat, ad narcotica confugere: de quibus & eorum vsu hæc sentit Galen. Hæc sanè sunt omnium differentiarum doloris communia medicamenta, vbi alia nõ contulere. Sed plus vtilitatis, & minus incommodi afferunt, vbi dolor est ex rodente humore. Quòd minus lædant, causa est natura horum humorum: qui cum calidi sint & tenues, iuuantur à frigidis, & siccis: cuiusmodi sunt medicamenta narcotica. Quare & duplici ratione prosunt. Primùm quòd sensum tollendo, vel hebetando, dolorẽ leniunt: dehinc, quòd hæc humorem crassant, & cogunt, & refrigerant. Quæ sanè qualitates, aduersæ sunt his, quę oberant. Oberat enim materia calore, & tenuitate partium; qua maximè mobilis fit, & dissecans, & mordens. Quòd si crasśior sit materia, & acris hoc saltem iuuat, quòd acrimoniam frangit.

At vbi ex humoribus crasśis, & flatuoso spiritu dolor fiat, oberũt hæc plurimum: primùm quòd tunicæ intestinorum frigore densiores fiunt, & ita minus admittunt flatuum exitum, & humor fit crasśior, & ad exitum ineptus magis: sed neque sic proficies.

Nam non multo pòst reuertetur dolor, rursus in flatus mutato humore: nisi interim medicus bonus, & exercitatus prospiciat. Nam si, inquit, quis sine recta ratione curet, in periculum ægrum ducet: dum sæpe cogetur ea rursus propinare, donec pars in malum habitum perueniat, & inde vniuersum corpus. Et quæ est, dices, ista curatio rationalis? Respondeo, vt ab assumpto medicamento, & dolore tantisper sedato, incipiat cum laxantibus modicè calidis, & extenuantibus procedere, ne rursus dolore excitato cogatur dare medicamentum. Quinto Meth. xiij. meminit huius medicamenti crassantis, & cogentis humorem, idque siccitate fieri ait. Verùm quomodo theriace, quantumuis noua sit, frigido temperamento erit? Aut qualis frigiditas etiam, si extrà sit, in corpore potest tenues humores crassiores reddere? Sed de hoc sequenti anno dicemus. vbi apud Auic. quomodo aqua frigida crassos ex tenuibus, humores facere possit disputabimus. Quòd enim de adipe dicitur, nihil est. Est enim iam coctione crassior redditus vt caro. Quanuis à partis natura frigidiore melius in ea consistentia conseruetur, propriè tamen dici non potest à frigido cogi, vel densari, sed coactum seruari.

Cura rationalis per narcotica.

De incrassatione tenuium.

De Ileo morbo. Cap. LVI.

ILeus morbus, quem Latini vocem voci reddentes Voluulum dicunt, sedem affectam (vt Galenus inquit sexto Aphor. 44.) habet tenuia intestina, id est, infra ieiunum, qua parte circumuolui incipiunt. Est autem affectus idem cum colico, scilicet dolores faciens, & quidem vehementissimos sexto de Loc. secundo. Pro cuius declaratione proponenda est historia Hippocratis scripta tertio Epid. 2. ægro sexto. Mulieri, inquit, quæ apud Tisamenum decumbebat ileosus affectus grauis incidit. Vomebat multum, potũ continere non poterat. Quasi dicat, alimentum non continebat: solis enim potibus aluntur. Dolores circa præcordia, & infrà circa ventrem tormina continua: non sitiebat, superuenit febris, extrema perpetuò frigida, inquieta, insomnis, vrinæ paucæ, tenues: deiectiones crudæ tenues: non fuit remedio locus. perijt. Hîc iuxta Galeni expositionem signa habemus affectus, & affectæ partis demonstratiua, & insuper prognostica. Ea, quæ assident demonstrãt, & quæ inseparabilia sunt, vt dolor, & doloris situs: quo significantur intestina gracilia, id est dolor, qui tormina infra faciebat, id est, circa vmbilicum, qua parte intestinum voluitur, & ad latera sub hypochon-

pochondrijs. Quanuis enim in vna parte dolor primò sit, potest tamen plures efficere continuitate substantiæ: vomitus quoque multus affectum locum designat: Nam licet & in colo vomitus, & in nephriti, tamē hîc addidit, multus: quoniam magis proprius est huic affectui: siquidem & ex vicinitate consensus est, & ex colligantia ad ventrem. Hæc igitur partem affectam. At affectum demonstrabant quæ sequuntur: nempe incaluisse, aut multum febricitasse. (Vtroq; enim modo intelligi potest) affectum significat fuisse inflammationem intestini, quæ febrem inuehit necessariò. Quod addit, extremæ partes perpetuò frigidæ, tum affectum significat inflammationis, tum morem eius, id est, malignum esse. Hoc enim est ex symptomatis, quæ malignis febribus superueniunt, vt quarto Aphor. 48. in febre continua, si extrema frigent, interiora vruntur, lethale: vnde mos significatur. Sed & affectus, vt in composito Galeni: quoniam hoc accidit, quando inflammatio magna partes internas obsederit: vnde ex magnitudine eius periculum conijcitur. Inquietudo, & insomnia ex superuenientibus: & signum praui moris sunt, & causa mala, quoniam vires destruunt. Quòd verò ait, Non sitibunda, vel siticulosa erat: Galenus non exponit: sed vel adiectum, vt rarum exemplum in hoc morbo, quoniam sitis fit in hac inflammatione intestinorum: vel (vt solet) significare voluit prauitatem: quando præsente causa sitim faciente, potum non expetunt. Cætera quæ addit de vrinis, significant in crudis humoribus venarum febrem esse accensam, & ita duplicem affectum. Quanuis enim non sit ex ipsis bonis multa salutis spes in hoc morbo, ex ipsis tamen malis multum significatur periculum. Prauæ verò deiectiones proprium sunt huius morbi symptoma. Sed num aliquid deijciatur in voluulo? Cum Galenus sexto Aphor. 44. & septimo Aph. 7. In ileo nihil infrà excernitur. Respondetur, nihil infrà excerni, est ex his quæ maligna valde ileo superueniunt: sed necessariò ob loci angustiam pauca, & tenuia excernuntur. Fit autem loci angustia facilè ob gracilitatem partis. Cum verò extremum est malum, tanta fit angustia, vt stercus vomant: cum scilicet intestina ad inferna trudere nequeant, ad superna conuertuntur. Fit verò & in hoc singultus compassione ventriculi, & conuulsiones, vt septimo Aphor. 10. dicitur. Habemus & hîc indicium, quòd scilicet lathalis valde est morbus, & acutissimus, vt secundam aut tertiam diem non transeat. Tunc verò præcipuè lethalis iudicatur, cum stercus euomunt.

Deiectiones prauæ sunt proprium symptoma ileosi morbi.

Ilei doloris prognosticum.

Est ergo hic affectus primus, id est inflammatio. Videtur autem & coli inflammatio facere posse hæc symptomata: ideo voluulus di

cetur. Sed accidentia non erunt adeò sęua de vomitu: neq; sunt ita mali moris, vt Galenus inquit. Demum erit voluulus per similitudinem, non verè. Sed num ex alijs quoq; affectibus, vt flatibus? Galenus dicit, quòd non, 6. de Loc. secundo: quoniam exhalant facilè ex tenuibus spiritus flatuosi: neque contumaciter detinentur, ob mollitiem, & raritatem substantiæ eorum. Fiunt igitur dolores ex flatibus in his, vt aliquando videmus: sed colicis non asimiles: & potius ex his in cauitate contentis, quàm inter tunicas. Num ex obstructione crasi, & viscidi humoris? Non est probabile hoc, inquit Galenus. 6. Aph. 44. Ratio, quoniam transfluunt continuè, & dimouentur. Nihil tamen obstat fieri in ictericis, vbi ea non expurgâtur: Quare sæpius à fæcibus duris, & erit leuior, vel à tumore præter naturam, & erit grauior. Hic autem est plurimum inflammatio. potest tamen & durus aliquis tumor hæc facere.

Verùm alias quoq; causas habemus à scriptoribus. Aetius de mẽte Archigenis, à quo & Paul. fieri ex obstructione humorum aiunt, cum cruditates multæ præcesserint, & corrupti in ventre retinentur. Hoc tamen Galenus non facilè admittit. Altera causa, descensus intestini in scrotum: qui aliquando à dolore colico ortum habuit, scilicet ruptione, vel laxatione membranarum, quod intestinum non repositum inflammatur, & pereunt ileo. Anno elapso seni presbytero id contigisse audiui. Alij cum temerè fascijs astrinxissent malè repositũ intestinum, inflammationem fecere. Vnde ileos? occlusa stercorum via. Vidi aliquando euenisse ex lapsu ad inguen intestini: erat autem manifestus extra tumor. Sed hic cum ad stercoris vomitum peruenisset, curatus tamen est præter spem omniũ, reposito intestino. Alia causa venena sunt: quod contigisse noui puellæ, quam dixerunt sponte cępisse. Aliam vidi Lucæ infrà horas paucas obijsse. Frigida erat sine pulsu: stercus tamen non euomuit. Hoc enim fit, si aliquandiu perdurent. Sunt autem venena buprestes, lithargirium. Alia causa potus frigidus in calido post exercitia. Nos vidimus semel diei spacio obijsse. Imaginâtur vulgares causam esse ex malo intestinorum situ, à flatibus causato: vnde cauitas obstruitur, & exitus prorsus impeditur.

Ileosi affectus curatio.

Curatio si ex inflammatione, à misso sanguine eadem remedia, quæ colicorum. Sed ebibitis iuuâtur citius. At si ex stercore duro, similiter mollire oportet, & oleum propinare, & prohibere ne vomat: tum cucurbitula, tum gratis odoribus, & frigidæ inspersione. Si verò ex flatibus à frigido potu, bonum remedium Galeni de Facil. parab. oleum anethinum bibat, mox mica panis calida accepta: si fiat humores, clysteribus est vtendum maximè, ijsque vehemen-

tibus

tibus magis, ob distantiam. sic & suppositoria. Cum verò dolor superat, etiam narcotica exhibere ebibita expedit. Vbi non contulerint, tentanda demum est purgatio per ebibita. At si venenum, oleo & theriaca, vel lacte.

De Leuitate intestinorum. Cap. LVII.

INtestina varia morborum genera patiuntur: Nam & intemperie laborant, vt similaria corpora, & obstruuntur, & procidunt, & angustiantur, vt instrumenta; & tumores patiuntur præter naturã. De his igitur omnib. egimus vno capite cõprehendẽtes, de dolore colico, vel iliaco: quoniam ab his omnibus morbis dolor excitatur. Nunc reliquos quoque morbos aggrediamur: id est lienteriam, dysenteriam, tenesmum, diarrhæam, lumbricorũ genera. Primum igitur de triplici alui profluuio, quod cum symptoma sit, morbos insequetur intemperies, vel vlcus. Quare de reliquis morbis omnibus hac parte agemus. Rasis verò ordinem sectati, à lienteria inchoabimus: quam ita Gal. definit, 6. Aph. 1. esse velocem, & sine vlla cibi mutatione excretionem. Sic & 3. Aph. 22. & 4. Aphor. 12. hoc est, cum cibi ea qualitate, qua sunt assumpti, deijciuntur: non colore, non odore, non consistentia mutati 6. Aph. 1. Duas verò genere causas Galen. posuit prædictis locis: quem & Paulus sectatur. Prima exulceratio, quæ in summo ventriculi corpore consistit, eo modo, quo in ore fieri eas videmus. Addit 3. Apho. 22. Et intestinorũ. Fit & ex debilitate contentricis, cum vis, quæ continere debet, ne minimo quidem tempore cõtinere potest, sed dimittit vt onerosum: vnde alteratione nullam suscipit, quę quidem non sine mora fit. At ex ulceratio facit, vt dolore affecta pars sensilis, plurimum occursum ciborum, & eorum tactum ferre non possit, sed statim expellere nitatur: quamobrem nihil concoquuntur. Lienteria.

Sunt autem exulcerationũ causæ illæ eædem, quæ & in alijs partibus, occursus scilicet acris humoris, qui initiò mordet, & contristat, tempore erodit & exulcerat: quãuis hanc causam plus pati intestina possunt, quæ 5. de Vsu x. licet sensu prædita, & prompta inde sint ad noxia pellenda: at fugere tamẽ nequeunt, quin ꝓpter reuolutiones multas, figatur aliquãdo humor noxiꝰ, & cõtingat tenera, & passilia eorũ corpora. At vẽtriculus statim se potest exonerare patitur tamẽ & ipse aliquãdo. Causa verò imbecillitatis cõtentricis frigida intẽp. inquit Gal. quã vel iam corpora ea habitu cõtraxerũt vel adhuc fit; & causã fouentẽ, & generantẽ habet pituitosos humo- Exulcerationis in lienteria causæ.

res ibi collectos: & hæc sæpius euenit. Hi enim sua frigiditate id faciunt: & hoc maximè est acida pituita, dicit Galenus quarto Apho. duodecimo, cum alibi eam, quę cruda simpliciter dicitur, fecerit frigidiorem: sed non comparat reliquis pituitæ generibus, sed eam plurimum frigidam dicit, quanuis alia frigidior. Patet verò quæ sint causæ, quæ possunt ad hanc exulcerationem ducere; & quæ ad hanc intemperiem. Vel enim sponte in ventre pituita ea colligitur, vel à capite defluit, 6. Aphor. 32. Fit inquit ob nimiam cerebri humiditatem aliquando, vnde & venter humectatur. Vnde secundò alia causa est nimia humiditas, quòd si iungatur frigido, eo magis contentricem debilitabit. De vtraque hac causa tertio de Sympto. causis ad finem.

Considerandà maxima confusio in Auice. qui omnia hæc capita vno capite miscet, & simul causas reddere volens, vnà & propinquas, & remotas, & per se, & per accidens ponit: adeò, vt contrariũ his, qui legerint euenturum sit, ac Gnathoni, qui ad Thrasoné nunquam inquit, accedo, quin abs te abeã doctior: hic verò indoctior. Ipse Galenum reprehendit, siquidem Galenus vidit, aut potius eos qui Galeni collectanea fecerant: quòd causam posuerit intemperiē frigidam, & humidam, & phlegma. Nam etiam inquit à calida & humida fit. Fit etiam à sicca inquit. Hîc verò errat: neutra enim harum lienteriam facere potest. Nam cum debilitate retentricis fiat, non potest tanta accidere cum calore, quin interim transmutatio in cibo fiat. At sine transmutatione omnis est lienteria, vel ea non sensibili. Videmus profluuia ex siccitate in tabidis transmutationem habere. Occurrit quoque Galeno cum ait, factus à stomacho nõ prorsus indigestus est. Sed hic lienteriam malè confundit. Concedimus ergo quòd à stomachi vitio aliqualiter digestus prouenit aliquando, sed erit diarrhæa, non lyenteria. Hæc enim est huius passionis definitio.

Dubiũ pulcherrimũ. Dubitatur, vt clarius hæc innotescant: Primò si intestinorum vitio fiat aliquando, vt Galenus vult de intemperatura, quarto Aph. duodecimo, & 6. Aph. primo, causa est ventris, & intestinorum imbecillitas. De Vlcere tertio Aph. 22. Tunc non erit necessarium quod dicitur in definitione, vt nihil sint immutati cibi. Nam poterit venter fungi suo munere concoquendi: intestina verò grauari, aut morderi, & excretionem citam facere. Paulus apertè voluit cicatrice intestinorum vlceris, & ipso vlcere fieri: attamen subdit, hoc esse signum lienteriam distinguens ab omni alio profluuio: quòd alimenti genus assumpti manifestè in deiectione distinguitur visu. Rases dixit, Egreditur nõ mutatus, nisi parum, id est, obscura quadam

dam mutatione. Sed vt dixi, si aliquando solo intestinorũ vitio fieri posſit, nihil vetare videtur, quin concoctus appareat. Præterea laboret ventriculus vlcere, vel intemperie adeo, vt non cõtineat, sed pellat ad inferna: quid prohibet intestina ipsa concoquere, si non plenè, saltem notabili transmutatione? Siquidem certi sumus in illis fieri magnam mutationem. Et Gal. fatetur quarto de Vsu; quanuis ad distributionem propriè facta sint, habent tamen vim concoctricem non modicam: quare mutatum erit, quod deijcitur, & retinebunt: quare neque velox erit excretio. Sequitur ergo quòd lienteria non sit symptoma insequens necessariò vlcus vẽtriculi vel intemperiem. An necessarium est in lienteria vera, vtrunq; affici ventriculum, scilicet & intestina? Et hoc innuebat Galenus sæpe vtriusq; mentioné simul faciens: Nam quòd exulceratio solius intestini non facit, patet in dysenteria: quanuis indigestas faciat excretiones: quoniam carent vlteriori illa coctione, quæ in intestinis fieri debuit: vnde chylosæ fiunt, & aliquando aliquid apparet comesti cibi: siquidem durius sit, & alterationem effugiat.

Dubitatur rursus, Quę vis imbecilla in intestinis? An contentrix vt sexto Aphor. & nono Galenus innuit? At vi contentrice carere ait, quinto de Vsu vndecimo. Sed & qua alia ratione ex intemperie afficiuntur, vt cibum velocissimè deijciant? Siquidem non afficitur vis contentrix. Attamen eam negat, vt apparet: & dicit, naturam instituisse loco eius reuolutiones. Quid ergo excernit? nõnne quia grauatur onere? At hoc est laborare contentricem cum onere premitur. Respondeo, premi onere fit ex sensu tristabilis: vnde ad pellendum insurgit. Non propriè igitur dicitur debilis contentrix, nisi quia non debito tempore cõtinet. Hoc autem est, quia citius, quàm deceat expellitur insurgente expulsiua.

Curatio prima exulcerationis in ventriculo. Nam quæ in intestinis, remedia dysenteriæ habere debet, monstrat sedes affecta applicandi modum: hoc est per ebibita, ob vicinitatem: & talia offerãtur qualibus egemus: Nam integris viribus eò perueniunt. Affectus verò, vt Rases inquit, refrigerantibus eget, & astringentibus: quod est quia fluxio calore mordet, temperatur frigidis. Quia verò vlcus est siccari postulat, & quia continuè fortè causa influit exulcerãs: hinc etiam astringere est opus partes exulceratas, ne fluxionem recipiant. Hæc autem exhibet ita in cibis, sicut in medicamentis. Itaque succum vuæ acerbæ spissatum propinat. Spissatur autem sole, vel igne. Sic succum ribes, vel granatorum duorum, cum spodij, & rosarum rubearum drachma, & trochiscis de spodio. Sed hæc medicamenta inutilia nobis sunt: nec enim scimus quid per spodium in- Lienteriæ curatio.

telligant. Alimenta verò condiri vult iјsdem,& potiones ex ſucco rhois parat. Sed hîc vbi indicatio à cauſa,ſi adhuc adſit? nec enim purgari corpus eo excremento præcipit.Pręterea ſi purulenta deiectio aliquando viſitur, tunc non ſolis frigidis, ſiccisq; curari vlcus poteſt,ſed extergentia ſaniẽ erunt neceſſaria.Præterea indicationẽ à ſenſu partis non capit,vt qui aceto,& ſucco omphacij vtatur,quæ valde mordere poſſunt.Paulus verò admiſcet vtriuſq; curá, cum tamen diuerſam multũ curam exigant;cum alteri calida,alteri frigida offerre oporteat. Quomodo enim eidem morbo dropaces vtiles ſunt,& ſumach? At is ſine diſtinctione hęc ponit:ſed nec cauſam reſpicit,niſi ad mediũ capitis,vbi deriuationis meminit,factæ per vrinatiua.Quid de Aetio dicam,qui ſolum frigidam curat?

Raſes in cura lienteriæ taxatur.

Aeti⁹ taxatur quoniã lienteriam frigidam tantùm cũrat.

Lienteriæ curatio methodo facienda docetur.

Nos igitur ad ſacram anchoram confugimus, ac certiſsima inde remedia habemus.Primùm ergo ſi cauſa adhuc adſit, vt fluxio calida à capite,vel prauorum humorũ copia in toto,quæ erit cura? Vacuare,temperare. Quibus temperamus? cibis, potionibus frigidis, vt ptiſana,alica,lactucis coctis,recenti caſeo,vel etiam lacte. Purgare etiã excrementis corpus, idq; his, quæ vlcus non proritent, ſed iuuent,exempli gratia,ſero caprino,& mirobalanorum decocto.Illud quidem in puruleto magis vlcere valet, hoc verò in cruento ob ſtipticitatẽ,& ſiccationem.Vtemur & his, quæ auertunt, & deriuãt humores.Auertunt quidem clyſmata paulò acriora, & deriuant ea, quæ vrinas ducunt egregiè,dum ſint ſine morſu.Exempli gratia,appij folia,& adianti,& ſeminũ communium, & in cibo ſumpti pepones,& magni cucumeres.Si verò ex capite,illi proſpiciendum. His peractis,vlcus ipſum curabimus & partẽ exulceratam. Illud verò fiet & aſſumptis,& extrà admotis.Ebibita igitur ſine dolore aſtringunt,&ſiccant:quinimò,ſi dolor vehemens,&inflammatio adſit,etiam ſoporantiũ aliquid adiungemus:vt trochiſcos de charabe,vel electro:ſin abſit,curatio facilis materiæ erit.Quoniã verò membrũ eſt,quod aſſumptis triſtatur, vel delectat, ea accipere oportet, quæ plus delectent,& quæ rationẽ cibi habeant. Exempli gratia:Lentiſci tenera germina, & rubi capiemus; vel etiam rubi immaturos fructus,vel mori,& alijs auſteris fructibus in cibo vtemur,vt cotoneis piris,malis punicis,omphacio aliquando : quibus etiã cibaria condiemus.Vſus aceti incommodus videtur.

Medicamenta verò,quæ intro ſumuntur, primũ potiones ex ſucco plantaginis,aut equiſeti,vel terra lemnia.Cõuenit diamoron, & alia medicamenta quæ ad anginas ſunt poſita.Extra verò ceratũ ex myrtino oleo cõuenit, cui & pulueres eiuſdem myrti ſunt inſpergendi,vel ceratum roſaceum,id eſt vnguentum.

In

In altera verò, si adsit pituitæ copia, vndiq; vacuanda est. Quod enim in ventre, vomitu educitur à cibo facilè: præsertim cibis salsis & acribus assumptis. Quæ verò intestinis, deiectione, tum per hieræ potum facta, tum per clysmata. Quòd si necesse fuerit, extenuantia adhibeantur: de quibus sæpe, hoc est, quod Rases egregiè præcipit de vomitiuo. Postea medicamentum purgans tribuit: sed est error in textu. Ridiculum enim foret colocyntidis drachmas iiij. exhibere. Vacuato humore, & si redundet à capite, facta capitis prouidentia, tunc ad intemperiem sanandam accedimus: quæ si vetusta sit, etiam sine eorum humorũ copia, quando ad hoc deuenit, vt lienteriam faciat, exigua est spes. Lienteriæ à causa frigida curatio.

Hanc sanationem Rases attingit tertio Loc. Est autem mista his, quæ supra capite de ventris intemperie diximus. Significat autem hoc priuatione puris, & phlegmatis in deiectionibus. Exhibet verò his vinum forte, & purum, & medicamentum diaolibanon. Patet autem quòd vult calfacere, & siccare non sine roboratione ventris ex astringentibus aromatis. Easdem igitur intentiones & nos sectati, victum talem instituemus, qui siccet, & calfaciat: qualem suprà in frigida & humida ventris intemperie exposuimus. Assas ergo carnes, & aromatum conditaras dabimus, & natura siccas, & quæ facilè vincantur. Semper verò astringens aliquod miscentes, vt macem dictam, & crocum, & garyophyllum. Medicamenta verò ebibita quidem erunt aromaticũ garyophyllatũ, & zingiber conditum, & diatrion, & ex galanga, & aqua vitis. Ea verò, quæ extra admouentur, erunt, fotus antea dicti, & vnguenta, & cerata: quibus non ad ventriculum solùm, sed & ad vmbilicum vtemur forma quadrata: vt ex mastiche, & speciebus aromaticis. Postremo locdropaces his partibus appositi iuuant; quoniam vndiq; ad partem calorem attrahunt. Sic & picatio. Sed de his supra abundè.

De Dysenteria. Cap. LVIII.

VNo capite de Dysenteria, & Tenesmo agendum: quòd idem affectus sit, sola distans affecta sede. Sic enim priuatim rectũ intestinum obsedit vlcus. In dysenteria reliquorum aliquod. Est igitur vlcus intestinorũ. Nomen acceptum generale est, (nam aliud nõ significat quã intestinorũ labor) non per excellentiã: nam colica, & iliaca sępius vehementius affligũt. Sed quia alij à sede affecta certa nomen sortiti sunt: hic verò nulla certa est. Nam & tenuium quoduis, & crassorum exulcerari potest: habetq; perpetuò dy-

ſenteriæ nomen. Morbus eſt frequentiſsimus, imò vulgaris ſæpe: æſtati & autumno maximè familiaris, omni ætati eueniens, à quo, & multi periclitantur.

Sed hucuſque dyſenteriam propriè dictam expreſsimus, tertio de Sympt. cauſis 2. Sunt enim & alij affectus huic ſimiles; quos quibuſdam libet dyſenterias nominare. In primis quæ tẽpore Hipp. dyſenteria dicebatur ſanguinis per ſedem profuſio: quęplerunq; Vere accidit, ob plenitudinem, his præſertim, qui cum ſanguinem multũ aceruent, dimiſerunt tamen exercitia; & quib. inſigne aliquod mẽbrum mutilatum eſt. Contingit & mulieribus cum menſes imminuti ſunt præter naturam. Hanc, diſtinctonis gratia, Galeus cruentam dyſenteriam nominare ſolet. Eſt autem equiuocè dicta: neque enim vlcus adeſt. Fit & alia excretio ſanguinis, ſed nigrioris ſanguinis, & velut ſplendentis. Talis verò exuſtione euadit; quam ſanè mora in iocinore acquiſiuit: idque quòd non diſtribueretur ex obſtructione meſeraicarum: grauans ergo reijcitur ad inteſtina. Tertia verò fit hepatica dicta, aquoſi, & ſemicocti ſanguinis, quem loturæ carnis ſimilem dixerunt. Ex his ergo nulla propria eſt; quanuis ſecunda morſus inferat, & ſuccedere dyſenteria poſsit.

Cauſæ verò eius illæ ſunt, quas de Vlcere diximus, acres humores, hoc eſt bilis flaua, vel etiam atra: vtriq; enim acritudo ineſt. Vnde Hippoc. ſeptima Aphoriſ. 23. à deiectione ſyncera dyſenteria fit, Appellat, inquit Galenus, ſynceras inpermiſtas, prauas, qualis bilis vtraque. Non enim à pallida bile fit vlcus, neque à nigro ſanguine cui permiſtus ſit melancholicus ſuccus, ſed ab his ſynceris. Cum bili autem comprehendo omnia vitioſa bilis genera: vt porraceam, glaſtinam, vitellinam. Ab his enim fieri poteſt, & quidem ita videmus fieri ſæpe, vt aliquod horum generum, ſæpe & omnia excernãtur in eodem morbo. Præter birioſa verò, Pituitam quoque ſalſam id facere malum cenſent, vt 6. Aph. 2. Hæc autem aliquando ab initio in capite gignitur, ex calore loci talis effecta, tertio Aphor. duodecimo: aliquando talis efficitur putredine in ventre. Neq; aliquid obſtat, quin admiſceantur illi ſeroſæ, & tenues ſanies putridæ, atq; ita exulcerent. Facit enim mora ad mali generationem. Hanc verò habet ex modo ſubſtantiæ: hæret enim lentore ſuo, tertio Apho. 12. vnde & 3. Epid. 3. 22. Teneſmi, inquit, difficiles fiunt à ſalſa pituita: quoniam multum hæret, neque facilè eruitur. Similiter & bilis genera, vel atræ à venis profluunt. Cauſa verò generans, calor earum partium eſt: vel natura ſumptorum, quæ facilè in acres humores mutantur, vel quia calida ſunt, vel multa humiditate prædita facilè putreſcunt. Putredine autem acria euadunt. Sic igitur æſtate fiunt maximè,

maximè, tum ob calorem aeris exurẽtem, tum ob fructus plurimos humidos, qui comeduntur per oporam. Inde pueri cum minimè acres ſuccos gignunt, incidunt hunc morbum ex putredine: & quoniam illa immoderatius ſumunt. Per Autumnum verò cum acria excrementa circa extimas partes genita, refrigerato ambiente retinentur, & intus pelluntur ad corporis media. Sequitur verò plerunque tales ſynceras excretiones, ita vt initio eæ deijciantur: poſtea pituitoſi quidam muccores cum dolore excernuntur. Demum cruenta deiectio, cum tenuibus ramentis internæ tuniculæ, quæ denſa eſt, & tenuis, ſimilis illi, qua tegimur; quam Epidermida dicunt. Quòd ſi malum procedat, & purulenta deiectio fit. Et ſi depaſcat vlcus, etiam carunculæ quędam inueniuntur: quando vlcus ad craſsiores inteſtini partes deuenerit.

Signis verò vti oportet, non ad affectum modò diſcernendum, ſed & cauſæ qualitatem, & affectum locum. Hæc enim tum ad præcognitionem, tum ad curationem faciunt. Primùm ergo affectus ipſe facilis eſt cognitu, primũ viſu, quoniam excernuntur talia, quæ diximus, & eo ordine de dolore, quoniá plurimus eſt morſus. Sed quia etiam à cruenta excretione morderi poſſunt: ideo diſtinctionem Galenus ponit, quoniam ibi affatim ſanguis niger deijcitur: hic verò minutæ ſunt guttæ ferè ſaniebus alijs admiſtæ. Eſt autem hîc conſiderandum: quòd euentus huius, & cauſarum motio, à mẽbrorum natura fit ſe expurgante: ſed aliquando eſt criſis alterius morbi ſymptomatica, à qua videmus multa mala euenire. Hoc fit in febribus bilioſis, & ardentibus, cum natura coctionem non expectat. Et tunc ſignum huius eſt, quoniam præceſsit talis morbus. Alius modus eſt quòd incipiat ſine febre, & poſt ſuccedat ex dolore, & iugi aſſellatione: hoc fit cum natura aliàs ſe expurgare prauis ſaniebus voluerit, nullo præcedente adhuc morbo.

Signa quoque cauſarum facilia, viſu vſurpata in exercitatis. Sed pars affecta, quoniam non vnà eſt, dignoſci debet. Eſt autẽ digeſtio ex miſtione excrementorum: vbi admiſta valde, ſignum eſt ex longinquis proficiſci, atque admiſceri alijs excrementis, ſi ſeorſum cóſiſtant, ex proximo deſcendunt. Quanquam & ex craſsitie tuniculæ cognoſci poteſt. Adde & doloris ſitum. Alij enim circa vmbilicum dolent, alij circa imum ventrem; vbi proceſſus eſt coli inteſtini deſcendentis. Sæpe verò & variæ afficiuntur partes, & ita dolor varijs locis ſentitur. Adde & velocitatem, & tarditatem deſcenſus. Nam ſi vbi cæperint morderi inteſtina, multo pòſt tempore excernat, ex ſublimioribus erit: ſin breui ex infernis.

Quæ verò ad prognoſticum attinent, quãtum periculi ægro im-

mineat ex priuatis notis,sic distingues:Primùm ex sede affecta. Laborantibus enim superioribus intestinis grauiora fiũt symptomata idq; ob maiorẽ consensum. Sunt aũt symptomata quæ superueniũt huic morbo,cibi fastidiũ vehemens,nausea,vigiliæ multæ,tum dolore,tũ auersione à capite,vnde viriũ defectus. Et quia difficilius sanantur eorum vlcera: vt & Gal.de vulneribus inquit 6. Meth. Hippoc.sequutus. Si tenue intestinum discissum fuerit,non coalescit, idq; ob venarum copiam, & quia syncera adhuc excrementa suscipiunt. At ex natura causæ sic distingues. Quo deteriori conditione humor fuerit,eò peior morbus. Vnde ab atra bile insanabilis Hipp. 4.Aph.43. Sic quæ à prasina,& synceriore bile fuerit,prauior. Ex adiunctis verò affectibus hoc modo : Quibus enim symptoma est prauarum febrium, omnes maximè periclitantur; quoniam febris irritatur dolore,& vigilijs,& motione crebra corporis. Præterea significat causæ prauitatem adesse in venis, itaq; signum mali moris febris erit. At ex viribus hoc modo: Nam pueri valde periclitantur: tum quoniam occisimè dissoluuntur ob mollitiem, tum quia minus obediunt præceptis. Senes verò alia ratione,quòd magnitudo causæ in his significatur : siquidem talia excrementa non facilè gignant. Pereunt autem alij breui,cum in morbo acuto euenit : alij longiori tempore, cum in tabem transit siccatione, vel in praua vlcera,profunda,serpentia. Vnde & si carunculæ exeant, letale dixit Hippoc. 4. Aph. 46. Alij demum longo tempore sordida vlcera passi,tandem debilitata vi intestinorũ,aut in hydropem, aut in lienteriam transeunt, 6.Aph. 43. In hydropem cõsentiente iocinore, ad leuitatem ex proprio malo communicato etiam ventriculo.

Senes cur in dysenteria periclitentur.

Curam verò dysenteriæ habere oportet, vt Galenus instituit, 6. Epid.lib.6.Aph.5. Curatio inquit,est eluere mordaces succos ab vlcere: & est primus scopus. Secũdus oblinire his,quæ intestina tueantur ab acrium excrementorum occursu: ne dum defluunt, vlceri occurrãt,& morsum cieant. Tertius est temperare eorũ,quæ defluunt acrimoniã. hæc verò omnia causam vlceris respiciũt, & sunt ad prouidentiã. Nam ea,quę vlcus sanãt siccantia sunt sine morsu. Sed nunquid aliter ad causam respicere oportet? Medici enim iuniores medicamento purgãte vtuntur, vt causam vacuent : atq; inde sæpe vtilitatem sentiri videmus. Contra tamen est decantata ea sentẽtia, Non debere ad partẽ læsam excrementa trahi: quæ confirmatur ratione: quoniã si fluxionis cõtactu fit vlcus, quo ergo magis cõfluet, perpetuò vlcus augebit. Pręterea stultũ est vacuationẽ suprà vacuationem moliri: attamen in colica ex erosione visus est Gal. purgare per hieram ex aloe. Sed hæc non totum corpus respiciebat vacuãs: quin

quin potius humores inteſtinis infixos acres purgabat. Ad hæc non ſimpliciter reſpondere oportet, ſed cum diſtinctione affectus. Si enim acutæ febris ſymptoma eſt, proritare ſymptomaticã excretionẽ nõ cõuenit, nec etiã ſiſtere, ſed his ꝓcedere, quæ Gal. ſcripſit: eluẽdo, tẽperando, oblinendo. Si verò ſine febre ſit, vel febris minimè maligna illi ſuccedat, tunc rurſus diſtinguẽdum eſt. Nam ſi multam cacochymiã eſſe conijcis ex ſignis circa ægrũ habitis, tunc copiam eorũ tollere bonũ erit, vt cæteros ſuccos temperare, & concoquere poſsis. Si verò exigua ſit portio, nec multus fluentis impetus, ſat erit ſuperiore ratione medendi vti. Quæ verò contra hęc afferuntur, diluimus. Primũ Galeni canon verus eſt in phlegmone, quæ ex excrementis augeſcet: ex quibus eſt genita, dum adhuc influunt. Sic enim verba ſonant. Contrà etiã vlcus augetur. Reſpõdetur, non eſt par ratio: hîc enim excrementa continuè defluunt, neq; ſiſtuntur: At in phlegmone colliguntur in tumore, quæ attrahũtur. Prætereà poſſumus vacuando obſiſtere, ne excrementis vlcus lędatur. Primùm ea admiſcendo, quæ oblinãt, & temperent acrimoniã: mox & aſtringant partem, & ita vlceri conducant. Itaq; inuenerunt infuſum ſcilicet pſillij, cotoneorum, tragacanthes, & rhabarbaro vti torrefacto, atq; infuſo in aqua plantaginis, & cũ modico caſsiæ propinato: eadem ratione, & mirobalanos apparamus.

Cauſam quoque reſpicimus, deriuatione ad vrinas poſt aliquot dies; vbi tanta copia excrementorũ non eſt. Timor enim eſſet, ne exulcerarent eas vias etiã anguſtiores: interim tamen temperare ea oportet, vt dicemus. Deriuatio quoq; ad cutem conducit: procurãdo ſudores, & denſantia cutem euitando, vt frigus externum. Sed num auerſione vomitus vtendum? Profectò ſi æger facilè vomat, neque ventrem multo imbecillum habeat, neque extremè faſtidiat cibum, leuia vomitoria vtilia erunt. Attemperatio verò maximè victu fiet: itaque ſtatim victum inſtituere oportet in hunc vſum. Quòd igitur cibaria, quæ in roſione diximus, conueniant, apertum eſt, ſcilicet ptiſana, alica, oriza, panis ex aqua, amilum, lactucæ coctæ, & cichoria: præſertim vbi ex bilioſis fluxio nibus, quod plerunque euenit. Quòd ſi ferculo vti libeat, etiam acetoſam, & lactucam incoquemus, & ſatiuum intybum. Iuuat & cucurbitis vti omphacio conditis. Ex carnibus verò hędinam guſtent, vel gallinacei iuuenis, vt bimeſtris. Quæ omnia apparari debent ex aqua pluuia: vel in qua ferrum ſit ſæpius extinctum. Caprinum tamen vſus eſt incommodus: quoniam facilè putreſcunt, & alterantur à vitioſis humoribus.

Sic & elixa ex aqua, & aceto oua temperans cibus cenſentur. Po-

tus verò erit aqua eadem, cui ſyrupus roſaceus ex ſiccis roſis admiſcetur, vel myrtinus, aut etiam vinum granatorũ aqua permiſtum. Quòd ſi febris magnitudo non prohibet, lacte cocto vtemur. Cum enim lac & abluere excrementa praua, & ita vlcus extergere, & temperare acritudinem poſsit, ex coctione id acquirit ſiccantem magis facultatem, & ſtypticam: vnde his fluxionibus, quę cum vlcere ſunt magis conuenit. Coctio verò lactis & lapillis fieri poteſt in fluuijs repertis ignitis. Fit & chalybe, quod Galenus plus laudat: magis enim ſiccat. Hic ergo erit cibus ex lacte, vbi decoctum fuerit ita, vt maior ſeri portio ſit aſſumpta. Si verò febris magnitudo vrgeat, & robuſtus ſit æger, multaque ſitis, & inflammatio ſentiatur circa pręcordia: vt ſæpe ſuccedere ſolet ardenti febri, aqua frigida erit vtendum. Nam ſi vires non valeant, neque euadere poterit. Si quid tamen moliendum eſt per externa, ad præcordia eſt moliendum. Sed de his diximus cum de eryſipelate ventriculi, vel iocinoris egimus: & pertinet propriè ad caput de febre ardente cum aluo fluida.

Quæ verò ſequuntur medicamenta, communia ſunt; nempe vlceri ipſi proſpicere, ne augeatur, ipſumque ſanare iam factum: & tertio ſymptomatum curam habere. Nam in hoc caſu habent cauſæ rationem: ſiquidem dolor, & vigiliæ, & continua motio corporis, proritant partim fluxum humorum commouendo, partim ad eorũ generationem faciunt: quoniam corpus excalfaciunt magis, & ſiccãt. Sed & pariter vires deſtruunt, vt & cibi faſtidium faciunt. His igitur omnibus ſtatim ab initio proſpicere oportet, nunc magis, nunc minus, pro eorum magnitudine: atq; ea medicamenta eligere, quæ omnibus his ſcopis poſsint ſatisfacere. Applicatio verò eorum erit per epota, per infuſa, per ea, quę dolenti parti admouentur. Debent igitur habere has conditiones, vt ſiccent, & refrigerent: præſertim cum vlcus inflammatum eſt: vt eluant acres ſanies, vt oblinant partem, & dolorem ſedent. Hoc diximus lac ſciſsille facere maximè epotum: ſed & ipſum infuſum ſi mediocri coctione vtamur optimũ erit. Debet autem eligi in hunc vſum caprinum, vel ouillum, vel etiam bubulum, atq; hæc inter initia ſtatim, quouſque inflammatio ceſſet. Quòd ſi dolor vehemens ſit, potabunt omphacinum roſaceũ pondere vncias quatuor. Debet autem confici ex roſis affuſis ſepties, atque abiectis, vt ego parare ſoleo. in eo ineſt vis doloris ſedandi mira, ſed & oblinendi. Emplaſticam enim vim habet: ſiccandi quoque & aſtringendi ad vlceris ſanationem: quod habetur tum ex oliuis immaturis, tum è roſis. Extrinſecus quoque ventri eadem admouentur, quanuis minus afferant præſidij; vt caſtratorum omẽ

ta infu-

ta infusa in vino austero, & rosaceo oleo, & tepentia apposita: Si verò lactis copia non sit, infundamus ptissanæ succum, vel orizæ, vel farris. Hæc oblinendi magis vim habent, illa siccādi. Adijcimus autem perpetuò rosaceum oleum, & seuum hircinum recēs, & nōn adeò veteris animalis. Modus apparandi est, vt simul oleum, & seuum fundantur, pòst medicamento addantur. Debent autem sæpè iterari, quoniam continuus est materierum influxus: continua ergo eget ablutione & attemperatione quæ his perficitur. Ceratum etiam liquidum Galeni infusum. Alia verò clysmata iuxta easdē intentiones apparantur, vt ex aquis naturalibus, quibus vis inest abluendi sine morsu, & temperandi sua mistione acres succos, & oblinendi ad tuenda intestina. Exempla horum, aqua Balneoli, aqua ad Villam, aqua ad Aquas, & quæ ad montis huius radicem oritur. Idem facit & aqua fabrorum. Adijcimus verò, & quæ dolorem sedant, vt rosaceum cum seuo: & oua cum tota substantia, & tepida infundimus. Debet autem seuum prius cum rosaceo dissolui æqua portione: post ita seruari, & vsus tempore infundi. Hęc autem debet ter, vel quater per diei spacium fieri. Alij pinguiū castratorum capita cum hordeo coquūt; mox addito ouo, & oleo rosato, & seuo clysma conficiunt. Clysma ex castrati capite cum hordeo, & oleo rosa. ad dysenteriam

His vtendum donec dolor, & inflammatio remittantur: postea ad ea, quæ vlcus cruentum sanant, est descendendum: & itidem offerenda sunt potui, & per clysmata infundenda, quæ siccent & densent, sine morsu tamē. Ad externa igitur eisdem vtimur myrtillorū puluere insperso à perfusione. Clysmata autem sic parētur: succum plataginis infundito tepidum, vel polygonati cum oleo rosato. Potes & decocta astringentia vbique tibi parare, dum noris naturam simpliciū: vt ex rubo, & canirubo, & rosa, & myrtillis, & quercus teneris folijs, & lentisci, & phyllitis. Potui verò sacharū rosatum offerre, cui sit admistus rosæ rubræ flos, vel agrestis. Valet & potus ribes cum aqua ferrata, & aqua floris myrti, vel aqua rosarum: est vltima. Fit verò cum vlcus est cruentum, & proper aliquam adhuc fluentem materiam non sanatur. Insessio, qua ego primus vsus sum vim habens & auertendi exiguam materiā, & constringendi. Auertit quidem calore actuali trahendo ad cutem: constringit verò qualitate medicamentorum strictiua, quæ per anum penetrat vsque ad vlcus. Cōpositio eius est talis: R. tenera germina quercus, baccas cypressi virides, nuces pineas virides, vel pini folia, & corticē. Secretum est maximum ad pueros.

Prius verò quàm ad curam veteris, & sordidi vlceris accedamus, aliqua dicēda sunt de casu alio, vbi rationē maximè symptomatum

habere oporteat. Ac primum de dolore agemus, in quo ſedãdo aliquando laborare cogimur, & ſimul vno remedio vigilijs obſtamus. Hoc autem eſt infundere per ſedem narcotica. Igitur clyſmatis dictis trochiſcos ſtellę iungemus, vel philonij aliquid. Sic ſi in ſupernis vlcus, bibendum damus; ſed prius tentare bonum eſt decocta infundere papaueris, vel foliorum ioſciami. Poſt hæc, ſi ex vlcere malè curato diuturnum euadat, & ſordidum ita, vt dolor abſit, & febris, ſed pus deijciatur vel praui ichores: tunc fortibus remedijs eſt vtendum: quæ ſcilicet vlcus extergant, & cruentum efficiant. In hoc igitur caſu valet ſalſa aqua Montiſcatini, & ebibita, & infuſa. Et hæc erat cura eorum, qui generoſi erãt, xj Meth. Sed hi nimis vehementibus inſiſtebant, ideò ægros in diſcrimen ob dolorem ducebãt. Aliud eſt ex vnguẽto Ægyptiaco, quo vtemur, donec cruentũ fiat. Tertiũ ex puluere præcipitati ſimiliter iniecto. Poſtea verò, vt cruentum vulnus ſiccis, & aſtringentibus ſanetur.

De Teneſmo Cap. LIX.

VNo verò eodemque capite & Teneſmi, & dyſenteriæ à ſalſa pituita curam ponemus. Plerumq; enim teneſmum facit, & eſt vna ex eius cauſis. Eſt autem teneſmus vehemens deijciendi cupido, & inanis, vt Galenus definit, qui modò ad dyſenterias inſequitur, modò & ſine ea ſeorſum conſiſtit. Sedes ergo affecta rectum inteſtinum eſt: præſertim qua parte muſculoſum eſt, & maximè ſenſile. Cauſę verò ſunt omnes, quæ proritare inteſtini expultricem queunt, vt primùm vlcera, quæ in eo conſtiterint. Et hic eſt teneſmus ſuccedens dyſenteriæ, cum ex crebra deiectione acri, & continuo opere eius partis, partim exulcerata eſt, partim etiam inflammata. ideò vnus affectus eſt vlcus. Atque hoc quidem vel ex eadem cauſa cum dyſenteria fit, vt diximus, vel à phlegmate ſalſo craſsioribus inteſtinis, & vnà ipſi inhærente, & mordente. Poteſt & ſine vlcere fieri: ſiquidem adſint inhęrentia, quæ mordeant. Sunt autem Teneſmi, qui ex acri, & putri pituita fiunt vehemẽtiores 3. Aph. 12. non ſolum quia lentore inhærens plus afficit: ſed & quia nixu inteſtini non facilè excernitur humor ille. hæret enim lentore 3. Epid. 3. 72. Euenit ergo, vt Paulus ait, hic affectus modò præcedens dyſenteriam, modò ſequens: aliquando neque cum ea iungitur, ſed ſolus ab initio ad finem perſiſtit. Diſtinguitur verò à dyſenteria ſede doloris. Cumulus eſt cauſarum, & cõfuſio ab Auicenna qui remotas,

motas cum proximis ponit in numerum, &accidẽtales. Sunt ergo causæ omnes quæ dolorẽ faciunt, vnde ad expellendum proritant. Sunt autem quæ continuũ soluunt extendendo, vt tumores, flatus, erodendo vel pungendo, vt vlcera. Hæc autem genita sunt vel ex hemorrhoidibus vlceratis: vel ex acribus influentibus aliunde, vt in dysenteria. Sunt autem hæc acria, maximè biliosa, vel pituitosa salsa. Fit verò tenesmus cùm natura conatur pellere, id autem frustra sæpè facit: quoniam non cum ratione facit. Tenesmi signa.

Signa sunt, quòd multa est egerendi libido, sed nihil excernitur, præter exigua cruenta muccosa: vel etiam varia, flaua, viridia; sed hoc rarius: Sæpè etiã nihil excernitur, vt cum fit ex dolore ea parte percepto, ob enatam phlegmonem, vel ob intemperiem. Euenire autem visus est maximè ex frigida, sed hoc rarò, & leuior affectus, & curatu facilis. Quæ verò tenesmo superueniunt symptomata eadẽ ferè sunt, quæ & dysenteriæ, de vigilijs & dolore, sed neque par fastidium, non virium lapsus. Itaque neque aliquis ex hoc solo periclitatur. Superuenit autem ipsi priuatim vrinæ stillicidium, vt Hippocrates ait quinto Aphor. 58. quod fieri scribit Galen. ex consensu vesicæ, quæ illi adiacet, vnde debilitatur musculus eius, qui continet vrinam: vel quia vesica quantumcũque repleta, etiam minima collecta portione vrinæ, potest cõprimere intestinum rectum & dolorem facere. Ideò natura properat continuè pellere; hinc stillicidium vrinę. Superuenit & huic propriè exitus intestini recti, vel procidẽtia: & hoc quoniã musculi, qui sursum retrahere debẽt, cõtinuo dolore & labore retrahendi defatigati, & veluti resolutis fibris sunt, vt attrahere nequeant. Tum quia multus est conatus partis in pellendo ob perceptam molestiam: minimus itaque erit in trahendo. Quare & hoc loco de situali hoc morbo intestini recti agendum nobis erit. Periculum autem huius morbi maximum est in grauidis eadem ratione, qua de vesica diximus: quoniam & vtero adiungitur: quare & afficitur, & similiter afficit.

Signa verò causarum nota sunt, vt tumoris, quòd dolor, & pulsatio apparet eo loco, & calor, & cum desidendi cupiditate nihil deijcitur. Euenit id aliquando tumentibus venis sedis, & illis inflãmatis: quas hemorrhoidas appellãt. Signa verò vlceris nota sunt, si præcessit dysenteria. Præterea quia virosa deijciunt, vel muccosa, acria, & à deiectione vehemẽtem etiamnum morsum ea parte sentiunt. Signa frigidæ intemperiei ex his quæ præcesserunt causis procatarcticis.

Cura verò secũdum varios affectus variatur. Prima leuior ex intemperie frigida, curatur calidis fomẽtis sedi adhibitis, vel empla-

ſtris, vel ſeſsionibus: materia verò ſit calida, & quæ flatus diſcutiat, ſi qui intra eos muſculos geniti, frigore detinentur, exempli gratia. Ciminum cum chamæmelo, aniſo, ſtœchade. Sed ſi ex vlcere, ſimilẽ habet curam cum dyſenteria: quamuis non adeô potionibus ſit opus, ſed infuſis potius: cùm plerumque materia excorians iam fluere ceſſauit, ex quo dyſenteria ceſſauit: vel ſi ſolus teneſmus incipiat, materia eſt inteſtino recto hęrens, vel ſunt vlceratæ hemorrhoides. Vtemur ergo itidem deterſiuis clyſmatis cum roſaceo oleo. & quidem ſi dolor adeò vehemens non ſit, etiam aqua maris, vel alia ſalſa infuſa ſat erit. Si verò dolor ſit multus ex lacte, ex ptiſſana, & furfuribus abluemus: & cum pòſt ceſſat virus excerni, oleum roſaceum cum conſtrictiuis pulueribus infundemus, vt roſarum & aloes, & foliorum myrti. Vtemur quoque in Teneſmo ſuffitu: quoniam inde iuuantur loci vicinitate. Vtimur verò pice græca dicta, vel bitumine ſuper ſella perforata, & cooperta pannis: ſimiliter & incocto ſuperſedere fumum excipiendo, vel in eo ſedendo, quod conſtet ex floribus maſculi verbaſci, & nucibus cypreſsi contuſis. Iuuant & fotus cum ſpongia, ex vino nigro & roſaceo tepidis. Demum ſi his dolor nõ ſedatur, infundetur aliquid, quod ſtupefaciat: ex his quæ in dyſenteria diximus, quibus per interualla vtemur: cùm nimis æger dolore & vigilijs affligitur. Raſes ſuppoſitorio vtitur. Si verò ex apoſtemate, curam dicemus, cùm de hemorrhoidibus dicemus.

De procidentia Ani. Cap. LX.

Ani procidentiæ curatio.

CONtingit id ſæpius fieri, vt diximus, & ſic morbum è morbo naſci. Hic igitur, ſiquidem digitis præ tumore intromitti non poteſt, ſedeat in aqua calida, & butyro miſta, donec detumeſcat, vel foueatur. Vbi verò repoſitus fuerit, aut foueto, aut ſedere iubeto in decocto, vel fumum excipiat, confecto ex aſtringentibus. Sunt hæc gallæ paruæ, nuces cypreſsi, pini cortices, granatorum. Poſtea à balneo vel ſuffumigia fiant, vel inungatur anus oleo myrtino, & inſpergantur hi pulueres. Recipe citoniorum, myrti ſiccæ, roſarum ſiccarum. Iuuabit & balneum, cuius meminimus ſupra in dyſenteria vehementi, & eſt valde aſtringens. Sic enim muſculi relaxati roborantur.

De Diarrhœa Cap. LXI.

DIfficilis est tractatio de fluxu ventris propter iuniores, qui multa capita fluxuum fecerunt sine ratione: nominantes fluxus etiam à causa remota, vt cerebrales, opilatiuos, lotiuos, hepaticos, cùm breuius diuisionem facere expediret ad inueniendos affectus, qui curari debent. Nos igitur diuisione inueniamus hos affectus, quos sub diarrhœa comprehendimus. Tres igitur positos profluuij modos inuenio apud veteres, sumptos à ratione eius, quod excernitur: Vel enim cibum excerni videbát, & appellabant lienteriam: vel sanguinẽ, & dicebant dysenteriã vt 3. de Symp. causis: vel humores alios quæcunque essent excepto sanguine, quę omnia Diarrhœę nomine dicebant. Hoc verò genus, differentias sumebat ex eo, quod excernitur. Vel enim chylum refert, id est cibum in ventre concoctum, sed non distributum, vel alios humores, vt bilis genera, vel pituitæ, vel atræ bilis: & in his nomina propria non imposuerunt semper, sed neque expedit. Sat enim est nos nosse affectus, à quibus talia profluuia fiunt, quibus etiam curatio debetur.

Primùm ergo Rasem sectati, ordine videamus de chyloso fluxu, sic enim appellare possumus, atque eius causas inuestigemus. Eæ traduntur magna ex parte à Galeno secundo Aph. xx. & nos summatim nunc repetemus. Chylosi fluxus tractatio.

Aluus enim plus iusto excernit de portione chyli: quoniam non distribuitur satis in iecur, & ex eo in corpus. Quòd verò non distribuatur, causæ sunt corporeæ, causæ etiam sunt procatarcticæ: sunt autem hæ, cibus humidior lubricitatem faciens, & concoctiuæ vim impediens. Alia cibi multitudo, vnde tanta distributione corpus non eget: quare vt satur dimittit per intestina, ipsis etiam saturatis. Sic enim est retinentiũ natura, vt retineát quousque fruuntur: pòst pellant vt onerosum. Alia est ciborum mordacitas, qua proritant ad expulsionem plurimum, nec contineri satis sinunt. Sub mordacitate verò esse prauitatem intelligo, qua natura insurgit citò ad pellendum. Sed neque attrahuntur aliquando à iocinore praui qualitate cibi, vnde deijciuntur multi. Sed de his modò non loquimur, quos vno nomine solet Galenus appellare cruditates, vt 8. Meth. cap. quinto habetur. Nam statim spõte cessare solent debita victus ratione instituta, & remotis illis causis procatarcticis: sed copia ad procatarcticas causas referri potest semper, vt sit ciborũ copia vel simpliciter, vel in hoc. Sed causæ in corpore sunt, quæ distributio-

nem impediunt, vel vitiata attractio membrorum, & iocinoris: cuius munus est exsugere ab intestinis quicquid vtile est, quousque saturetur (vitiari autem supra diximus frigiditate, & stupore quodam, quo non sentiunt indigentiam) quamuis & alia ratione attractio dimiuni possit, vt quia multo non eget, ideò superabũdat plurimum iocinori, cùm tamen venter appetens natura sit, & concoquat. Et rursus alia da causa, quia obstructæ sunt viæ atractionis, id est venæ mesaraicæ, & sima iocinoris. Et quia erat causa morbosa, ideò secũdo Aphor. 20. dimisit eam, & solùm loquitur de occasionibus, quæ sanis eueniunt in eo loco.

Alia causa est, quòd venter debito tempore non retinet, vt exsugi à iocinore possit. Quòd verò non retineat est, vel quia vis eius cõtẽtrix imbecilla facta est, vt suprà de lięteria diximus: vnde potest quidẽ continere, vsque quo cõcoquatur, sed non vsque quo distribuatur alimẽtum: quare chylosus fit fluxus. Diximus autẽ contentricem vitiari ex frigiditate, & humiditate maximè, vt & Galenus dicit secundo Aph. 20. Alia causa est cur non cõtineatur: quoniam ab acri, & molesto aliquo influxu admisto infestatur aluus, insurgit ad pellendum citius, quàm deceat, vt sunt biliosa & omninò acria, à quacumque parte descenderint: & sic accidit in oris vlceribus tales excretiones fieri diarrhicas, ob mordacitatem eorum, quę defluunt. Sic in catarrhis fiunt: quoniam à pituita descendente debilitatur contentrix ventris & intestinorum: & hoc modò balbi facilè ab alui profluuio capiũtur, sexto Aphor. 32. Sic & in dentitione eueniõt puerulis diarrhœæ, vnde periclitãtur: & ita patet quòd eædem causæ, quę lienteriã faciebant, facient & chylosum fluxũ, & si minores multò sint, sed nõ conuertitur: Nam priuatim hic fluxus fit ab obstructione. Irritant etiam vermes, & hũc fluxum faciũt: vt experiẽtia mõstrat. Notandũ ex Galeno sexto de Loc. 2. ad finẽ, quòd fluxus cibi, vel chylosos in debilitatẽ cõtentiuę deducitur: & intelligit quando nulla iungitur causa proritans & mordens, & appellat fluxum chylosum, passionem cæliacam.

Rases ergo de hoc fluxu agens, primùm ponit causas ex parte iocinoris, dicẽs: & fuerint signa debilitatis hepatis (iam enim posuerat signa ipsius fluxus chylosi per propias notas) mox ex parte ventris. Hìc verò expositores maximè errant, volentes ponere solùm casum debilitatis stomachi, cùm apertè de iocinore loquatur, & nos addimus non solùm debilitate attrahentis iocinoris euenire: sed & oppilatione. Ideo suppleri Rases debet, cũ inquit, Et fuerint signa debilitatis hepatis: vel, supple, oppilationis. Curam autẽ ponit per ea, quæ debilitatem hepatis curant, factam ab intemperie

frig-

frigida: & nos suprà de ea egimus. Quare scopus erit calfacere cum astrictione, & id per aromata, vt aromaticũ rosatum, diarodon diamuscũ dulce, & epithemata, emplastra, & victus ratione omni calfaciente per potiones, cibos, exercitia. Subdit alium affectum à stomacho, describens ipsum per priuationem signorum affecti iocinoris, & positionem signorum affecti ventriculi: & videtur solùm respicere debilitatem contẽtiuę, vt patet, quoniam astringentibus, solis vtitur pulueribus, & electarijs. Nos verò in primo censu causarum, etiam obstructiones cõsideramus, vt diximus. Ideò illis pręsentibus debemus deobstruere: & suprà remedia ad obstructiones sunt posita, in quocunque menbrorum naturalium sint. In secundo verò censu addimus & alium casum, cum non debilitate contentricis euenit, sed ex proritatione alterius materiæ influentis & alterantis, vel corrumpentis: & in eo casu mandanti membro prospicere oportebit, vt vlcera oris curare, vel catarrhos. Postea si malus habitus derelictus sit in vẽtriculo expellendi iusto citius à se cibos, etiam ipsi prospiciemus. In puerulis, quoniam nõ licet causam tollere, scilicet dentitionem, quia est naturalis, attendimus, vt quanto citius fiat dentitio, & vt dolor ex ea factus sedetur: & prospicimus symptomati astringentibus, vt oleo cotoneorum cum puluere aloes, & myrtillorum.

Nunc de reliquis fluxibus tractandum, initio sumpto à cholerico cum Rase, qui sic ait: Si verò quod deijcitur, citrinum fuerit: quo describit qualitatem materiæ biliosæ per colorem, designás fluxum acrem omnem hac vna nota: quoniam plerunque talis euenit colòris, nihil tamen obstat fieri à re omni mordente, vt flaua, ferruginea, fusca, nigra, sicut & dysenteria fit. Ideo hoc vno capite omnes tales fluxus acres comprehendimus: quod is monstrat, cùm subdit, Et anum mordicat, cùm deijcitur. Addit & sitim, & febrem, quæ omnia materiæ calidæ attestantur. His inquit, trochisci cõstrictiui de spodio dentur, & succus hordei cum astringentibus, scilicet spodio, de quo tamẽ ignoramus quod sit. Ideo omnes medicinas factas à modernis hodie cum spodio reijcimus, ignorantes quid Arabes sibi eo nomine significarint. Verùm hæc doctrina Rasis est multum præceps, si quis sequatur eam, nulla alia distinctione adhibita. Ideò aduertendum quòd heri diximus, fluxum chylosum semper corrigendum esse, neq; vnquam bonum: at cæteras diarrhœas aliquando iuuare, & lucro esse. Sic enim scribit Galenus 7. Meth. Solet in quibusdam per diarrhœas ex interuallis venientes vniuersum corpus expurgari. Similiter vtiles sunt, cum scribit sexto Aph. 17. Lipientem diarrhœa capi bonum est. Et rursus quarto Aphor. 28. Sur-

Diarrhœę tractatio

Medicinæ omnes factæ à modernis cũ spodio reijciendæ.

ditatē biliosa deiectio sanat. Et quis ignorat quòd multi morbi iudicantur excretione ventris? Aliquando tamen ita profluit aluus, vt multò sit incommodo, vt cum corpus colliquat, & contabefacit, vnà vtile, & inutile secum ducens: vel cum adeo vehemens est, vt vires deijciat, sicut in cholera morbo euenit. Si quis ergo à nobis quærat de profluuio diarrhico, an sit symptoma expultricis quoniam plus iusto venter excernit: non licet respondere citrà distinctionem: sed quòd vel sequitur naturę opus legaliter operantis in corporis expurgatione: seu morbum iudicet, siue non, sed solum cacochymiam excernat, propriè symptoma non est dicendum. Si comparetur ad aliud profluuium, quod prorsus fit morbi ratione: vel si vtrumque, symptoma dici debet. Patet quòd sicuti de tussi Galenus dixit, debere appellari quodámodo naturale symptoma, 2. de Sympt. causis ad principium sat nobis est quòd cum à natura primò & maximè est, non ex proritatione, remedium non exigit, sed sinendum est. Sin morbi ratione, & eius causarum proritantium excretricem, tunc non temerè sinendus est, nec temere constringendus. Tunc enim non est naturæ opus, sed naturæ vehementer & nimium proritatæ. Illud ergo colligimus, quòd non semper restringendus est fluxus: imò quandoque iuuandus, si aliquod impedimentum forte ad esset, & pigra esset in opere natura. Nam si temerè retineas, recurrens materia acris, vel febres, vel herysipelata internorum, aut aliquod eiusmodi magnum malum efficiet. Tunc verò opera medici ægent, cum superfluunt. Dico autem superfluere cum vires deijciunt confertim, vt in crisibus symptomatis factis in crudis humorib. vel sensim, cum corpus colliquant, & cōtabefaciunt. Accidit verò colliquatio hęc in prauis febribus decimo Meth. ad vltimum, quæ corrumpunt massam humorum, & ad malam qualitatem perducunt putredine: vnde fętentia deijciuntur, & vnà pinguia: quoniam pingue adnatum membris torretur febre, & liquatur. Sed nunquid retinendum cum dysenteriæ est metus? Respondetur, quòd non, sed defendenda intestina à morsu his, quæ leniunt quidem, sed nullatenus astringunt, vt potu cocti lactis, & aquæ hordei, & clysteribus eiusmodi, quæ diximus capite de dysenteria.

Colliquationum curatio.

Cura verò colliquationum ponitur à Gale. decimo Meth. ad finem, & est remedium ardentis febris, vt scilicet & aqua frigida potetur, si nihil prohibet: quòd si ob gracilitatem verearis confertim occurrere, minus, sed frequentius dabis, vel etiam aquam hordei, & extrà locis maximè calentibus epithemata frigorifica applicabis. Ea resumenda sunt, quæ suprà in herysipelate ventriculi diximus:

partim

partim etiam altero anno de febre ardente posita sunt emplastra, perfusiones, inunctiones. Solent verò his, si euadant, tabes facilè succedere. Alius casus quando restringendus est fluxus, est in crisi symptomatica, cum ad tumorem perducit: in quo casu illa eadem conueniunt, quibus suprà in cholera morbo vtebamur. Nam & ille motus quamuis alium morbum non sequatur, sed solùm cacochymiam, similis est critico, & quantum ad modum, motus subitus: sed crisi symptomaticę est similis, quia sola fit proritatione. Alius casus cum diu durat fluxus hic, propter cacochymiam quę in toto est, prouenit tamen à parte aliqua, cuius occasione aceruatur, vt mala temperies iocinoris: vnde praua hæc excrementa gignuntur: vel quia non expurgatur sanguis, vt vitio renum & lienis: vel quia excrementa quæ excerni alia via solebant, sunt retenta, vt fieri vidi in mulieribus, quę non benè per menses purgantur. In his inquam casibus non est quidem restringendus fluxus, sed causæ medendum, sanãdo membra affecta, & aperiendo commodas expurgandi vias. Si verò ex diutino fluore aluus debilitata iam neque chylum continet, commoda erit cura, quæ heri est posita: his scilicet quæ contentricem roborant astringentibus, & potatis, & extrà admotis.

De urinæ suppreßione Cap. LXII.

DIcturi de morbis, quæ vrinalibus instrumentis eueniunt; necesse est primùm, quę sit eorum structura, & natura omnis, in memoriã reuocare. Inde enim & morborum causas inueniemus, & curandi rationem. Igitur aquosus humor, qui velut serum sanguini est admistus, necessarius erat, vt promptè distribueretur, eo pacto dilutus, & attenuatus. Plurimum autem sibi eius adesse oportuit in transitu, qui è vẽtre ad iecur fit: quoniam inconfectum adhuc alimentum, & crassa multa substantia admistum. At non æquè in distributione quæ post iecur fit. nam confectus magis, & venæ latiores sunt: aliquid tamen eius ferri oportuit. Sed si plurimus esset, vtpote, qui non nutriat, putredinis esset occasio, vt & fieri videmus in his, qui plurimos fructus æstate comedunt. Itaque prouida natura statim ipsi cauæ venæ, quæ stelechiea dicitur implantauit renes duos, ea vi dotatos, vt traherent aquosum sanguinem, futurum sibi conueniens alimentum. Ita enim natura eorum est, vt lieni crasso sanguine ali. Id autem attrahunt per vasa duo, quorum alterum ab arteria aorta, alterum à caua vena descendit. Post modum cum caro eorum quicquid sibi vtile fuerit assumpserit, reli-

Vrinalium instrumẽtorum structura.

Vrinarij meatus vnde ortũ habeant.

quum in cauitatem quandá mediam, inde in vrinarios meatus mittit: qui continuo, & ferè recto ductu ad vesicam ferũtur. Est autem vesica vrinæ receptaculum, ita institutum, ne perpetuò sese permingeret animal. In hanc vtrinque implantãtur hæc vasa ita, vt ingressus eorum forma similis sit meatui follis: qui quidem externũ aerem admittit, sed mox egredi non sinit, sed membranam habet meatui obuiam, tanto magis impingentem, quanto magis flatu follis fuerit repletus. Id & in vrina euenit, vt retrocedere nequeat cum repleta fuerit, neque à vesica rursus in vrinaria vasa transumi. Hìc igitur continetur quousque molesta sit vel quantitate, vel qualitate sua: postea quando animali libuerit, ipsam pellit. Etenim intus cohibetur musculo circulari, collo vesicæ obuoluto adeò, vt tametsi angat & proritet, non tamen emitti possit: nisi quando magno impetu & violento vrgeat. Circa hoc primùm quæritur: si ratione alimenti est aquosus humor, ergo in omni animali: Cur ergo quibusdam expurgatorium natura dedit, non omnibus? Equidem in sicco excremento omnibus dedit. Respondet Aristoteles tertio de Par. 8. causam esse potum exiguum, quo ea animalia vtuntur, vt sunt genera auium. Quòd enim exiguo potu sint contenta, experientia monstrat: multa enim genera ne potant quidem: at quæ potãt, exiguum potant. Rursus verò quòd exiguo sint potu contenta facit natura eorum, quæ sicca est: siccis ergo gaudet. Vnde & Hippocrates siccitatibus, & squaloribus gaudere ait auium genus, præsertim quæ in aere plurimum versantur. Aliam verò attulit causam Arist. nempe quòd pulmonem habent fungosum, & pauci sanguinis. Vnde cum non adeò multum caloris obtineant, hinc non adeò sitiunt: vnde exiguo potu contenta sunt. Primùm animaduertẽdum, quòd ait fungosum habere pulmonem, durum dictum est: verbum illud σομφὸν, melius vertitur laxum, vel innane, quasi dicas sanguine vacuum. hæc Aristot. Sed ratio nostra est melior. quamis enim calore pulmonis sitis aliqua fiat, attamen hæc vera sitis non est, vt suprà monstrauimus, sed quæ à ventre. Præterea non calor est, qui propriè sitim dictam faciat, id est humidi appetentiam, sed siccatio. hæc obiter. Quod dicit Aristoteles ratione cibi potum sumunt, potius quàm vt sitiant, intellige non posse sine aliquo potu nutriri ob cibi distributionem. Contrà quomodo quæ non bibunt? An calore vehemeuti extenuatæ sunt? Preterea sanguine animalium plurimum aluntur. Quòd si dicas contrà Aristotelem, necessariò aliquem humorem serosum habent in venis: quomodo ergo expurgabuntur? Respondeo, transibit in cutem, atque ibi pennas gignet excrementum hoc, partim verò & insensibiliter expurgabitur transpirando.

Auium genus siccitatibus à squaloribus gaudet.

ſpirando per cutem.

Dubitatur etiam, quia dictum eſt, veſicam vrinariam ſuſcipere ſolùm excrementa,non attrahere ad ſe,ſecus ac de veſica fellea. Id aſſerit ſexto de Loc.3. At contrarium ſcribitur quinto de Vſu partium. Vtraque inquit veſica cum purum excrementum attrahat,neceſſe eſt,vt alia vaſa habeant,quibus nutriantur. Nam illud excrementum non eſt nutriendo. Reſpondeo,temere prolata verba,intelligit attrahere pro altera parte,id eſt pro fellea veſica: in cõmuni hoc habent,vt tale excrementum recipiant, quale diximus. Nunc ad affectus veniamus. Igitur mictus partim naturalis operatio eſt, partim voluntaria,vt Galenus diſputat ſexto de Loc. 4. ſicut & deiectio. Nam ſi renum attractionem reſpicias, ea naturalis,ſi defluxũ per vreteras,& eorum impulſionem in veſicam, itidem naturale opus eſſe concludes, vt & mox veſica inſurgens ad pellendum per naturam mouetur: habet enim potentiam expulſiuam naturalem, quam Galenus deſcribens ait, opus eius eſſe comprehendere. Sed hoc verbum comprehenſio, non exprimit vocem illam Galenicam περιστέλλεσθαι, id eſt circunſtringere, quod motum expultricis per circulares fibras ſignificat. Quoniam verò ad libitum etiam poſſumus ſiſtere vrinæ impetum, & admitere exitum, hinc dicitur actio per electionem:& dicetur opus animale:eſt etiam animale ob muſculos abdominis,qui aliquando concurrunt in reſoluta, & torpida veſica. Hinc fit, vt ſymptomata in vrinæ excretione eueniant,& quatenus naturale opus eſt,& quatenus animale. Qua quidem naturæ opus, defectus, exuberantia. Sub defectu verò aut omnino ſuppreſſam comprehendo, aut dificilem exitum. Eueniũt & in excremento eo mutationes præter naturam, cùm nõ aquoſus humor ſed ſanguis, vel ſanies, vel arena mingitur: qua verò animale opus eſt,vnum ſymptoma inuenitur,id eſt inuoluntarius mictus.

Horum ergo cauſæ inueſtigandæ ſunt,id eſt affectus, à quibus fiunt hæc ſymptomata:& præterea affectæ ſedes, quæ ſæpè obſcuræ ſunt. Incipiamus à ſuppreſſa vrina, mox de ſtillicidio agemus. Hoc ſymptoma neceſſe eſt prouenire,vel quia non attrahitur vrina; vel quia in veſicam non excipitur, vel quia à veſica non emittitur. Aliquando tamen auerſione ad alias partes fit, vt ante rigores vrinę ſuppreſsio ſecũda.6.Epid.In primo caſu renum erit affectio:nẽpe cuius actio eſt,eius & ſymptoma:In ſecundo caſu meatuum deferentium.In tetio caſu fiſtulæ vrinariæ dictæ. Incipe à primo. Cur igitur renes non trahunt? an debilitata vi attractrice? hoc antem frigiditate fit maximè,vel ex intemperie, vel reſolutione ſpiritus, vel ab apoſtemate,vel alia cauſa doloré inferente,vt obliuiſci faciat

naturam proprij muneris. In ſecundo caſu obſtructionem fieri neceſſe eſt, vel ex humore, vel lapide, vel tumore tuberculi, vel alias ſupercreſcente carne, vel aſtrictione, ſeu conniuentia: quę fit ob aliquam inflammationem circa rectum inteſtinum, vel partes veſicæ. In tertio caſu ſimiliter obſtrutio cauſa erit, vel quia multitudine diſtenta ſe nequit colligere. Dubitat Galen. num veſica reſoluta, fiat vrinæ ſuppreſsio, vt quidam dixerunt. Reſpōdet Galenus capite quarto, quòd non. Nullus enim inquit ſpinæ affectus veſicæ tantam imbecillitatem afferre poteſt, vt inde vrina ſupprimatur: quia opus naturale eſt, non voluntarium: itaque tolli non poteſt ex læſione virtutis, quæ à neruis; quoniam ab hac fiunt motus voluntarij. Cōcludit igitur quòd reſoluto muſculo veſicæ, non vrinæ ſuppreſsio, ſed inuoluntarius exitus eueniet. Paulus verò contrà, cap. de veſica paralyſim patiente ſcribit, aliquādo fieri ſuppreſsionem vrinæ ex paralyſi hac, aliquādo inuoluntarium mictum: pro vt ſcilicet vel veſicæ corpus malum afficit, vel muſculum, qui ceruicem ambit. meminit huius capite quoque de paralyſi. Ego verò torpentem vidi veſicam ex opij potione, & ſuppreſſa prorſus vrina erat. Muſculus verò ceruicem ambiens validus erat, & optimè claudebat: & ratio dictat hoc fieri poſſe. Nam vbi moleſtiam veſica non ſentiat, ablato ſenſu per reſolutionem, nō inſurget ad expellēdum, excipiet tamen vrinam perpetuò, ſed ſupprimetur. Galenus quoque hoc fatetur paulò infrà cùm ait: Accidit vt non reddatur vrina ob ſenſum veſicæ obtuſum. Reſponſio igitur eſt, non negare hoc Galenū de veſica reſoluta, ſed de reſolutione muſculi: attamen minus accuratè ſcribit. Hæc de cauſis ſuppreſſę, vrinę quę etiā & vrinā difficilem faciunt. Supereſt, vt ſedes affectas veſtigemus, & ſigna.

Voluntarius motus vnde.

Primùm igitur cauſæ hæ per notas ſunt diſtinguendæ, vt ſciatur quæ modo affligat. Hìc verò conſulit Galenus primum procatarcticas cauſas omnes examinare: ſecundò ſi qua antea viſa ſunt circà ægrum ſymptomata. Dico autem procatarcticas cauſas: vt caſum & plagā circa dorſum, vt opij potum, vt frigidi validū occurſum vel retentionem nimiā vrinæ alia ratione. Hinc enim affectum, qui ſit agnoſces, & non parum affectā partem coniectabis: quæ verò antea in eo ſunt viſa, vt morbos, vel ſymptomata præcedētia, febres, apoſtemata renū, vel veſicæ, vel vlcera, & quę ab his deſcendūt, ſanguis grumi, pus: ſimiliter & dolores circa lumbos, ſeu apoſtemate, ſeu obſtructione craſſorum humorum, vel arenarum euenientes: ſiue etiam in alia parte ſint, qui attineant ad inſtrumenta vrinaria. In his poſtea excrementis iubet conſiderare quantitatem, & miſtionem. Nam multus ſanguis, vel pus multum, non poteſt à veſica,

Vrinæ ſuppreſſæ ſigna.

vel vre-

vel vreterib. colligi ob exilitatem vasorum. Poteſt verò à renibus, Miſtio autem id monſtrat ſi magna ſit, ex renibus: ſi parua, ex veſica. Sed melius eſt ſingillatim vnumquęque caſum examinare. Sit igitur primum vitio attractiuæ renum: quomodo affectus, & pars affecta diſtinguetur? Hìc eſt primus caſus, quem Raſes proponit, & ſic coniectatur: Si vrina ſupprimitur, neque tumor apparet in femine, aut grauitas, dolorue in renib. per primū enim ſignum excluſit quòd ad veſicā vrina non deſcendit, neq; per vreteras: per ſecundum excluſit, quòd in renibus neque obſtructio à lapide ſit, neque à pure, vel craſſo humore, vel apoſtemate: quare concludit eſſe imbecillitatem renum. Male expoſitores expultricis aiunt eſſe: Nam ſtatim grauitas appareret. Male etiam ad veſicā concluſionē referūt cum ad renes ſit referēda: & eſt cōiectura certiſsima, & affectus: & partis affectę: prȩſertim ſi nouerim⁹ renes, vel ſenio, vel longo morbo, vel à cauſa refrigerante eſſe debilitatos: Adſint & ſigna propria frigidorum renū, vt vrina alba, tenuis, ex Paulo. His adde ad maiorē coniecturam, quòd nihil præceſsit neque caſus, neque refrigerantia veſicam: neque viſa ſunt, quæ obſtruere queunt, ſanguis, pus, phlegma, arenæ: ad quam etiam coniecturam iuuabit præcedens victus ratio omnis. Sic ſigna quoque aduentantis criſis excludes cuius ratione aliquando vrina ſupprimitur, ſexto Epid.

Sit igitur hoc noſtrum primum caput de debilitate attractricis renum, vel etiam expultricis: cuius in primis curam ponere oportet: & erit per ea, quæ vrinam prouocant, inquit Raſes: id eſt per ea quæ facilem, & fluxilem faciunt vrinam attractu, & quæ renes calfaciunt: quamuis hic caſus admodum difficilis eſſe videatur. Paulus ſic curam inſtituit: ſi frigida intemperies adſit, vinum calidum, quæ vrinam cient de cibis & medicamentis, & calidæ inſeſsio. Medicamentum Raſis eſt efficaciſsimum: patet pro indigentia, rubiam ſcilicet quæ etiam craſſam, & cruentam vrinam ducit. Semen iuniperi eſt efficaciſsimum, & facilè parabile. Similiter cantharides præ omnibus, quibus vt inutiles abſcinduntur partes excarnes: ſimiliter ammoniacum, amigdalæ amaræ. Sed mitiora remedia ſunt ſabinæ potus, & ſeminum iuniperi, & ſpicæ celticæ, & ruſci fructus. Hæ potiones dandæ ſunt, vbi æger in balneo fuerit, vel paulò ante balneum.

Renum attractricis debilitate curatio.

Raſis medicamentum efficaciſsimū ad ciendā vrinam.

Alterum verò caput ad meatus pertinet: quorum eſt ſuſcipere, ac pellere. Peccant hi obſtructione: priuatim verò veſica debilitate pellendi, quæ vel diſtentione fit, vel ſtupore. Primûm ergo de obſtructione dicamus. Hæc, vel fit pituita, vel thrombo ſanguinis, vel arenulis, vel lapide, vel ſanguine: quorum ſingulis propria cura-

tio danda est. Agnitio verò affectuum tum ex præsentibus, tum ex præcedentibus fiet. Ex præcedentibus quidem, quia notæ lapidis, vel arenarum nullæ in vrina præcesserunt, sed ea crassa sedimento, & muccoribus plena, causam obstructionis significat. Si thrombus sanguinis mictus præcessit: si sanies præfuit, apostema in renibus, aut mictus saniei purgata alia parte corporis, vt gibbis iocinoris. Quamuis Galen. etiam ab alijs partibus prouenire posse dicat, tamen ad medicũ nihil refert, dummodò nouerit modò obstructionem esse, & à qua materia. Sedem verò obstructionis, id est in qua parte fiat, facile est conijcere. Si enim renum meatus obstructi, ea parte grauitas percipitur, & multa fit materierum cum vrina permistio: Si in vreteribus situs docet, qui ex anotome est petendus: si in vesica, eius repletæ signa adsunt, quamuis sæpè non in vna parte sit, sed in pluribus. Obstructos ergo renes à pituita sic curabis: primùm corpus vniuersum pituita vacua, ventrem ducendo hieris, electuario Indo, Diaphenicõ terebinthina: idq; iterato, ob metum ne obstructio maior fiat. Mox ea quæ incidant cum diureticis admiscebis, vt oxymel simplex, & scylliticum cum decoctis dictis: Balneis quoque vtemur: sed Terebinthina vtriq; prospiciet: Nam & ventrem vacuabit, & renes deterget. Hic verò postremò aquarum vsus est idoneus, vt salsarum, nitrosarum, & sulfurearum. Eadem cura est si sanies adsit. Si verò thrombus, vbi mictum sanguinis sanaueris per ea quæ dicta sunt, mox thrombos tolles proprijs medicamẽtis: & acetosus potatus est optimus, & coagulũ leporis, vel hædi, vel hinulę: sed propria signa thrombi pæsentia etiam adsunt dolores, & labores, quos sanguis cõgelatus affert, sex. de Loc. 4. Quòd si circa vesicam sit malum, etiam per vrinariã fistulam aliquid est inijciendum, idque per syringam, qua semper vtendum repleta vesica, nisi apostema affuerit, tũc enim proritatur locus. Quæ verò immittuntur sunt oxymel, & lixiuium, de quibus Rases meminit. Hic verò maximè sessiones iuuant.

Renum obstructorum à pituita curatio.

Altera causa suppressæ vrinæ est ex his, quæ adnascuntur circa maximè vrinariam fistulam. Sunt autem ea, vel in ea adnata, & hæc propriè obstruũt: vel in coniunctis partibus, & hæc coarctant. Sic igitur vrina supprimitur ex sedis inflammatione, vel vuluæ: quæ si accidant, propriam habent ex suo capite curationem. Si autem in vrinaria fistula fiat, vel tuberculum, vel post vlcus supercrescens caro, vrina obstructione supprimetur: Et hic secundus casus sæpè euenit. Appellant autem carnem callosam, vel tumentem, & est callosum vlcus. Cuius sunt signa quòd longo tempore præcessit malum, quòd Gonorrhœam dicunt. At re vera gonorrhœa non est, sed

Vlceris callosi in fistula vrinaria signa

est,sed vlcus. Vulgus verò ob similitudinem non distiuguit naturam saniei, à natura seminis. Si ergo non bene curetur eius vlcus, quod etiam plurimum euenit ex coitu, equitatione, malo victu in cibo,& potu, fit cacoethe,& tandem callosum. Signum autem supercrescentis carnis est fistula immissa, quæ dolorem ciet, & cruorem.

Igitur quomodo vlcera earum partium curentur, seu antiqua, seu recentia, postea dicetur: nunc solùm symptomati succurrẽdum est,tentãdo per syringã si penetrare possit, si non possit infundatur amygdalinum oleũ tepidũ, & æger in balneo ponatur, & minuatur potus,& omnia,quæ vrinam multiplicant,donec sedetur accidens. Quòd si tuberculum adsit, eius maturationi & citæ ruptioni est intendendum, cum his quę extrà aponuntur. Si verò phlegmone, sanguis ex crure mittendus, mox ex hemorrohidibus:& aluus lenienda. De localibus vtendum chalasticis, vt phlegmone exigit vt altheæ, fœnugræci,seminis lini decocto. Rases hîc sanguinem mittit ex basilica. Hoc fortè bonum esset,vbi malum ex sanguinis spontaneo fluxu fieret,idque inter initia: sed vbi iam eò deuenit, vt obstruat,& fiat à causa procatarctica, sæpius eueniet vt fieri debeat ex crure sanguinis missio. Galenus hunc casum ponit, & se curasse dicit cum his,quę phlegmonem sedant.Signum huius inquit,quòd à phlegmone, quoniam non statim difficultas erat mingendi, sed superuenit.

Altera causa vrinæ suppressæ est lapis,qui vesicæ collo obuoluitur. Igitur hîc pręcessisse,vel adesse lapidis signa est necessariũ:quæ à Rase scribuntur sequẽte capite: tunc cura erit vt transponatur,vel extrahatur, idque vel medicamento,vel chirurgia.De medicamentis pòst dicetur sequenti capite: quoniam cõmunis est cura renum & vesicæ.Nunc de trãspositione quæ fit elatis cruribus, quatiendo pedes diu modis multis, donec à meatu abscedat.Id etiam fieri potest fistula. Sæpè verò & sine labore extrahitur cum in virgam inciderit: Ipsam enim inferna parte vulneramus.Sunt & qui summam glandem,id est eius meatum aperirent ab inferna parte,&extraherent.De extractione verò quę fit incisa ceruice vesicæ, sequenti capite dicetur.Hæc de obstructionibus.

At si ex paralysi vesicæ fiat, necesse est pręcedere causas id facientes: vt si ceciderit (quem casum aliquando vidi) vel aliter refrigerata nimium parte, ita vt sensus pereat:vel ex opij potu. Sed maxima nota est, quòd sine dolore tumet.Tunc primum vacuanda, comprimendo vesicam:mox calfactorijs, fotibus, sessionibus curanda. Si verò distentio nimia facta sit, comprsione vtemur,

vel syringe: mox lenientibus dolorem, ex vino, & oleo, & rosis.

De stillicidio urinæ & mictu inuoluntario Cap. LXIII.

MOx Rasis capiti addamus de stranguria caput, & de inuolũtario mictu. Igitur vrinæ stillicidium fit vitio contentricis: hoc autem ei aduenit, eo quòd nimis proritatur: proritatio verò euenit, aut vrinæ ratione, quæ mordax est; aut vesicę ratione, quæ cùm sit imbecilla, tametsi exiguam, vrinam continere nequit, sed statim ad pellendum irritatur: vel quia male affecta cùm sit, vt vlcerata mordetur: nisi placeat hoc caput ad debilitatem reducere. Vel ita potius dicas: Fit stillicidium proritata expultrice, idque vel ex qualitate vrinæ: vel ex statu vesicæ: idque quia ex vlcerata patitur ab omni, vel grauatur imbecilla ab exigua quãtitate: imbecillitas verò fit, morbo, intẽperie, tumore præter naturam, lapide. Quæ igitur ob mordacitatem euenit, vesicæ inquit Gale. non est affectio: quoniam ab alijs partibus hæc mordacitas gignitur: non ita tamen intelligendum, quin afficiatur vesica, imò dolet ex affectu proprio, id est ex morsu, sed quòd non est in ea affectus perdurans: non enim aut vlcus, aut intemperies est in ea, vt in secundo causæ modo, vbi ob vlcus, vel debilitatem contractam ab intemperie, aut morbo instrumentali vrinã retinere, vel exiguam nequit. Inuoluntarius verò mictus, vnam causam habet resolutionẽ musculi stringentis vesicæ collum. Hoc accidit ex frigiditate, sed plurimum vulnere, vt in his, quibus lapis extrahitur, aut dolore multo, vt in partu difficili. hos casus sæpè vidimus.

Vrinæ inuoluntarius exitus

Cura ergo huius paralysis eadem erit, ac stuporis: & facile erit occurerre, si ex intemperie fit: si verò ex casu luxatis vertebris, difficilis est cura, ex chirurgia petenda. Stillicidium autem curam habet: si ex acritudine humorum in venis, deriuare ad aluũ, & victus rationem instituere, quæ dulces succos gignat, & maluarum decoctum, & glycirhizę in potu dare, & aquas frigidas potestate, & ijs insidere, & extrà inungere frigidis. Si verò vlcera iam adsint, ad propium vlcerum caput recurrendum.

De lapi-

De lapide renum, & uesica. Cap. L XIIII.

VNa ex causis cur supprimeretur vrina hæc erat, de qua modo agendum. Est enim affectus multis partibus communis, non vni soli: Laborát enim eo renes, laborát vreteres, laborat vesica: aliquando & in colem descendit: sed locus generationis est maximè, vbi excrementa quæ ea parte feruntur, detinentur magis: & sunt renes primùm, mox vesica. Atque in vesica quidem. quoniam nó paruo tépore vrina in ea retinetur, & facit subsidétiam eo loco, qualem videmus & in matulis facere. At in renibus non retinetur nisi modico tempore: sed propter loci angustiam, tale excrementum non facilè truditur. Vniuersim igitur lapidis generatio à crasso, & terrestri fit succo: Nametsi glutinosus natura est, tale euadit quando vehementius exuritur: ita vt crassus, & terreus fiat. Quòd si crassitiei viscididitas aliqua sit iuncta, tunc magis consistunt lapides, & duriores fiunt, & minus friabiles: Si verò terreus humor solus sit, potius quod tophum dicere solent, efficiet non durum lapidem. Ambas has differentias cernimus fieri: atque hîc minutas arenulas coloris varij, id est modò flauiores, modò rufas magis: aliquando & rubras, pro ratione scilicet humoris, ex quo gignitur: cui necessariò pars crassa, & aliqualiter viscida est mista, nunc magis, nunc minus. Quòd si vniuersim facta sit concretio è pituita, cineritio colore visuntur lapides, & arenulæ. Hæc est materia sexto Epid. primo Aphor. 5. Generans verò est calor tempore exurens, & absumens quod est tenue, & aqueum in ea consistentia. Sic igitur in vasis, in quibus aqua calfit, lapidé gigni videmus ex aquæ subsidentia, quæ pòst calore in vase derelicto siccatur: quin & per quæ aquam haurimus, siquidem in his diu maneat, talem facit subsidétiam, præsertim in planis locis hausta, maximeque palustribus. Vnde & ad lapidis generationem multum facit. Talem consistentiam & in balneis fieri videmus. Ex quibus sequitur calculos seu in renibus, seu in vesica fieri his maximè, qui pituita crassa, & viscida abûdant: qui etiam articulorum doloribus capi solent: vnde sæpè hæc duo simul iunguntur. Facit autem in primis materia ciborum, vt de his, qui lacte, & caseosis aluntur Galenus prodidit quinto de San. tuen. & de Alimétis cap. de lacte. Talia sunt & carnes glutinosi alimenti, & azymus panis, & aquæ stantes, quales diximus.

Cum verò in omni ętate lapides gignantur (est tamen loci diffe

Lapis in pueris colligtur in vesica, senioribus autem in renibus & cur.

rentia quædam) quando pueris in vesica potius colligitur, senioribus in renibus: quamuis & senes multos in vesica lapidem habere videamus. Sed in pueris, id est lactentibus, & mox adolescentibus, magis causam inquiri Galenus sexto Epid. libro tertio Aphor. 6. & est, quòd crassa, & viscida, quæ cùm vrina ferũtur (materia lapidis) in pueris quidem caloris multitudine & fortitudine expultricis fusa, traducũtur ad vrinarios meatus, & vesicam. Ibi verò moram trahens materia calore loci concrescit. Accidit autem hoc etiam lactẽtibus fieri ratione lactis: siquidem nacti sint lac crassius, quale est ouillo simile. At in senibus, vel cõsistentibus, naturales vires tantũ robur non habent: vnde non expurgantur ijs renes ob vasorum angustiam, sed retinent, & exurunt. Quòd si mediocris calor eius partis sit, id fiet solùm in materia crassa: si validus, etiã mediocrem materiam exuret, & lapidescere faciet. Causa verò cur crassa puerorum vrina sit, quod & Hippocrates testatur in Progno. 2. 33. est primùm ob voracitatem. Nam plurimum capiunt cibum: secundò ob motus inordinatos. Hæc Galen. 3. Sexti Epid. Hinc enim fit vt crudus multus humor traducatur in venas è primis venis & ventre: & vt calore, & motione extenuatus, per meatus omnes cũ vrina feratur. Ex his patet falsum esse vulgo dictum, quòd ex colore conijcias, num à renibus, vel à vesica. Color enim misturam humorum arguit solùm. Secundò patet nõ esse ex colore præsagiũ, nisi de natura humoris, quem pituitosum magis, vel minus conijcis. Notat quoque Galenus ex Hippocrate ex pure gigni posse lapidem rupto abcessu aliquo.

Lapidis in renibus geniti signa.

Calculosos sic dignosces. Primùm quidem eos, quibus in renibus, aperiunt crassę vrinæ quæ pręcesserunt, & arenosæ, vel sabulosæ. Sæpè verò & contriti sabuli frustula micta sunt: & plerumque prius leuiore aliqua doloris accessione tenentur, à qua mictu plurimo sabuloso leuãtur. Vbi igitur cum dolore circa renis situm vrina vel supprimitur, vel præter morem tenuior redditur, talem affectum demonstrat adesse. Siue enim meatus renum, qui ad vreteras, seu ipsi vreteres obstruantur, hoc idem eueniet. Hippocrates verò alia signa addit sexto Epid. primo, Aphor. 5. & primùm quæ communia sunt colicis de nausea & vomitu, quamuis in colicis sit multò maior, vt & Galenus annotauit: vtrique autem leuãtur vomitu. Colici, quoniam laxiora spacia fiunt inflato intestino, vel discurrentibus flatibus. In renali verò dolore: quoniam repleta intestina coarctant renes lapidibus afflictos, vnde geminatur dolor & excretiones ventris difficiles in colicis magis & flatuosæ. Cõtrà verò hîc vrinæ paucæ. Quod verò ait, solui dolores à vomitu cibi, intelligit

de

de accesſione doloris vehementi. Nam cauſa, id eſt lapis hinc non tollitur, quamuis contingere poſsit ex vomitu ſitum lapidis minus doloroſum fieri. Sic & ex chlyſteri eadem ratione leuantur: Nam cibum hîc vult Galenus intelligi, quod inteſtinis cõtinetur. Quod verò ſubdit, ſoluuntur vbi cibum vacuarint: ſimul legendum eſt cum reliquo, id eſt ſoluuntur vbi arenoſa minxerint. Hoc enim in fine morbi ſoluto lapide euenit. Addit & ſanguineum mictum, qui non neceſſariò euenit, ſed frequenter, vbi lapis aſper, & anguloſus per anguſtos meatus fertur: quando etiam dolorem grauem id eſt vehementem facit. Si ergo adueniat, certum erit lapidis argumentum. Sequitur aliud ſignum de torpore cruris eiuſdem partis cum affecto rene. Intelligit autem torpere, id eſt ſtupidum quẽdam dolorem ſentiri, qualis ſæpè in cruribus ſentitur etiam ſanis, ſi incommodo ſedendi ſitu ſint vſi. Hunc conſenſum in vaſa refert Galenus quæ in rene affecto diſtenta, & dolentia, dolorem ad crus communicant, communicata per cauam venam fibrarum diſtentione. Sic lapidem in renibus conijcimus cõſiſtentem: ſed cum mouetur ad vreteras, & dolor increſcit, & cruenta mingunt, ſentiuntque ægri apertè mutatum doloris ſitum; imò & deſcendere eos ſentiunt, donec & ad inguina dolor fiat, qua parte vreteres cõmittuntur veſicæ, quando etiam multa ſpes eſt liberatum iri hominem, vt ego aliquando in muliere vidi, quæ lapides duos minxit: quotidie mouebantur medicamento aſſumpto, & cruorem mingebat. Demum cum ſubito ceſſat dolor, in veſicæ capacitatem exilijt lapis & paulo pòſt mingetur, qua parte rurſus dolorem excitat, & cruorem. At in veſica, ſi nouus ſit, nec adhuc adeò magnus, præceſsit craſsi humoris & pituitoſi mictus, adeò, vt matellæ fundus tali pituita plenus appareat: hæc autem lapidis materia. Ipſius verò iam concreti ſigna clara ſunt, cum vrinam ſupprimit ex ſyringa; hoc autem facit, cum minor meatũ claudere exactè poteſt. Nam ſi magnus, potius grauádo facit ſtillicidium vrinæ. Priuſquam verò ſyringa vtamur, quibuſdam ſignis diſtinguimus, quę Raſes poſuit ex Paulo: quoniam æger geſtit ſæpè penem contrectare, & ipſe penis ſæpè erigitur: quod ſanè accidit & his, qui vlcus, vel dolorem aliquem in eo ſentiunt. Nam dolore repletur, & intumeſcit. Quòd ſi magnus ſit lapis, & ſæpè in equitando dolorem percipiunt, & quaſi pondus graue in veſica. Addit Raſes de exitu ani, id eſt procidẽtia, quod euenire poteſt conſenſu recti inteſtini ad veſicam. Ego tamen hoc nõ vidi, euenit hic morbus pueris, ſed maſculino ſexui magis: quoniam breuior, & latior eſt fęminis via, qua veſica expurgat ſua excrementa: ibi longa & tortuoſa, vnde retinẽtur excremẽta facilè.

Vidi tamen non rarò fieri & in vesica. hæc de signis.

Cura: Cura verò considerari potest in ipsa mali accessione, id est cum dolor vrget: idque maximè in renibus, postea in tempore remissionis. Incipiamus à lapide dolorem causante, vel etiam sine magno dolore, obstructionem faciente meatus vrinarij: adeò vt vrina supprimatur. Hoc enim non semel fieri vidi, vt vrina prorsus esset suppressa, nihilq; in vesicã descenderet, & tamen non aderat magnus dolor, sed vel nullus, vel exiguus. At prius de prognostico dicendum, quòd vbi ex excretis apparet sabulosum, & friabilẽ esse lapidẽ aliqua est spes: si verò durũ conijcimus (siquidem antiquus sit morbus) nulla est spes in renibus: quoniam nec chirurgia iuuat. Aliud de termino septimæ diei falsum est: Nam quidã etiam ad xvij. cum peruenissent, incolumes euasere. Cum igitur dolor vrget, vomitus primũ ciendus, sæpius tamen sponte euenit. Hinc enim non solùm dolor mitior redditur, sed & lapis mouetur à loco, in quo impactus dolorẽ facit. A vomitu clysterem lenem inijcies ob eandem causam Tertiò medicamentum propinabis aluum leniens, quod simul renes respiciat, vt casiam cum oleo amygdalarum dulciũ, aut resinam terebinthinam: primùm enim expurgantur intestina, deinde & renum viæ, vnde iuuatur apertio obstructionum.

Prognosticũ.

Ab his, si graue malum fuerit, & æger plenus, vena secanda erit, ne ex dolore partes inflãmentur: & in hoc casu talis distinctio habenda, qualem suprà diximus: nempe, vt vbi multus confluxus timeatur, ex superiorib. venis fiat, vbi paucus ex infernis. libro verò de Ven. sect. in recẽti phlegmone, & pleno corpore ex supernis: in inueterata ex poplite, intelligit de phlegmone. Sed hîc semper ad prophylacticon fugimus, ideò sæpius ex supernis.

Ab his de balneis est cogitandum. Qualitas eorum calens sit, & humida vt molliantur partes, per quas transire lapis debet, & relaxentur quæ angustæ. Cedunt enim laxa & mollia. Præterea calor excitat vim expultricem ad pellendum lapidem. Materia igitur sit aqua temperati caloris, simplex, aut cum oleo, aut incoctis radicibus alteę fęnugręco, semine lini. A balneo vesica foueatur locus semiplena butyro, & in aqua calida sæpè immersa: Sic fila cruda, & spongiæ. In balneo autem inchoabimus ab his, quæ mitiora sunt exterentia, vt scolopendrium, & capillus veneris, & graminis radix, quorum experientiam habemus ex eorum aquis non decoctis: nihil enim inconuenit aquas quasdam plus in aliquo posse. Ideò suadeo esse earum vim seorsum à plãta explorandam, neque prorsus damnandam. Capiunt enim transmutationem multum à sicco igne adeò, vt plantę quædam prorsus aliam vim acquirant: aliæ adaugeant

geant

geant, vt vinum: aliæ retineant, vt rosa. Sunt & idoneæ in casu cucurbitulæ in accessione doloris: quoniam lapidem ad motum iuuant. Oportet autem prosequi continuè lapidum motum cucurbitulis.

Mox ad fortiora medicaméta veniendum. Sunt autem ea in duplici differentia: Nam alia ex qualitate manifesta videntur conferre, alia sine vlla qualitate. Sunt igitur quæ aperta qualitate conducunt ea omnia, quæ incidere & extergere cum aperta calfactione possunt: & sunt magna ex parte amara, vt Galenus ait. Sed expedit in his perpetuò expertis vti, & magis laudatis. Quod autem dicit apertæ caliditatis, non ita intelligendum, vt sint tales, quæ possint multum calfacere, adeò, vt siccent (hoc enim faceret ad lapidis duritiem magis) ideò Paulus scribit, non autem manifestè calfaciant. Sed lege ἐπιφανῶς, id est sine excellenti calore, non negando, quin apertè calfaciant. Debent autem parari hęc cum medicamento aliquo, quod celeriter peruenire ad renes posit: cuiusmodi est vinum tenue, calidũ, aut acetosum, aut oxymel, vel etiam mulsa. Sic enim & siccitas medicaméti corrigitur. Et quidem sæpè sat fuit educendo lapidi, humidum medicamentum plurimum bibitum, cui vis inesset extergens. Quod enim actu humidum est, siccum terreum friabile dissoluit: vnde comminuitur, & impetu eiusdem humoris extersione quidem mouetur à partibus quibus hæret, & copia vnà secum educit. Sic igitur nos commodè damus aquam Villicam, & innumeri liberantur: alij & Porretanam sumunt: alij Aquariam dictam, in quibus inest magis vis extersoria, & vsus tutior est, vbi omnes vacuationes præcesserint.

Alia verò medicamenta quæ dixi manifesta qualitate conferre, sunt cortex radicis lauri, bdelliũ, scyllia, & eius acetum, cyperi radix rubi radix, cicer nigrum. Hæc ingredienti balneum propinentur exactè leuigata. Ego verò vsus sum sabina, & profuit. Quæ verò ex proprietate agunt, hæc sunt: hircinus sanguis præparatus, vt Aetius docet: secundum Cinis scorpij præparatus, vt apud Rasem. Tertium vitrum vstum (præparant primùm coutundendo diligenter: postea agitádo super ferrea sartagine diu ad ignem) Quartum lapis spongiæ, & Iudaicus, qui glandi similatur. Præ omnibus autem laudatur minima illa auis, quam Aetius describit, in cinerem redacta: Forte quoque medicamen è cicadis est, & cum tragacanthi succo dandum. Composita verò medicamenta sunt, Iustinum, & lithótripton ab officio dictum. Describũtur à Nicolao, & sunt composita ex his quæ ex manifesta qualitate, & proprietate faciunt. Auis descriptio ab Aetio pro calculosis. Lapis in vesica curatio.

At qui in vesica est collectus lapis, tentatur curari ijsdem præsi-

dijs: priuatim verò his, quæ per penem instillantur: & oleum scorpionum est in casu, quod à Rase describitur, additis medicamentis extergentibus, & extenuantibus amaris, aristolichia, gentiana, cypero, cappare, quæ omnia egregias habẽt vires. Vsus eius est à balneo. Demùm chirurgia cum præfatione vtendum, arcendo senes ab opere, & inualidos. Aliquãdo tamen virgæ inhæret. Et quidam diduxere nonnihil meatum glandis ferro, atque immissis teretibus forcipibus è virga extraxere. Iuuat autem in casu molliẽtia immittere, & extrà applicare: Demùm si opus sit incidere virgam. Accidit autem aliquando vt sint lapides renum asperi: aliquando in vesica sint geniti. Hæc præcipuè valent extra vehementis doloris accessionem. Nunc de prouidentia adhibẽda his, qui aceruare consueuerunt, seu in vesica, seu in renibus. Hippocrates exercitandum præcipit, repletionem vitandam, purgandum corpus, vrinas ducẽtibus vtendum, extenuandum, molliendum. Quòd enim cruditates vitandæ sunt, cuique patet: siquidem ex his materia lapidum apparatur. hìc verò supponit, & qualitatem cibi talem debere esse, quæ tales succos non gignat. Quòd si qui geniti sunt, extenuare docet, & vrinam ciere, id est renes expurgare, leui saltem medicamento, non his, quæ excrementa possunt duducere ad renes suo impetu. hoc enim esset malum augere. Quod postremò addit (Mollire) vtilissimum erat in casu lapidis geniti: vtile quoq; ad præseruationem, siquidem molliora facta corpora, facilius pertranseũtur à crassis, & duris, vnde & non detinentur. & hæc est causa apud aliquos, cur pueris in renibus calculus non gignatur, scilicet corporum mollities. Ego verò cuidam, qui plurimam pituitam mingebat, auertendi ratione sum vsus, exhibendo illi quotidie de terebinthina, vel cassia, & optimè habuit:

lapidis virgæ inherentis curatio

De mictu sanguinis & puris. Cap. LXV.

Symptomata hæc sunt excrementorum qualitates præter naturam mutatæ. Ac primùm sanguinis mictus causæ inuestigãdæ, dũ meminerimus renum structurã, vt cauę venæ ramus renes subeat, atque in multos ramusculos scissus, demum in medio cauitatem constituat, in quam aquosa serositas colligitur, atque inde in vreteras truditur ad vesicã. Quod ergo in omni sanguinis profluuio commune est, statim conuincitur, illo effluente præter naturam, vel vasa, quæ ad cauitatem terminantur diuisa esse, vel diapedesim pati, vel anastomosin. quæ duo, hoc distant 5. Meth.

quoniam

quoniam in diapedesi exiguum & tenue est quod exudat: In anastomosi multum, & secundum naturam. Quoniam verò potest id & ex vesica contingere, idq; ijsdē de causis, ideò hoc postea erit distinguendum. Primùm igitur diuisionis causæ notæ sunt, nempe ruptio, erosio, sectio. Et anastomosis confertim naturæ impetu influēte sanguine fit, qualis in crisibus contingit: vel ijs, qui ex certis interuallis sanguinis mictu exonerare solent plenitudinem. Quod quidem (quamuis rarò) aliquando fieri cernimus. Diapedesis verò dilatatione sola fit, & vt ita dicam, raritate orificiorum, vnde tenuis sanguinis sanies effluit, & vrinam cruentá reddit. Hoc autem maximè fit, vbi sanguinis tenuior fuerit, & aquosior: vel quia renes sua debilitate nō transumunt sanguinem, sed dimittunt. Igitur sanguis aquosus quomodo gignatur in corpore, notum est, vt & quomodo dilatentur venarum ora: nēpe calore loci, si præter naturam augeatur, vt exercitio. Itaque videmus quosdam ab exercitio forti cruenta mingere. Causæ verò ruptionis notæ sunt, in pondere leuando, in casu, & plaga vehemēti, vel motione aliqua sinistra dorsi. Erosio verò ab acribus prouenit, seu cibis & potionibus, seu medicamento, vt cantharidum, seu humorum, & prauarum saniegrum confluxu, seu à rupto apostemte. Diuisio, vt à lapide: idq; fieri potest & in renibus, & in meatu vrinario, & in vesicæ ceruice. vide quarto Aphorismorum 75.

Nunc de signis agendum: ac primùm quibus pars affecta notatur: siquidem sanguis qui mingitur, non ab vna sola potest effluere, sed modò à toto initium est, modò à renibus primùm, non ab vreteribus: nunc à vesica, aliquando à pene. Igitur excrementorum qualitatem considerabis, hoc est colorem & consistentiam eius, quod mingitur. Nam si è longinquo, necesse est nigrescere. Præterea admistum esse vrinæ vehementer necesse est, & velut dilutum sanguinē mingi. Num verò à renibus, vel vreteribus, ipsa quantitas excrementi demonstrat: siquidem ex dissectione est notum, exiles esse venas vreterum, latus verò renum. At ex infernis sincerus mingitur, aliquando nihil permistum habens aquosi humoris: aliquádo simul q̃dem aliquid mingitur, sed male permistū. In primo casu è pene prodire necesse est: in secundo ex vesica. Etiam memineris q̃d ex vesica exiguus sensim defluet, mult⁹ confertim è venis penis poterit effluere. Hęc ex excremento. Consideramus mox pręsentia omnia circa ægrum, & præcedentia. Præsentia, vt si dolor parte aliqua adsit, ibi morbi sedem esse significatur: hîc verò modò circa vesicam sentitur, modò circa renes, vel vreteres. Præcedentia, quoniam ictum passus sit, vel ceciderit æger, scimus qua parte sit collisus.

Signa Anastomosis.

Eadem ratione & causas distinguimus: ac primùm anastomosis significatur: si nullus dolor, sed tantùm grauitas quædam lumborum præcessit, & calor: qualia præire solent & mulieribus cum mẽses appetunt, & viris cum debent hæmorrhoides fluere. Quòd si tempus vernum sit, & corpus plenum, magis significatur, vt etiam magis si immodicè sese præter morem exercitarint, præcipuè his exercitijs, quibus laborant renes. Quòd si consueuerit per interualla quædam ita vacuari, exactam iam habes coniecturam.

Diapedesis signa.

Diapedesis verò, & qualitate diluta excrementi significatur: quoniam sanguis aquosus, & male coloratus erit, & quòd itidem sine dolore fiat.

Diæresis signa.

Dihęresis verò mõstratur primùm externa causa, si qua adsit, rumpens, contũdens: vel affectu interno præsente, vt lapidis notis: vel affectu aliquo præeunte, vt vlcere, vel apostemate in aliqua earũ partium. Quomodo igitur scripsit Hippocrates: Si sanguinem, aut pus minxit, vlcus significari renum, vel vesicæ? An sensus est, vt si quid nota dignum effluxerit, & diu durauerit? Iam enim excludimus anastomosim, quæ copia vacuata cessat: excludimus & vreteras, quoniam exiguus effluere potest.

Anastomosi curatio.

Cura primùm ab anastomosi: cùm hæc sit naturæ opus (vt diximus) sisti non debet, nisi vbi incommodat: hoc fit vbi superfluat. Sistetur autem per eadem remedia, quæ in ruptione scribẽtur. Sed reditus euitandus, quoniam conueniens regio non est, ideò prouidentia ante periodum erit opus, quæ in duobus consistet. Auertere quidem & vacuare plenitudinem, & renum venas densare, ne copiam excrementorum recipiant, quod potione aquę Borræ vel Blandulæ fiet, & sessione in balneis ferreis, & aluminosis, qualia etiam arte parari possunt. Quòd si ex vitio sit, vitium purgabimus.

Curatio Diaped.

In diapedesi verò, si ex sanguinis tenuitate, vacuare oportebit per aluum & sudores aquosos humores, victum verò siccãtem instituere, & crassantem sanguinem. Si verò dilatatione vel incontinentia vasorum, densantibus erit vtendum, frigidis terreis, tum in balneis, tum per epithemata & sessiones. At si diuisio sit; siquidem ruptione vel tensione, & omninò à causa externa: primùm secanda erit vena basilica, vt Rases iubet; qui solùm duos casus magis periculosos ponit: primùm quem diximus ex ruptione: secundum ex vlcere. Igitur si sit scissio à lapide, vel ruptio à casu, à vena secta succos astringentes propinabis, polygoni, plantaginis, radicem quoq; symphiti in vino austero. Sic & tragacantham vino austero dissolutam, & alijs vteris quæ extrà admouentur. Vsus quoque Iaspidis est cõmodus, & trochisci de carabe: his enim sanguis sistitur. Quòd si à vesica, vel pene effluat, etiam per iniecta eadem medẽdum erit.

Diapedesis venæ basilicę sectionẽ poscit.

Si verò

Si verò ab vlcere cruento, adhuc eadem erit curandi ratio. Si verò ſordidum ſit, tunc primum eluenda ſordes, mox ſiccis, & ſtipticis erit vtendum.

De ſuppreſſis menſibus. Cap. LXVI.

MVlierum natura frigida & humida præ viris eſſe debuit: hoc enim ita ad generationem conducebat, vt à qua alterum principium quod maximè pro materia eſt, deciditur. Sed & in ſocietate maris & fœminę alterum foris, hoc eſt marē negociari oportuit, alterum domi, hoc eſt fœminam filios alere, & rem familiarem ſeruare. Ob has igitur cauſas facilè copiam crudi ſanguinis & excrementoſi aceruāt, vt qui per exercitationes non abſumatur, & per naturam ob caloris infirmitatem plurimus gignatur. Hinc prouida natura viam quandam inuenit, qua corpus ſeſe exoneraret, ſtatis quibuſdā temporibus, id eſt lunaris curſus ſpacio: ſæpius verò ipſa decreſcente, vt annotauit Ariſtoteles. Sed vt ſolet natura cum axcremēta purgat, etiam ijs in aliquam vtilitatem interim abuti, ſic & vterus interim eo ſanguine nutritur, quicquid in eo alendo eſt hauriendo, reliquū verò pellēdo. Rurſus & ad cōceptionem vtitur. hinc enim alterum principium habetur, vnde cōcipitur fœtus, augetur, & alitur dum eſt in vtero. Ex quib. fit, vt ſi hæc purgatio præter naturam ſiſtatur, mulieri multa mala eueniant, vt teſtatur Hippocrates quinto Aphor. 57. cum ſcribit: Mulierem ſi menſtrua defecerint, mala inſequuntur. Sunt autem hæc, primùm vtero propria, mox & communia vniuerſo corpori. Eueniunt autem non modò ſi ſupprimantur, ſed etiam ſi minuantur plurimū. Ac primùm deſtituitur conceptione: hæc enim vna eſt è cauſis ſterilitatis maxima. Vnde quibus per ætatem, aut non adhuc accedunt, aut deſiere, non concipiunt. Dum autem fluunt, quantum ex hac parte ſemper poſſunt concipere. Præterea vteri ſtrangulatione vexantur, vt in de cauſis eius dicemus; & ſcirrhoſo tumore, & cācris, & eryſipelatis, & aquoſitate replentur, & flatibus, & vlceribus prauis gracileſcunt, & quædam præter modum, vt mulier illa de qua Galenus ſcribit ſexto Epid. 3. 29. mutātur in viros fœminæ. Adde partes, quæ in conſenſum veniunt: caput primùm, ſexto Epid. primo Aph. 1. & oculi, & ventriculus male affectus, demùm & iecur: vnde & hydrops aliquando conſequitur. Dico autem præter naturam ſiſti, aut imminui quoties primū extra ſtatuta tēpora hoc accidit, quæ tamē terminos certos nō habent, ſed pro naturarum varietate euariant. Sed poſtremus terminus ceſſationis eſt annus quinquageſimus:

Vnde & in eo aliquæ etiam nostra æ tate pepererunt. Vltimus verò inceptionis est duodecimus: plurimæ tamen decimo quarto anno incipiūt: cessant quadragesimo quinto. Quòd si vel post decimū quartum incipiant, vel ante annum quadragesimum quintum cessent, ex aliqua causa præter naturam id fieri censendum..

Fit verò varietas multa non in celeritate apparendi solùm, & duratione, sed & in copia effluuij maiore, vel minore: idq; ex naturarum diuersitate. Dicebat enim Hippoc. sexto Epid. primo Aphor. septimo. Aquosis mulieribus diu menses durare, & ni crebro fluant intumescere: volens per aquosas mulieres intelligere præhumida per naturam corpora, quæ etiam nec frigida quoque sunt. His inquit diu purgationem hanc durare, seu intelligas per multam ætatem fluere, seu quòd singuli periodi multum tempus occupant. His ergo secundum naturam fiunt abundantiores, supplendū est, quòd contrario modo affectis, id est calidis, & siccis parciores fiunt. Horum verò ratio est ex his, quæ ab initio supposuimus, quòd illę plurimum sanguinem aceruant, & cum eo plurimas cruditates; hæ verò minimum. Et quidem ita fieri videtur, vt viragines, & calidę mulieres, quàm minimum purgentur: pręsertim si multo vtantur exercitio. Contrà verò humidę, siquidem omnia secundum naturam se habeant: quod addo, quoniam calidę & siccæ, si bili multa abundēt & ita cacochymia teneantur, ob sanguinis acuitatem & tenuitatem plurimùm purgantur: quoniam nec absumitur in corporis alimentum. Contrà verò humidis sæpe venæ obstruūtur: itaque non purgantur, aut egrè purgantur.

Subdit Hippoc. Et nisi crebro profluant, intumescunt. Sic clarius legitur, quàm celerrimè: volens significare vnum ex morbis, qui his naturis succedit, nēpe hydropem, vt suprà explicauimus. Sunt & quibus per naturam exigua purgatio sit, vt pingues. Nam angustas habent venas, & pauci sanguinis, vnde & non concipiunt. Sed cur dices, ante decimum quartū non fiunt? an quia magna copia in augmentū absumitur? Vnde & aliquibus, quę diu augētur, & plurimum etiam tardant, & illis fortè tarditas non erit præter naturam. Hoc nosse oportet, vt sciamus, & quæ sint corpora quibus noceat tarditas, & quibus prouocationem tētare debemus, ne imprudenter tentemus id, quod fieri non potest.

Cur verò post quinquagesimum annum non fiant, causa est caloris diminutio, ob quam & sanguis non adeò abundat in venis, & si abundet, non est ea vis naturæ, vt per longinquas partes possit expurgare, & per venas angustiores trudere, & earū ora aperire: Vnde quibusdam ad sedem effluit, quibusdam ad aliam partem, si fortè

per na-

per naturam redundet: & sunt eæ viæ faciliores. Sunt autem & alij modi, quibus per naturam supprimuntur menses, vt conceptionis tempore: quoniam absumitur in fœtus alimentum omnis sanguis, qui abundat. Quamobrem & menses tunc effluere præter naturam est, & debilitas fœtus significatur, & abortus: vt Hippocrates quinto Aphor. testatur. Quamuis quibusdam sæpè sanguis sine noxa effluat, vt si abundét: nec obstat os vteri eo tempore prorsus esse occlusum: potest enim ex vteri ceruice effluere. Aliud tempus est à partu. Multæ enim duos, vel tres periodos intermittunt: quod accidit ex multa purgatione in partu facta: Vnde corpus est copia inanitum. Supprimuntur etiam secundum rationem extenuatis, longam inediam passis, longosq; morbos. His ergo non est quòd tentemus prouocationem.

Nos verò inutiles suppressiones curare volumus, à quibus de malo metus est, inuestigando causas omnes, quibus supprimantur, vel minuantur. Porrò minutio est, vt vel periodi rari sint, vel si in tempore exiguum sit quod profluit.

Causæ igitur aliæ sunt ex ipso vtero, aliæ ex totius affectu. Ex ipso quidem vtero, vel quia sanguinem non suscipit, vel si suscipiat, non expellit. Ex toto verò, quoniam sanguis ad vterum non pellitur: quòd verò non pellatur, aut penuria est, aut crassities eius, aut auersio in alias partes. Adde, & rectricem naturam opus destituere, quoniá occupatur animi vel corporis morbo. Sic igitur multis ob mœroré ingentem, & timoré suppressi sunt menses: sic ob doloris aliqua corporis parte obortos.

Ex parte verò vteri, quòd sanguinem non suscipiat, venarũ affectio est, vt siue frigido densentur, siue sicco squaleant, & conniueant. Quòd verò non pellat vterus, obstuctio in causa est, siue crassis & viscidis fiat, siue tumore pręter naturá, siue cicatrice obducta post vlcus, siue sua debilitate, ex intéperie frigida oborta, siue pinguitudine. Fit & obturatio cótorsione oris vteri. Si igitur inopia sanguinis supprimantur, aut quia aliò auersa copia vacuatur, nihil inde mali suspicandum est euenire. Proinde neque hac ratione curam ciendorum suscipimus, sed quia concipere nequeunt: ideò táquam sterilitatis causam tollentes, menses euocamus.

Signa verò quibus causæ distinguntur, sic capies. Primùm ex mittentibus, debilitatem eorum conijcies: eo quod excreméтis scatent, & morbus aliquis toti communis adest, vt intemperies: & priuatione aliorũ, vt quia sanguis adhuc mediocris est q̃titate, & qualitate, neq; obstructionis notę adsunt, aut alteri9 mali vtero proprij. Auersio verò & penuria sanguinis signa habent euidentia, tum ex

prӕſentibus, tum his quӕ prӕceſſerunt circa ægram. Sanguinis verò qualitas, id eſt craſsities & lentor cõiecturatur, primùm victu præeunte, qui contrarius extenuanti fuit, tum in cibo & potu, tum in exercitationibus, vel animi, vel corporis. Alia coniectura ex his, quæ in corpore apparent, & ſunt pituitoſi ſanguinis ſoboles: de colore albo, vel plumbeo, de tactu frigido, de mole corporis ſubtumida, ſomnis profundis, pigritia, faſtidio cibi. Rurſus quòd & ſerius incipit purgatio, & cum multo labore vix quicquam proficit. Sed hæc communia magna ex parte ſunt affectui proprio vteri, id eſt obſtructioni, quæ à craſsis & viſcidis: & ſæpius hi affectus coincidunt, vt ſcilicet & totius ſanguis talis ſit, & qui in venis vteri eſt impactus talis ſit: vt & ſi grauitas & tẽſio circa dorſum, & pubem ſentiatur, & ſi quid excernitur pituitӕ potius attinet colore & cõſiſtentia. Quibusdam harum & perpetuò aliquid pituitoſum educitur: appellant album fluorẽ: Et de hoc proprio capite agemus. Alij verò affectus obſtruentes noti eſſe debent ex proprijs ſignis, vt pinguedo comitatur totius pingue: durities ſentitur tactu, & ædema, & phlegmone: heryſipelas vehementem infert calorem. Conuerſio ad latus obſtetricis digitis ſentitur, & propria habet ſigna quӕ infra Prognoſtica ſuprà poſita ſunt, cùm morbos enumerauimus, qui ex hac cauſa fiunt.

Cura.

Suppreſſorum menſium curatio.

Curatio varia eſt pro cauſæ varietate, ſed quia ſæpè audimus à Galeno mentionem de medicamentis menſes educentibus, ideò quærendum eſt, quæ ea ſint, & quomodo id operentur. Igitur quinto de Simpl. xxi. ſcribit ea, quӕ menſes mouent in hoc ab vrinatiuis diſtare, quòd cum vtrumque genus calidum ſit, quæ tamen vrinas mouent longè ſunt ſicciora, id eſt quæ priuatim nomen diuretici meruere. Nam menſes ducentia calida ſunt, ſed modicè ſiccant. Cauſa eſt, quoniam quæ ſiccant, craſsiorem ſanguinem reddũt, vnde & purgationem non facilem. Dubitatur circa hæc. Nam non videtur eſſe hæc differentia, ſiquidem ea quӕ valentiſsimè vrinam cient, vim etiam habent menſes ducẽdi, vt exemplo particularis materiæ patere poteſt, Sabina, Pulegium, aſarum, Cinnamomũ, calaminthe. Et ſunt Galeni exempla. Rurſus certum eſt hæc ſicca tertio ordine eſſe: ergo non hoc diſtabunt, quòd magis ſiccẽt quæ vrinas ducunt. Dubitatur iterum; hæc vrinam cient: ergo menſes nõ mouent: Nam quæ ad vias vrinæ deducunt, deriuãt ab vtero: quare & profluuium per vterum imminuunt. Sic enim in profluuio, vt dicemus, ad ſiſtendum vtimur vrinatiuis.

Arguitur etiam eo loco Galenus, de inſufficientia. Quomodo enim vult calida hæc & ſicca menſes mouere, quaſi ſemper ex vna

cauſa.

causa supprimantur, vt ex crassitie? Huic enim solùm conferre potest. At scimus alijs nocere, vt si ex penuria: Si ex phlegmone, vel scirrho, vel ex plurimo calore naturalis temperamenti: Respondetur primùm ad id quod postremò est obiectum, non esse mentem Galen. illam solùm esse causam, sed illam respicit maximè, quoniam & maximè euenit. Est enim frequentissima ex obstructione, quę ex humoribus: vnde & ab huius curatione menses ducentia nominauit. Ad id verò, quod antea quærebatur, dicimus, menses cientia, etiam quæ propriè dicuntur respectu scilicet huius generis causarum, esse in duplibi differentia. Vel enim solùm sanguinem crassiorem, & frigidiorem liquant, & fundunt, & erunt modicè calida & sicca, vel præterea obstructiones tollere possunt, quæ impediunt. Primùm genus diminutos iuuat augendo sanguinis motum nonnihil: secundum genus oblæsos, & prorsus defectos. Ea igitur quæ sanguinem fundunt solùm, propriè menses ducentia dicuntur: quia per se naturam in opere mittendi iuuant ea ratione. Facilius enim pellitur, quod tenuius. At reliqua, quodammodo ex accidenti magis, quatenus iuuant potius obstructiones tollendo, propter quas detinebatur sanguis. Dices, nônne ipsa quoque fundunt, & liquāt? Respondeo, quę vehementer talia siccando cogunt, non liquant: ideò quo ad hanc rationem attinet, essent incommoda, sed iuuant propter obstructiones. Sic igitur ad obiecta, respondetur, non dici ea, quæ vehementer cient vrinam, menses ducentia, propterea quòd siccant & cogunt, nisi fortè ex accidenti hoc faciant. Quòd si Galenus exempla eorum posuit, transiuit à menses ducentibus verè dictis, ad ea quę obstructiones tollunt. Quòd verò dubitatur vrinam ducentia auertere ab vtero ad vesicam, concedimus, si propriè talia sint, id est vehementer calida & sicca: sed si moderata, tunc vtrumque faciunt præparando sanguinem: natura verò eo beneficio pro exigentia in vtraque parte vtetur; ad vrinas renū attractione, ad vterum pulsione, quam procurat, & commodi gratia in hoc corpore, & propagationis gratia. Alia verò immodica, iuuabunt modico vsu, aperiendo & extenuando. Contrà hæc cogunt sanguinem, inquit Galenus. Respondetur, si quis multis vtatur, non si modicè.

His visis, videndum quî menses suppressos moueas. Cauendum in primis est, ne his tētes euocare, quibus non debes, vel quibus est impossibile. Et primū genus causarum quod ex mittētibus membris sanabimus, vt penuriam sanguinis, hęc si ex formatione euenerit, vt in frigidis, siccisque curā non habet. Si verò ex temperamento calido & sicco, curam quidem habet per contraria, refrigerantia

ſcilicet & humectantia: ſemper in memoria habendo, quomodo temperamenta ſenſim mutentur, idque victus ratione maximè in omnibus ſex generibus: quod ſanè fieri ob conceptionem exquirimus. Quòd ſi expultrice debili affectum tollere oportet, cuius ratione talis eſt, vt ſcilicet ex frigida intemperie, calfacere cibo, & potu calidiore, & moderatis exercitijs, & geſtationibus, & animi motibus: ſimul verò infernas partes exercere, viris coire, modis omnibus attrahere ad vterum, frictionibus, cucurbitula pubi affixa, & coxis, vena tali ſecta, cæterisque quæ dicemus, cum de cauſis, quæ ex vterò ſermo erit. Si verò auerſione (ſiquidem ad ſuperna) erit vtendum ijſdem, quæ diximus, quo ad vterum materia retrahatur: & hæc eſt cura earum quæ ſanguinem vomunt, vel excreant. Sed ſi per ſedem auertitur, difficillimum erit. Siue enim trahentibus vtaris, ea & ad ſedem trahunt: ſiue ad ſedem aſtringentibus cohibeas: ea vicinitate cohibent, & quæ feruntur per vterum. Quamobrem vbi illis quæ trahunt vſus fueris, localibus ad vterum erit vtẽdum: de quibus priuatim paulò pòſt dicetur. Sed quę ob ſanguinis copiam id patiuntur, qui non transfluit, ſed ſiſtitur, copia minuẽda erit: idque per venas tali, vt Galenus monet in libro de Venæ ſect. Hæ enim, inquit, menſes cient; ſuperiores verò potius cohibent: Erunt & exercitia, & cibi tenues: reliqua etiam victus ratio omnis ad copiæ diminutionem faciens. Quæ verò ob qualitatem ſanguinis frigidam, craſſam, viſcidam: hæc corrigenda erit contrarijs. Sed quia communis eſt curatio his, quæ ex obſtructione venarum matricis id patiuntur, ideo ſimul hæc tractanda.

Quæ igitur obſtructiones in venis his patiuntur, quas etiam ſolas docet curare Galenus in libro de Venæ ſect. ſic tranctantur ab eo. Incipit antea per dies decem corpus totũ parare, & obſtructiones tum eius, tum vteri tollere. Hoc autem eſt corpus fluxile reddere: id primùm victus ratione extenuãte facit, id eſt quæ tenues ſuccos, fluxilesque efficiat: id qualitate ciborum, & potionum fit: & præterea condimentis, quæ ſale, aromatis, & herbis acribus parantur: cuiuſmodi eſt origanum, ſatureia, thymũ, cyminum, Anethũ: & exercitationibus fortioribus, & vigilia. Hoc poſito medicamentis rem aggreditur, & primùm quæ humorum copiam crudorum extenuant per totum corpus, & parãt, vt purgari poſsint: vt oxyimel, & ſimplex, & ſcylliticũ cum decocto betonicę, vel thymi, vel alterius incidentis & extenuantis. A qua potione picrę potum propinat. Ineſt autem picræ vis primùm purgandi venas à pituita extenuando & extergendo, vt aliàs mõſtraui. Ineſt & vis tollendi obſtructiones, per incidentia medicaméta, quę longè penetrare poſſunt. Eligit au-

git autem maximè purgans, quod dragmas centum aloes habet. Nam varijs modis apparatur. Hoc medicaméto per interualla vteris decem illis diebus, bis, vel ter. [Demùm ante dies quatuor venas poplitis, vel tali incides: idq; modò vno crure, modò altero. Interim & medicamenta propinare expedit, quæ abundè menses ducunt, vt sabinam, dictamnũ, pulegium &c. Modus exhibendi est in melicrato, redacta in tenuissimum pollinem, idque cribro arcto sæpè cribrata. Tempus exhibendi est à balneo statim, cum adhuc calent. Intentio igitur est obstructiones tollere, idque primò facit humores respiciendo, parando, purgando, vacuando. Præparatio per extenuantia, calida, sicca, acria, amara fit, modò fortiora, modò debiliora. Tempus præfigit decem dierum, quod accipit Paulus. Sed hoc ridiculum, cùm pro varietate humorum variare vim medicamentorum oporteat. quibusdam ergo vix quindecim aut vinginti sat erunt. Purgationem per hieram facit, non negat tamen quin & alijs maximè agarico: quoniam vis inest illi extenuás, & admisceatur aromatis. Sed & diaphenicon ad hoc facit, & hiera ex colocynthide, & hiera Archigenis. Vacuat etiã vena secta poplitis: primùm quoniam maximè proximam partem respicit: Sed quia sępe nõ apparet, sumit eam, quæ tali, quæ angustior est, idque per duos dies, parum detrahendo quotidie, quo à supernis ad inferna maior attractio fiat: vel vt sanguis obstruẽs, iteratis tractionibus melius deriuetur à parte. Vult fieri vtrinque ob catixin, si fortè in vno magis obstructio sit. Sed cur postponit venæ sectionem? An quia non potest vacuari sanguis faciens obstructionem è venis vteri, nisi dissectus, & paratus sit, & ex parte imminuta obstructio? Hoc igitur facit postremò: quoniam venæ sectio paratiorem sanguinem exigit, vt possit educere à loco: quoniam non fortiter, sed solùm vacuitatione.

Omisit localia Galenus, quoniam non erat locus proprius eo libro. Sed nos supplebimus his, quæ recenset sexto de Lo. affect. prius tamen soluendæ sunt dubitationes quædam. Primò circa vsum phlebotomiæ. Num ea vena sub talo semper incidẽda. Nam ꝑfectò paucis sub poplite, præsertim mulieribus: paucis etiam sub talo, sed venosis tantùm, & gracilibus est conspicua. Ideò laborant medici multum. Ego verò tali adductus ratione, credo circa talum venã secari debere, sed quæ pedẽ perreptat: quæ magna est, & facilè tunditur. Debẽt autem euitari loca tẽdinum: & optimè vtimur in hoc casu phlebotomo, non lanceola. In his verò quæ albæ sunt, & pauci sanguinis, & tamen inciderunt obstructionem ita, vt suppressi, vel imminuti sint menses, vtor scarificatione crurum, & corniculis tra-

hentibus: & optimè conferre vidi.

Id verò præterire non oportet, quomodo secta hæc vena mensium profluuium iuuet: Siquidem à Galeno deriuare ab vtero dicatur, secundo ad Glauc.cap.2. Vnde & 13. Meth. in vtero inflammationem patiente eam secat. At non alia ratione, quàm vt deriuet, & sic vacuet ab vterò. At hæc sunt contraria, & contrarij motus deriuare, seu vacuare ab vtero, & trahere ad vterum. Nam nihil est aliud menses mouere, quàm ad vterum trahere, & replere vteri venas: quod sanè facere nequit ea venæ sectio, si deriuat ab vtero, & vacuat. Hoc idem anatome monstratur: siquidem spectemus, quomodo à caua vena & vteri, & crurum venæ diducãtur; & quomodo inter se coeant. Negari igitur nequit, quin venæ sectæ tali, sanguinem è supernis ad inferna conuertant; & trahant: sed non magis ad vterũ, quàm ad sedis venas, vt & Galen. docuit cùm dixit in libro de Venæ sect. Si prouocare hemorrhoidas voles, crurum venas secabis: Sed ad crura potius ducent vaçui ratione, quàm ad vterum. Hinc fit, vt in corpore pleno aliquid promouere possint ad venas vteri replendas. At vbi non multus sit sanguis fortè cohibebunt: quod & apertè experientia monstrat. Aliquãdo enim vidimus cum cœpissent, secta vena cohiberi, aliquib. verò promoueri. Cur igitur hìc secantur ad promouendum? An quia obstructione liberant? Vnde ex accidenti saltem iuuabunt, tametsi per se trahendo non iuuent, & vacuando ab vtero.

De remedijs verò, quæ bibuntur, quæ Galenus scribit, expertus sum, & eo modo quo scribit. Rasis trochisci de mirrha multam vim habent. Attamen alia quoque præter hæc, vt fermenti vsum auellanæ magnitudine vino dissolutum cum pauco croco. Ego aliàs lignum Indicum coxi, & adiunxi dictamnum. Vnde mulieri, quę iam per annos quinque nihil purgabatur, & sterilis erat, & purgationẽ euocaui, & partum. Alijs potiones ex herbis in vino insolatis exhibui. Alijs potionem Porretanæ aquæ: omnia methodo inuenta remedia, experientia comprobata. Expedit autem & localibus vti: quam partem Galenus omisit. Tantùm enim ea parte de cura eius loquitur ob venæ sectionem. Alibi autem, & localium meminit. lib. 13. Meth. cucurbitulam coxis affigere, & pubi maximè. Nam pars repletur vicina ea affixione. Localia quoque sunt sessiones in balneis, quibus vis insit dissoluere, & extenuare crassa, ac venas dilatare, vt sunt sulphurea, balnea & quæ arte parãtur ex stœchade, chamęmelo, anetho. Mox & pessi, & suffitus. & quidẽ suffitus meminit Hippoc. libro quinto Aph. 28. educere dicens muliebria, id est menses. Causam ponit Galen. extenuationem, quæ fit ab eo fumo. Vsus

est per

eſt per ſellulam perforatam obducta omni perſpiratione per veſtes. Nos trochiſcis ex gallia vtimur. Similiter & ad peſſos ex ladano componentes: ad diuites muſcum, & zibetum adiungimus. Fiunt & peſsi ex mercurialis fæce trita, & linteolo raro inuoluta.

De profluuio menſium. Cap. LXVII.

PRofluũt verò immoderatè menſes, modò quidem vno impetu plurimo ſanguine vacuato: nũc verò ſenſim ꝓfluente, ſed diutius quàm oportet, nec tempore menſtruo obſeruato. Ambo enim hæc fieri videntur. Sed & in partu modum aliquando purgatio excedit, quæ ſecundum naturam fiebat. Tunc verò menſes immodicè profluere dicimus, quando ſanguis profluit. Si enim alij humores à ſanguine alias habent appellationes, vt vteri fluores: qui quidem etiam colorum diuerſitate euariant, vt modò albi ſint, modò virides, modò tenuem ſaniem, ſeroſam referentes, nunc pituitam: de quibus ſequenti capite agemus. Nunc enim de immoderato ſanguinis profluuio per vterum agimus. Profluuiũ menſium duobus modis euenire poteſt

Atque hoc quidem eaſdem genere cauſas habebit, ac mictus, & cætera profluuia ſanguinis. Erit enim vel anaſtomoſis dicta, cum maiora vaſa aperiũtur: vel diapedeſis cum minora: vel diereſis cum ſoluitur continuum. Anaſtomoſis quidem eaſdem habet cauſas, quas & per naturam habet: nempe expultricem vim proritatam. At proritatur moleſtia quanti, vel qualis. Sed in eo, quod præter naturam, non ſolet ſola quantitas vrgere, ſed maximè qualitas, ſalſa, nitroſa, acris. Huiuſmodi enim ſanguinem vitioſum aliquæ naturæ congregant, vt in libro de atra bile Galenus ſcribit, & experientia monſtratur, cum ſanguis venæ ſectione extrahitur. Sic ergo in gracilibus & bilioſis mulieribus fieri aliquando videmus. Sic & in partu eueniũt. Quòd ſi dicas, ſi vitio, vel quãtitate irritatur natura: debuit igitur cum primùm purgatũ eſt vitium, aut imminuta quantitas ſponte ſua ſiſti: quod ſi fieret, nihil haberet præter naturam, vel morboſum, ſed vtile: purgante ſcilicet natura excrementa, vnde cacochymum corpus reddi poſſet: & tollente multitudinem, vnde mala multa eueniunt. Cur eſt ergo vt ſuperfluat? Reſpondetur, vt in ſuper purgantibus cõtingit, vt irritata natura non pellat modò excrementa propriorum humorum, quæ à medicamento trahuntur: ſed præterea & vtilia ſimul. Sic & hîc euenit, vt incipiat quidem expurgare inutile, ſed ex proritatione quaſi furibũda operę expellendi excedat: Sic igitur naturale opus ſymptoma euadit.

Quòd ſi anaſtomoſis à cauſa procatarctica fiat, vt à medicamento venarũ ora reſerante, non veniet hic fluxus ad immoderationem

talem: quoniam hoc loco vis expultrix nihil operatur, sed solùm venæ non continent apertione. Poterit tamen & hæc causa addi, quasi profluuium præter naturam faciat, id est extra tēpus, & ordinem naturæ, & medicamentis egebit apertionem corrigentibus.

Diapedesis verò ex apertis minoribus vasis accidit, vnde resudare sanguis dicitur, id est sensim stillare, non vt in anastomosi confertim. Accidit & incontinentia, vnde facilè eæ venæ onerantur, & repleri respuunt: sed sensim remittunt, nec continent. Accidit & ipsius sanguinis tenuitate, ob quam resudat à venarum osculis. In solutione verò continui causa est primum procatarctica, vt venas disrumpens, seu dilacerans, quod in partu difficili solet euenire. Fit & ex corporea causa excedente, vt ex vlcere. Succedūt superfluo huic fluxui, inquit Hippocrates quinto Aphor. 51. morbi, & sunt tabes exiccatione & hydrops frigiditate, ob sanguinis diminutionē. Eadem retulit Galenus sexto de Loc. 5. vt & vitiata concoctio, & appetētia: & sunt communia omni sanguinis profluuio. Adde & syncopem superuenientem, & vitiatum colorem corporis.

Distinguendæ verò causæ sunt, secūdum ferè supradictum modum: vt anastomosis copia exitus confertim facti: & eo magis si in corpore affectus præcesserint cacochymiæ soboles, id est conijciendum, vt si signa cacochymi sanguinis adsint, vel morbus præcesserit, qui per crisim sic finiatur, iam scimus certò anastomosim esse. Diapedesis verò, quòd sensim excernitur sine dolore, & sanguis tenuis, & dilutus est. At erosione factum dolorem habet adiunctū, & dolorem prauum, & virus, & sanies vnà emittuntur. Fit hoc vel circa ceruicem, vel in ipsa vteri cauitate.

Mensium profluuij prognosticum.

Quòd ad prognosticum attinet, omnes cum difficultate curantur: sed præsertim si ab vlcere, & si diuturnū sit profluuium. Aliquas tamen curatas vidi. Est etiam aduertendum, quòd Hippocrates ait: Si prægnanti fluunt menses, non posse fœtum sanum esse: hoc enim Galenus sexto de Loc. verificat, si multus effluat ex venis vteri. Solutis enim acetabulis id fieri necesse est. Sed euenit aliquando ex venis ceruicis, idque exiguum, vnde nihil nocet.

Abortu cur mulieres maximè periclitentur, causa redditur.

Quæres cur maximè periclitantur ex abortu mulieres hoc profluuio? an quoniam abortus violenter separat chorion membranam à venarum osculis, & abrumpit? Itaque eadem causa, quæ violenter agit, etiā impetum facit in pellendo sanguine: quæ verò violenter separat, ora aperit vasorum, vnde sanguis effluit.

Primùm in anastomosi, quæ confertim fit, victū instituere oportet, qui nihil commoueat, sed quietem faciat. Itaque quod ad cibum attinet, inediam imperabimus quantum ægra fert: vel si quid dan-

dum,

dum, id fuerit frigidum actu, & potestate. Frigidum enim densat,& facit immobile. Potus erit iuleb rosatũ cum aqua. Motiones omnes corporis, & animi cauendæ erunt: sed iacere iubendũ, cruribus vsque ad clunes ad superiora magis spectantibus: dum tamen situs ille dolorosus non sit corpori. Nam si motus vitandus ne humorum impetus augeatur: quanto magis dolor, qui valde humores commouet in eas partes, quæ laborant? Somnus prouocandus modis omnibus: & aer eligendus temperatus ita, vt ęstate ad frigidum cogatur tendere. Calor enim motum facit, hyeme ad tepidum. Nam externum frigus cutem densando interanea profluuia adauget. Post hæc symptoma respiciēs, vt quod curam ad se trahat, auersionibus primum vteris: quæ impetum humorum retardent, & fluxuros in aliam partem conuertant. Optimè autem auersio fit, vbi ad contraria maximè, secũdo ad Glauc. & per cõmunes venas. & 13. Meth. omne sanguinis profluuiũ ad cõtrarium per cõmunes venas reuellimus. & quinto Meth. frictio cõtrapositæ partis iuuat. Quamobrem consulit Hippoc. ad retentionem, sub mammis cucurbitulam affigere quinto Aph. 50. Sunt enim pectori ad genitalia venæ communes. Interim tamen & alio auersionis genere vteris vincula supernis artubus inijciendo, donec dolorem cieant, idque sæpè renouando. Quod verò suadet Paul. inguina vinciri, id est crura ea parte: quem in omnibus sectatur Aetius, dubiũ habet. Scimus enim in mensium euocatione hæc esse vtilia, quomodo ergo cohibent? Ratione præterea quoniam deorsum trahunt è superioribus partibus, & authoritate Galeni 13. Meth. cum euocare mēses est, animus in pube, & bubone cucurbitulam affigimus, & circa initia præceptum auersionis est ad contraria. Itaque infernis laborātibus superna exercere, ligare, fricare conuenit. Itaque hoc tutum non esse videtur, dũ est magnus impetus, sed in diapedesi, vbi sensim fluat, sed longo tempore, nihil incõuenit: quoniam deriuare est dictum crura ab vtero. Sed quid de venę sectione? non meminerũt Paul. & Aetius. At in libro de venę sectione vtitur ea, sed in narium profluuio. At eadem est ratio, consulit autem ibi, vt non expectetur vsque quo vires multum debilitētur, sed dum adhuc perstāt, & impetus profluentis sanguinis adhuc persistit. quamobrem venam secare opus erit superiorem, sicut ad hemorrhoidas plus iusto fluētes Galenus facit in libro de Venæ sectione.

Post hæc medicamenta sistentia adhibenda. Rases incipit à trochiscis de charabe, id est ab opiatis. Nam somnꝰ maximè has excretiones sistit: quoniam proritationem & molestiam omnem tollit, & cõmuni velut immobilitat: quare in magno metu illis vtemur, cum

decocto astringente. Ante hæc verò medicaméta in potu exhibenda sunt, quæ in mictu sanguinis sunt dicta, id est plátaginis, & polygoni succus. Reliqua omnis curatio partem affectam respicit: & primùm medicamentis sistentibus lumbis appositis & pubi: cuiusmodi est, quod ex citynis, ex galla, hipocistide, ex colla, quæ ex pelle bouis posca dissoluta. secundò insessionibus, quas suprà nominauimus in dysenteria, & quibus in hoc casu multa vtilitate sum vsus. Tertiò pessis ex astringentibus confectis, vt ex punici putamine, & galla, & thure, liquore stiptico exceptis. Quartò clystere, in quo infundantur succi supradicti, sicut Gal. docuit quinto Meth. & se liberasse casum difficilé ea ratione dicit. Cùm verò iam malum pausat, sed timemus ne paulò pòst reuertatur, causam ipsam respicere oportet. At diximus cacochymiá causam esse pritationis: ea ergo tollenda, si sero acri, vel salso plenus sit sanguis, vnde tenuis, & acris appareat in corpore abúdare, tunc medicamétis bilé ducentib. vtendum erit, quæ etiam aquosos humores purgent: cuiusmodi est electuarium de psillio cùm Turbit, vel rhabarbarum & agaricum, vel myrobalani genera contrita, & infusa. Si exustę sanies, cõfectione amech cum myrobalanis Indis, & fumoterræ: & victus ratio adhibenda, quæ dulces succos efficiat, & temperet: quod etiam potionibus medicis fiet, vt decocto cichorij, lupulorum, acetosę. Num verò tentandum sit fluxionem deriuare ad vrinas, sequenti lectione dicemus. Hæc de anastomosi.

Diapedesis, vt à qua subitus timor non sit, leuiora remedia exigit. Igitur si ex vitio sanguinis fiat, similiter purgabitur corpus, mox astringentibns vtemur. At in solutione continui, quæ fit à partu, vel abortu, ijsdem remedijs vteris, vbi rem vrgere videas: Nam temere cohiberi non expedit. At si ex erosione, tunc purgato corpore, & instituta victus ratione, remedijs localibus vteris. Primùm est succus plantaginis iniectus, præsertim si valde sordidum vlcus nõ fuerit. Nam si sordes adsint, extergentib. erit vtendú: exépli gratia succo apij melle admisto, vel prassij, vel brassicæ: secúdum remedium aqua hordei: tertium lac: & demùm omnia, quibus ad dysenteriam vtebamur. Quòd si dolor vehemens sit, & ardor, etiam decoctum ioscyami, & papaueris cum astringentibus iungemus. Ferè enim in vlcere cruento est maior, & tandem opiatorum medicamentorum aliquid immittemus cum suprapositis succis. Iuuant & astringentia balnea in cruento vlcere.

Vteri vlceris curatio

De fluo-

De fluore, vel profluuio muliebri. Cap. LXVIII.

FLuunt ex vtero aliæ humiditates à ſanguine modò permiſtæ, nunc ſynceriores, atq; vario colore, alijs albæ, alijs virides, alijs fuliginem imitantes, alijs flauæ. Sed & inter albas differẽtia eſt ſubſtantiæ. Aliquando enim pituitam lentam imitatur, aliquando tenuem, & aquoſam. Ex qualitate etiam, quoniam aliâs acris eſt & mordax, quod plurimum euenit: aliàs mitior. Eſt autem, vt Paulus ait, id mali eueniẽs, cùm natura corpus vniuerſum per eam partem expurgare tentat: idque per excrementa varia, pro natura humoris, qui abundat. Et quidem eiuſmodi corpora ſunt, quibus plurimo partu, & coitu, partes illæ laxiores factæ fuerint. Quamobrem rariſſimè virginibus. His quoq; accidit quæ praua viuendi ratione vtũtur, luxuoſa quidem, ſed minimè exercitata. Vnde & nunquam viſę ſunt agreſtes mulieres id pati, ſed vrbanæ: & inter eas, quę ſunt magis muliebri habitu, & quæ ſedendo vitam perpetuò degunt. Sæpè verò rogabimini curationem huius mali, ob multa incommoda, quæ inde ſequũtur: Nam & coitu lædunt virile pudẽdum, & ſteriles ſunt: quoniam per humidas partes ſemen defluit, & laxius redditur os vteri continuo affluxu, & minimè validum ad trahẽdum. Sed & vlcerum periculum eſt, & fœditatis. Sæpè verò & pulchræ mulieres hoc ſolo fœdantur. Adde quòd faciem dehoneſtat, & corpus vniuerſum: intumeſcit facies, & oculi præſertim: pallet, gracilis euadit, mœſta, ſine appetentia, pigritia immenſa, lumborum grauitas, & dolor.

Muliebre profluuiũ rariſsimè virginibus euenit.

Muliebre profluuiũ quibus potiſsimũ mulierib. accidat.

Igitur aduertere oportet, qualis ſit profluuij modus, idque ægrã interrogando, & inſpiciendo, & pòſt, curam tentare, quę tamen difficilis eſt. Proponemus verò caſum maximè conſuetum, quando abundat pituita cum aquoſo humore, & pro eius curatione proponemus hiſtoriam Galeni in lib. de Præcognit. de vxore Boethi: quæ ſanè difficilis eſt: itaque particulatim proponatur. Cogitarũt medici de curatione, atq; eam in duobus ſcopis poſuerunt. Primus ſiccare vniuerſum corpus, & partes quæ circa vterũ: Secundus aſtringere & roborare eas partes, quæ à toto ſuſcipiunt. Hæ enim ſunt communes intẽtiones morbis è fluxione, vt reſpiciamus mandantes partes, & recipientes. Sed hac via, inquit, cum proceſsiſſem, nihil eſt profectum, ſed res in deterius labebatur. Attamẽ meliorem curationem hac nemo inuenire audebat, cùm neq; Rationales per methodum, neque Empirici per experiẽtiam meliorẽ inueniſſent. Cum ergo ſic dubij eſſent, tumor circa ventrem apparuit, ita vt grauida crederetur. At medici hoc non ſuſpicabãtur, inquit, quoniam

Mulicbris profluuij curatio.

Hiſtoria vxoris Boethi à Galeno poſita examinatur.

causam tumoris cernebamus,id est aquosum humorem,qui ex parte quidem excernebatur, sed maiore sui parte retentum, tumorem fecit. Hic ergo videtur erratum fuisse,scilicet astringentibus intempestiuè adhibitis,id est non bene antea siccato corporis habitu. Erratum post ab ostetricibus, cùm lauarent, & victum prægnantium instituerent,id est non respicientes humidum affectum.

Rogabat igitur Boethus rursus, vt mulieris cura haberetur: sed persequi tutum non videbatur, inquit Galenus: nemo tamen hunc modum reprehendere audebat: inde omnes hæsitabant, donec ipse cogitans super ea re noctu,in mentẽ reuocauit symptoma quoddam,quod est mollities musculorum, qui circa hypochondria sunt siti. Appellat autem mollitiem,talem carnis tactum, qualem in hyposarca affectu sentimus: qui scilicet digitis quidem cedat tumor, laxus & mollis, adeò vt carnem ipsam dissoluere te posse videaris. Hic est tumor ędematodes,soboles pituitosi sanguinis, qui per vniuersam carnem est dispersus. Tale quid sensit circa hypochondria, vnde coniecit affectum hunc esse intemperiem frigidam, & humidam, cum humore pituitoso plurimo aggenitũ ex viscerum intemperie,quibus debetur concoctio,peruenientem verò ad vterum pellente natura: qua expurgatione cohibita, vterus intumuerat,& viscera ipsa eo humore plena, vicinas partes & sibi incumbentes affecerant: inde mollis tumor. Iam igitur nosse poterat in quo prior curatio defecisset: nempe quod respexerat solùm superfluam humiditatem siccando: (nam de siccatione solùm meminit) oportuit autem adijcere,& calfacientia. Sed alia ratione reprehendendus modus ille veniebat: quoniã astringẽtibus vtebãtur intẽpestiuè, vnde retentis excremẽtis tum venter,tum hypochõdria frigida, & humida intẽperies magis affecta erant, atq; aquoso humore intumuerãt, de hydrope mulier periclitabatur. Huius secundi erroris nõ meminit Galen. sed innuit. Postquã cum secũdo loco curã instituũt,nihil astringentiũ meminit, nõ quòd prorsus dãnanda essent, vt videbimus,sed quia intẽpestiuus vsus eorũ est damnandus: hoc est,priusquam corpus egregiè sit expurgatum. Instituit igitur calfacere vnà & siccare: & hoc per arenam marinam excalfactam, in qua ægram volutari iussit, & operiri, ac victum instituit per exiguum potum ad siccandum, & frictionibus vsus est ad siccationem & extersionẽ eorum,quæ circa cutem, & vt excrementa plurima ad cutem auertendi gratia ferrẽtur. Confert enim in his affectibus è fluxione, vacuatio,quę auersione fit: sed & potiones,quę deriuent adhibet tum per aluum,tum per vrinas. Pro exemplo verò facit mel coctũ probè: mox refrigeratum ita, vt speciem præbeat aquæ fontanæ per æstatem

ſtatem, id eſt tunc, cum æſtas viget tali temperie melle vteremur. Nam frigidum prorſus noceret affectui, & non poſſet fricatio ex eo fieri, quod denſatum hæreat, neque extendatur. Hæc ad corpus vniuerſum fieri præcipit. Nam ſi vellet referre frigido fontanam aquam, quali frigiditate eſt per æſtatem, eſſet vſus incommodus. Hæc diebus ſeptem peracta, quæ cum conferre viſa ſunt, auſus eſt Galenus ſolus petere curam mulieris.

Primùm ergo aquam ducente per aluum medicamento eſt vſus, qualia ſunt, quæ ſuprà de hydrope poſita ſunt: ſecundò propinauit aquam, in qua aſarum, & apium erant incocta: ac poſtridie medicamentum rurſus aquam ducens propinauit, vt ita aſſueſceret natura ad vrinas, & aluum excremēta deducere, quæ antea in vterum confluebant. Vſus quoque eſt quotidie fricationibus ex linteis, primùm mollioribus, mox aſperis, demùm ex melle iam dicto. Itaque, inquit, poſt dies xv. nihil affectus reſtabat. Hæc ſi aquoſus, & frigidus humor ſit collectus. Sed quid ſi alterius generis excremētum? Abſtinendum erit à calfacientibus, & purgandum corpus vniuerſum, & ea, quæ vrinas ducunt propinanda, & frictiones totius cutis adhibendæ, & victus inſtituēdus, qui maximè ei humori repugnet. Semper tamen multa aquoſitas cum his admiſcetur, & plerumque frigida: quæ tamē vel miſtione, vel putredine acquirit acrimoniam. Quæritur hoc primùm num aſtringentibus vtendum? Reſpondetur, quòd ſic, dum tempeſtiuè vtaris, poſtquam corpus vacuatum fuerit, & per ea, quæ reuellunt, & deriuant. Tunc enim aſſueſcit natura per conuenientes regiones quotidiana excrementa mittere: quare non lædent retenta. At inter initia vti, incommodum: neque vehementer his vtendum. Nam via eſt naturalis purgandi, ne fortè ſupprimantur menſes. Quæritur rurſus, Quomodo hîc faciant ad vſum, quæ vrinas cient? Siquidem omnia cient menſes. Mouebunt ergo hoc profluuium, non ſiſtent. Reſpondeo, ea quæ propriè vrinatiua dicuntur, non mouent menſes, vt ex Galeno accepimus, ſed potius cohibent, dum ſanguinem ſiccant, & craſſant. Quod ſi ad ducendos menſes aliquando vtamur, hoc eſt ex accidenti quatenus obſtructiones tollunt, quibus detinebātur. Contrà, ſi vrinas ducūt liquando, vel ſeparādo aquoſum, vt Galenus vult. Ita ergo ſanguis liquatus, & aquoſus humor feretur ad vterum, ſicut ad veſicam: quare augebitur affectus. Reſpondeo, non fertur ad renes humor ille, ſed trahitur, & magis quo liquidior ſit. At ad vterum neq; ſponte fertur, nec trahitur, ſed truditur à natura.

Facilè ergo auerti poteſt in partes alias.

De Vterinis symptomatibus. Cap. LXIX.

OMnes hoc caput præfocationem vteri, vel ab vtero inscripsere, Galen. excepto, quem nos sequemur, qui vterina symptomata appellauit, volēs generaliori vocabulo omnia comprehendere. Illi autem à vehementissimo omnium nomen fecere: & est cum quasi præfocatæ, & nihil quod sentiatur à mortuis distātes iacent: cùm hoc verò voluerūt & alia symptomata comprehendere: quæ quidem cum ex eisdem causis proueniant, nimirum in idem caput referri debent. Omnium enim eadem curatio est, causæ amotio. Sunt autem hæc symptomata varia multùm & grauia, non tamen ij esse debemus interim, vt mulieribus adulantes, quicquid affectus illis contigerit, in vterum, vt causam referamus, seu caput doleat, seu ventriculus flatuosus sit, seu venter doleat, seu respiratio difficilis fiat, cum possint hæc alijs de causis fieri. Primùm igitur omnium est circa respirationem symptoma, quādo sępe adeò vitiatur, vt nihil maius excogitari possit de infrequentia, de tarditate, de paruitate. Verùm nonnunquam adeò exigua fit, vt prorsus tollatur, vel exigua linquatur, & insensilis reddatur. Læditur hinc vox adeò, vt nihil eloqui possint, & si velint. Alia ad cerebrum attinent, cùm sensus & motus aufertur, vel cum furore capiuntur, vel cum conuelluntur toto corpore, quando aut cerebrum, aut spina laborat. Alia ad cor pertinent, vt animi deliquia, syncope: alia ad ventriculum, vt morsus ventris, eructuatio plurima. Quæ omnia cum ex proprijs affectibus earum partium fiant, quarum sunt symptomata non temere, vt dixi, in vterum referenda sunt: sed inquirendum cui parti ascribi debeant: quod fiet, si consideratis illis partibus, laborare eas priuatim aliqua ratione cognoscemus, vel noxa esse vacuas. Tunc enim per consensum fieri credendum erit, atque in vterum authorem referentur.

Placentini opinio de vternis symptomatibus exploditur.

Quomodo verò vterus hęc faciat semper dificile fuit intelligere: Pla. enim sursum ferri ipsum ait, & spiritus meatum obstruere. Sed quamuis verum sit retrahi vterum modò ad superiora, modò ad latera, ex hoc tamen censenda hæc causa eorum symptomatum non est. Quid enim tale eius retractio, & vitiatus situs potest efficere? vt Gale. disputat. Sed neque semper vno modo situm mutat: quod Rases, & Paul. dicere videntur, sed variè. Contingit autem vt hæc situs mutatio fiat ab eisdem causis, à quibus & cætera accidentia, ita vt simul cum illis eueniat, sed eorum causa non sit. Causam ergo inuenit Galenus quem alij sectati sunt: considerando quales essent in quibus talia fierent: & inuenit eas, vel non purgari per mēses, quāuis ea

uis ea

uis ea purgatione egerent, vel non coire, præsertim cum viri appetentes natura essent, & bene nutritæ, & antea consuetæ. Fit enim ex consuetudine, vt laxæ illæ viæ fiant, & plurimùm inde semen circa genitalia mulierũ colligatur: vnde coniecit aut ex suppressa purgatione aut ex retẽta genitura fieri hoc malũ. Et hoc quotidie experientia mõstrat in his, q̃ ex voto monastico violẽter castæ detinẽtur, & intra crates ferreos cohibẽtur, ne furore vterino percitæ, aliquãdo viros adoriãtur. Sed tamẽ simulationẽ mulierũ cauere oportet. Sępe enim talia mala simulãt, quo cogãt ad coitũ viros: vt Poeta dicebat: Hystericam vitulo se simulat esse marito.

Sed statim quæstio incidit, quî poßint ex his retẽtis superfluis, talia gigni symptomata. De hoc Galen. disputat multis verbis 6. de Loc. 5. & videtur eius sentẽtia hæc esse, vt trãsmutari poßint hęc in veneni naturã. Quod suppositũ mõstrat alijs experiẽtijs, q̃d in corpore nostro poßit gigni venenosus humor, qui æquet vim externi veneni: de quo etiam in phrenitico illo descripto tertia parte 3. Epid. vbi admiratur, nõ adeò quòd gigni is humor venenosꝰ poßit, ex transmutationib. quæ putredine fiũt, vel corruptione: sed quòd latẽre diu poßit (nõ enim subita est generatio) postea statim adoriri, & occidere: quod tamen ita esse monstrat canis rabidi venenũ. Causa enim latet, quousq; à natura dimoueri incipiat, & tunc causa mota, vel inde plus imprimit: vel partẽ aliquã attingit, quam antea non attingebat: vel vaporẽ ex se mittit, quẽ antea nõ mittebat: vnde subitò accidẽtia infert. Vterus igitur primus est, qui persẽtiscit malum, & pellere nititur, vnde violẽter per corpus mouetur, quod veteres errare dixerũt: vel refugit noxã eam, vnde sursum retrahitur. Fit tamẽ interim, vt seu veneni qualitas, seu substãtia ad alias partes perueniat, & illis varia accidentia inferat.

Causa autem varietatis accidentiũ, est ex qualitate, vel quãtitate eius, quod detinetur veneni. Qualitas autẽ fit primũ ex materia, ex qua est genitũ trãsmutatione: dehinc ex modo trãsmutationis. Vidit igitur Galen. q̃d ex seminis retẽti trãsmutatione deteriora fiũt symptomata quã ex mẽstruis retẽtis: & hoc est verũ. Quòd si cõtingat aliquando retẽtis mẽstruis talia fieri, hoc est rarius, & vnà eueniẽt ob coitus diminutionẽ. Veniunt quidẽ ex illis dolores capitis grauitates, vertigines, &c. quę diximus. At apneę, conuulsiones, potius ex retento semine, vt syncope, & subitæ mortes. Neque placet in reddẽda huiusmodi ratione Gale. cùm omnia in frigiditatem referre vult, cuius ratione animal non egeat respiratione, & pulsu, proinde his priuetur. hæc enim causa facit, vt nõ lædãtur ita, si careant respiratione. Sed abolitæ respirationis causa esse non videtur:

quoniã sæpè crebrã facit, velut præfocati, & paruã. Potius ergo voluntariũ motũ tollere dicemus, neruorũ origine affecta: idq; ex natura veneni, cuius est modò vnã principẽ partẽ, modò aliã afficere: vt patet per venena discurrẽdo, è quib. alia cor lędũt alia cerebrum, alia alias partes nobiles. Sic igitur spina affecta conuulsiones, & apneæ eueniunt: cerebro verò affecto furores, sopores graues, epilepsiæ, sensus & motus priuatio: corde verò affecto pulsus mutatur, & õnino eius robur, adeò vt syncope ꝑmãtur, & aliq̃do subitò pereãt.

Inter hæc verò symptomata grauissimæ sunt præfocationes dictę, id est, vbi respiratio tollitur, & pulsus. Nã ab his de vita periculum est; idq; ob affectũ cordis iunctũ. Debet autẽ ab affectibus alijs distingui, quib. similis est, & sũt apoplexia & epilepsia & syncope: â primo igitur distinguitur stertore, qui hic non sentitur. ab epilepsia verò spuma circa os, quæ si adsit, signum est vtrũque iungi symptoma, & sępe difficilis est distĩctio ob similitudinẽ: sed vultus declarat qui tumet, & rubet in præfocatis, pallet in his. & hoc etiã à syncope distinguitur, & frigidis humorib. Adde generale signũ retractionis vteri adsuperiora: & quòd præcessit in vtero affectus suppressorum mensium, vel retenti seminis.

Primùm igitur videndũ, quid in accessione agendũ sit, seu conuulsionibus ægra tẽtetur, seu strãgulationẽ patiatur, seu animo defecerit. hęc enim tria sunt symptomata, quę maximè vrgẽt, & opem medici exiguunt. Sunt autẽ remedia cõmunia, quoniã & causa cõmunis est, vnde & cõmunis scopus. Siue igitur ex retẽtis mẽsibus, seu semine fiet: vnus est scopus, vacuatio eius, quod in vtero prętер naturã cõtinetur. Sed id cõmodè nõ fiet, nisi vterus in naturalẽ suũ sitũ reuertatur, ita vt ceruix rectã inclinet ad externa, itaque & facilè profluãt. Vnde succedit hic secundus scopus: ob quę peragẽda, in primis malè olida naribus admouebimus, cuius contrariũ in reliquis syncopis fiebat. Vtero verò bene odorata afferemus: hæc Gal. primo ad Glauc. cuius rei mira est proprietas. Sed nemo causam dixit, nisi fortè & illi sensum odorũ inesse dicas, vt refugiat tetros, & ita recurrat deorsum: & vt sectetur gratos. Hæc quæstio duas partes habet: prima est, cur â tetris odoribus nariũ recedat, quod sanè sitũ malũ inde mutet vterus, fortè vndequaq; verũ nõ est. Sed quòd à paroxismo excitatur, idq; vehementi facta concussione in cerebro, vnde & in toto corpore: atq; in ea sanè fit ex tristitia obiecti. Hoc esse verum patet, quia non fœtida modò offeruntur, sed & acuti odores euigilãtes, vt apud Aetium ruta, & thymũ cum aceto. Sũt autem talia facilè parabilia pennę cõbustę, capilli, coriũ vetus, ruta ex aceto, & thymũ: pòst hæc castoreum. assa fœtida. hæc enim

cum ad ad sopores,& epilepsiá excitandam faciát,nil mirũ si ad hoc malũ vtpote simile. Quòd si sternutationẽ moueát, cõmodum fuerit. Secũda pars est,cur iuuent bene odorata. Gale. inquit, Odorata, & quæ calfacere, ac laxare possunt,id est hac ratione iuuát, qđ calfaciũt: quæ verò oalfaciũt, extenuát & laxát: vnde fit, vt quod retinetur præter naturá, crassum, & difficile mobile, extenuatum mox per apertos meatus facilè expurgetur. Habẽt etiá vt flatũ discutiát, quo sæpè infestantur. Hinc suffitus aromatum educit muliebria, 5. Aphor. Sed quæstio adhuc est, cur ad hæc se aperiat solũ. Sũt enim & alia, q̃ laxare, & calfacere possunt, vt quæ diximus malè odorata, quib. autores nõ vtuntur vel suffitu, vel pessis, in hoc casu: quasi ab his refugiat vterus,& astringatur. Fortè quæ pessimè odorata sunt, vim quandá deleteriá, & inimicá visceribus habent, vnde lædátur, non qua sic odorata, sed proprij tẽperamenti ratione. Exẽpla verò eorũ, quæ immittũtur,primũ sunt pessi ex gallia muscata cum oleo muscato, aut iasmino, aut benzuino,aut de nuce muscata,aut zibetto compositi, & impositi. Glandes quoq; sedi immittemus ex eadẽ materia, addẽtes ad flatuũ discussionẽ, rutá siccá, cyminũ,sales. Sępe enim per hęc sensibiliter crassus humor effluit. Simul verò,& cõmunibus remedijs vtendá, quibus ad excitandá sopitá naturá, vti solemus,cucurbitulis inquá ad pubẽ & inguina,& vinculis ad summas coxas,& frictionibus ex acribus factis cruribus, vt ex sinapi cũ aceto. Scopus enim est ad inferna reuellere humores, & vapores qui sursum tẽdunt. Sunt mox clamorib. excitádæ cõpellando proprio nomine, ac nares trahẽdæ. Quòd si nõ pręfocatione,sed cõuulsionibus, aut torminibus, & inflationibus capiatur, præter hæc optimum est exemplũ è Galbano appositũ imo vẽtri: nec solũ sic iuuat, sed & præseruat à morbo inuasuro. Hæc in accessione: quæ si dolorẽ facit,colicis remedijs vtemur omnibus,præcipuũ verò inueni semẽ imperatoriæ,& radicẽ bibere ex mulsa, & pillulæ,quę ex assa, & castoreo,& ruta cõponuntur. Terebinthinæ potus vtilis, & aquarũ sulfurearũ, & castorei cũ decocto artemisię, & infusio chamæmeli. Hìc verò abũdare valet remedijs. In his verò, quæ præseruari debẽt,quoniá morbus periodos habet,cura distinguẽda pro natura causæ. Nam si ex mensiũ suppressione, ducendi sunt modis, quos suprà diximus: si verò seminis, viro commendetur, vel monachis. Possumus tamẽ iuuare nõnihil semẽ siccando, idq́ue victu, & medicamẽtis:& his vel per sessiones adhibitis,vel epotis, vel vtero appositis. Primũ ergo victũ extenuantẽ,& maximè siccãtẽ iniũgemus,cum exiguo potu, multa exercitatione atq; inambulatione præsertim, cibisq; natura siccioribus. Medicamenta verò cõmoda

ſunt; diacalamentũ, diatrion, diagalãga. Cũ verò maior ſuſpicio eſt, etiam caſtoriũ. Laudat Paul. natura calidas aquas, quę in caſu egregiè faciũt, vel balneis vtẽdo, vel potionibus. Vehemẽter verò ſperma minuunt cannabis ſemen, viticis ſemen, rutæ ſemẽ, radix nimpheæ, hæc ſicca potãtur ex vino. Patet autem cauẽdas cõtrectationes, fabulas, aſpectus, lectiones, cæteraq; quæ venerẽ incitant.

De Gonorrhœa. Cap. LXX.

GOnorrhœa cõmune vitiũ eſt viris & mulieribus, & iiſdem de cauſis eueniẽs. Eſt autẽ affectio, inuolũtaria ſeminis excretio: hoc eſt, ſine coeũdi deſiderio. Quamobrẽ & ſine voluptate. Vbi enim nõ eſt excernẽdi deſideriũ, ibi neq; voluptas: ſiquidẽ voluptas fit excretione eius, quod vehementer angebat. Eſt autẽ eius cauſa, quædã velut reſolutio vaſorũ ſemẽ contientiũ, & in pudendũ fundentiũ: quæ ſicut ſolent per naturã excernere, expultrice vi irritata, ita & pręter naturã contẽtrice abolita: cuius eſt contractione oſculũ claudere, & cõtinere. Nihil verò incõuenit, inq̃t Gal. tale q̃d euenire his vaſis ſolis, quale in paralyſi vniuerſo corpori. Nam & in vrinæ inſtrumẽtis id fieri videmus: Gale. tamẽ conuulſionẽ dixit vaſorũ, xiiij. de Vſu par. Huic verò affectui ſimilis quodãmodo eſt exulceratio pudendorum, adeò vt medici hos nõ diſtinguẽtes cõfundãt nomina, & Gonorrhœã dicãt. Similitudo verò eſt ex defluxus colore, ſcilicet albicãte, cuiuſmodi eſt pus effluens. Vtrunq; verò ſenſim ſtillat. Sed manifeſta diſtinctio eſt odoris. Sanies enim nõ ſine fœtore eſt. At illud caret fœtore. Sanies præterea colore rufeſcit, aut liueſcit neceſſariò ex transmutatione, aut cruentũ quid admiſtũ habet: at ſemẽ cãdicat prorſus. Sed & ex his, quæ cõſequũtur, ſcilicet dolore & inflãmatione quę circa partẽ exulceratã fiũt, quib. caret prorſus gonorrhœa, quæ etiã ſequũtur gonorrhœã, euidentiã faciũt, vt cõtabefactio corporis vniuerſi: quoniã illud excrementũ eſt vtile: quod natura ob generationẽ reſarcire ꝓperat, & ſemper eò ſanguinẽ tranſmittit adeò, vt multi ſanguinẽ ſeminis vice coeundo excreuerint. Sed & laſsitudo, & alia quę debilitatẽ facultatũ ſequũtur. Paulus, & Aet. confundũt hũc affectũ cum Veneris inſomnijs, & malè. Hîc enim frigiditatis, vel humiditatis nimiæ germen eſt: illud caloris, & acrimoniæ. Rurſus ibi ducentiũ vaſorũ eſt: hic verò in ſeminis qualitate. Quãobrem curę ſcopus ibi eſt refrigerare lumbos, & pectinẽ, vt docet Gal. 6. de Loc. & qualitatẽ ſeminis tẽperare: hic verò ſiccare cum modicè calidis, vel omnino temperatis.

Gonorrhœæ curatio.

De

De Mola. Cap. LXXI.

MOlam vteri, quidá omnẽ rem pręter naturá, quę pôdere grauat, & mole extẽdit vterũ nominát, vt Rases, vt videátur caput de falsa cóceptione fecisse. Sed Auic. etiá extẽsionẽ flatuũ sic nominari vult, dũmodo cũ suppressione malũ sit. Paul. omnẽ duritiẽ cóprehendit, vt & scyrrhos. Ego verò melius arbitror seorsum curationes variorũ affectuũ ponere, neq; cófundere, & molá eam solá appellare, quá dixerũt talẽ veteres, Arist. & Galen. sic definiẽtes: Mola est caro inutilis, & informis in vtero genita, quæ & aliquádo breui emittitur, aliquádo verò diu durat per annos. Generatio eius quantũ ad medicũ spectat, multá quæstionẽ nó habet. Sat enim illi est nosse quomodo ex menstruo sanguine fiat, & quòd res præter naturá cótenta sit, quæ excretionẽ exigat. & quę sint accidẽtia, quæ inuehit, vt noscatur, & præcognoscatur quantum periculi imminet. At si naturá rei scrutari placet, Aristotelẽ legimus, de eius generatione sic scribere: Molá esse inchoatá fœtus formationẽ: sed nunquá absolutá ita, vt in carnis genere deficiat generatio, ad gen9 verò animalis puenire nequeat. Hæc ergo aut breui paritur, aut toto vitæ tẽpore seruatur: atq; interim durescit adeò, vt ne ferro quidem discindi posit. Symptomata verò quæ infert apud eum, sunt: vt mulier credat se cócipere, id est ea patiatur, quæ grauidæ pati solent. Causa autẽ cur ad perfectionẽ nó ducatur, est debilitas agẽtis, qua materia generationis nó bene concoquitur, sed semicocta remanet, vnde & opus imperfectũ facit, rerũ instar, quę ob debilitatem perficere nequeũt. Quòd verò posit diu durare, causa est: quoniá nó prorsus præter naturá, vt corrupta: Est enim inchoata actio. Quòd verò durescat, materia cruda est in causa. Cur verò hoc in aliorũ animaliũ fœminis non accidat, causa est, inquit, quòd mulier plurimũ abũdat mẽstruis, & afficitur vtero, id est patitur affectus, à quibus impeditur actio cócoquendi: vnde massa semicruda permanet. hæc ille. Et est eadẽ ratiocinatio, qua de mẽstruis agit 4. de generatione animaliũ 3. Cùm enim agẽs nó superat, motũ nó attingit, sed vel extraneũ à similitudine parentũ gignit, vel etiam animal solum, id est monstrũ: vel etiam carnẽ informẽ, id est nó animal, sed viuens. Galen. eadẽ via ingressus est 14. de Vsu part. & cũcta in agẽtis debilitatẽ refert. Primùm igitur generationẽ hác similẽ facit generationi oui subuẽtanei: hoc verò vno discrepare ait, quòd illud sine maris cósuetudine gignitur, at mola nó nisi in mulierib. cócubentibus. Alijs enim nũquam visa est euenire. Vnde cócludit in hac conceptione, dimidiũ agẽtis, & imperfectius cócurrisse, id est semẽ fœminæ. At quod viri est minimè, vel protinus restinctum. Agit itaq;

Mola est caro informis, atque inutilis in vtero genita.

Mola fit ex mẽstruo sanguine.

Fœminæ aliorum animalium ab homine non patiuntur molam.

concoquendo sanguinem menstruũ, & in quandam carnis speciem ducẽdo, sed animal delineare nequit sine ope maris. Relinquitur igitur corpus viuens & vegetás, caro, quę in nulla specie erit, nisi vt imperfectũ ad genus perfecti reducitur, id est ad genus carnis humanæ, sicut & embrio ad genus hominis. Coitus autem nõ iuuat ad hoc vt semẽ maris in generationẽ deducat: sed quia in coitu ob voluptatẽ mouetur naturali motu semẽ mulieris ad vterũ, atq; admiscetur sanguini mẽstruo, vnde & cõcipit. Quòd verò durescat, mora fortè in causa est, vnà cum materia cruda & crassa, vt Aristotel. dixit.

Quòd verò accidẽtia eueniát cõceptioni similia, in causa est, qđ vterus occluditur, nõ secus ac super fœtu: nõ discernẽs initio vtile ab inutili: vnde retinẽtur mẽses. Sed pòst tractu tẽporis, cùm solent fœtus copiá absumere mulieres melius habẽt: hîc verò semper deterius, quoniá semper causa malè habẽdi abũdant magis, id est retenti menses: vnde & cachexia fit, & tandem hydrops.

Signa verò distinguẽtia, sunt à cõceptione, saltẽ pòst tẽpus: quoniam vbi cõcipiunt leniri in vtero, hic ingrauescũt, & multo deteriora fiũt de grauitate, colore. Ex motu quoq;, quoniá velut põdus iners debilitatur: quòd si moueatur initio, at nõ cõsequitur augendo corpus in tẽpore, quo fœtus augeri solet. Ad molá trochisci de mirrha. Sed qua intentione? Intẽtio est mouere menses, & quasi abortũ facere. Eadẽ ratio curandi hunc affectũ, ac cum deberet extrahi fœtus mortuus medicamẽtis, ve lcum retinetur secũdina à partu. Omnia enim quæ venas aperiũt, & impetũ humorũ faciũt ad inferna, possunt hæc tria facere, sicut & facerẽt abortũ. Priuatim verò in mola tẽtabimus id potionibus trahẽtibus ad inferna copiá sanguinis: & aperiẽtibus localibus, seu pessi sint, seu balnea, vel emplastra, vel inunctiones. In potione trochiscos de myrrha propinat, quos etiam propinabamus suprà in mẽsium suppressione. Aperiũt enim obstructiones omnes, vnde & copia sanguinis in vterũ cõfluet: vnde necessariò parietur mola: quod erat intentũ. Auic. hũc scopũ posuit dicens, Et cum his, quę abòrtũ faciũt. Nos verò decet in primis corpus purgare cum proprijs præparationibus, respiciẽdo excremẽta quę magis abũdant, ne copia trahatur ad vterũ. Quo facto, si ferat, vena talis secáda: ab hac cucurbitulę cum multa flãma pubi: demùm quę aperiũt. Ac primò sessiones molliẽtes locos, vt facilè effluat partus, quibus ad facilitádũ partũ vti solemus in virginibus & quibus de angustia vteri nobis suspicio est: vt sunt decocta alteę, fœnugręci, ficuũ: è quib. etiam emplastrũ imo vẽtri fiat: sed sessiones sunt maximè vtiles. Osculo præterea vteri cerata molliẽtia, vnctionesq; admouebimus, vt œsypij ceratum, & adipes, & medullas.

Postre-

Postremo loco potionibus rem agemus, & pessis, & balneis valde prouocantibus: de quibus suprà in mensiũ prouocatione. Priuatim verò, hos trochiscos de myrrha cum adipe aliquo miscemus, & pessum conficiemus. Quòd si fortius facere libeat, cyclaminis radice vtemur, modis omnib. parata, & in pesso, & in balneo, & emplastro pubis: scylla cocta, & imposita cum adipe. Iuuát verò & quæ cõmotionẽ multá faciũt, vt sternutaméta, & quę tussim mouẽt. Vnde Hippocrat. Si secũdam procidere vis, sternutaméta moue. Est autem his omnibus vitijs vtilis aristolochiæ vtriusq; radix, quocũq; modo vtaris. Ná & ad facilitádũ partũ eius potione vtũtur: sic & ad secundá extrahẽdá, & fœtũ mortuũ. Iuuabit & insessus. Sed secunda sæpius retinetur: quoniam in partu vterus est inflámatus, ideo extrahi nequit, ni prius inflámatio soluatur vena secta, & fotib. & inedia, & balneis. Solent autẽ affectus hi periculosi esse ob acutas febres, quæ hinc sequũtur. Ex cõpositis etiam in hos vsus laudatur, elleborus albus suppositus cum styrace liquida, vel ladano. Rursus sabina herba bibita, simul & supposita naphta. Iuuat in his omnib. casibus. Itẽ hoc. R. opopanacis, fellis taurini, ellebori albi, misce. Aliud ex scammonio, & agarico, & hiera, scilicet mistis. Aliud simplex borax dictus, scrupulum s. Modus emplastri supra pectinem, cum colocynthide, & cyclamine, & succo rutæ.

De hæmorrhoidibus. Cap. LXXII.

IN hoc casu varia est intẽtio, prout affectus euariat: modò enim fluxus est, modò astricta passio. Et cum fluit, nunc permittitur, si per periodos id faciat, neq; superfluat: nunc supprimitur, si vires lædat. Inde enim cõcoctio vitiatur, & hydrops sequitur. Sed de suppressione agendũ nõ est, cum eadem sit ratio cum mẽstruis. Sed de passione astricta agendũ, quæ fit cùm replẽtur fluxione vasa, quę ad annũ terminátur. idq; bifariá: vel enim replẽtur cum dolore facto ab extensione vasorũ: (vasa enim sensu prædita sunt) vel cum dolore & tensione adest inflámatio, quæ nõ venas solũ maiores, sed & minores, & musculorũ ani spacia occupat insensilia, & fit phlegmone. Contingit & differẽtia ex natura humoris: aliquando enim sanguis acutus est, & calidus, aliquádo frigidior. Est & alia differentia ratione loci. Nam vel cęcæ dicuntur hæmorrhoides, vbi tumor extrà nõ apparet, vel sunt extrà eminẽtes. Rursus distinguimus, quoniam vel sponte naturæ fluxione est excitata, ob copiam crassi sanguinis, vel ex aliquo accidente, vt equitatione.

Primus casus sint cum dolore mediocri, nec magno tumore, loco nõ inflammato. Tunc scopus est vacuare pręter naturam distentum: vel itaq; fluxus cessauit omnino, & tunc ex loco ipso, vel ma- Hæmorrhoidæ astrictæ curatio.

gna ex parte, & tunc ex vicino. In primo igitur casu vacuatio tentari debet per resoluentia, si multa materia non sit, neq; magna durities, vnde conijcimus contumaciam humoris: sed si hoc timeamus, melius erit venas eas aperire: aperimus verò modò medicamentis, modò chirurgia. Igitur quæ resoluunt nota sunt: siccant enim sine morsu, vt radix, & flos Tassi barbassi, & cyparissi nuces, & mucilagines fœnigræci, & altheæ. Emplastra, & vnguenta his similia: vt ex cæpe albo, & butyro simul decoctis, & est Rasis multum expertum. Quòd si molliores sunt, etiam magis siccante vtemur, vt alumine illis deiecto. Quæ verò aperiunt medicamenta, sunt primum suppositorium ex rad. cylamini. Aliud à Rase positum: fel vaccinum cum lana suppositum: aliud succus cæpe præsertim scillæ. Mos est practicis folio ficus fricare, vel lacte eius, donec fluant. Facit & cétaurij minoris succus: & demùm omnia, quæ aperientia propriè dicuntur. Sed securius videtur aperire eas phlebotomo, si valde appareant, & emineant. Sin autem, admotis hirudinibus ad tumentiores: & vbi exciderint, rursus admotis, donec multus sanguis fluat, à quo siccante puluere inspergendæ sunt, & emplastro ex cæpe.

Secundus casus est, vbi dolor, & tumor magnus, & inflammatio: in quo casu si de magno fluxu suspicio est, auersione vtemur: & est per contraria, vt secãdo superiores venas: mox deriuatione ex infernis. Aliquando hæc secunda sola sat erit: mox dolor sedandus emplastro ex cæpe albo. Secundo loco cerato Galeni cum luteo oui asso. Tertium ex cerusa, antimonio, & oleo rosato. Quartum vnguentum populeon cum opio. Quintum lotio ex ioscyamo.

Post hæc dolore sedato, si tumescant adhuc, cura eadem erit, quę in primo casu.

FINIS

Commentariorum Leonardi Iacchini, in Nonum librum Rasis ad Almansorem Regem. Basileæ Anno 1564 *Mense Februario.*

LEONARDI IACCHINI EMPORIENSIS MEDICI EXCELLENTISSIMI,

in celeberrima Pisana Academia olim professoris opuscula elegentissima, Nempe

Praecognoscendi Methodus.
De rationali curandi Arte.
De acutorum Morborum curatione.
Quaestiones naturales.

BASILEAE.
M. D. LXIII.

METHODVS PRAE-COGNOSCENDI.

Quis sit præcognitionis usus, quot sint præcognoscenda, & quæ Medicum prænosse expediat. Cap. I.



VLTA de ægris tum futura, tum præsentia cognoscere Medicus debet. Hoc enim in primis honorificum, & diuina illa arte dignum videtur: si præter omnem vulgi expectationem, saluum fore ægrum prædixeris, rursusq; formides, vbi alij spem multam conceperant: vel si ventura symptomata, & cõflictationes, & motus morborum, & tempora eorum prænunciaueris. Eiusmodi quoq; præcognito ad morbos curandos maximos vsus præbet. Nam siue victũ instituas, siue generosum aliquod præsidium admoueas, tunc demum profectò quamminimum delinques, si neq; præsentia, neque futura te lateant. Neq; profectò illud leue existimandum est, si tali diuinatione permotus, sese facilè Medico æger committit, & iussis constantissimè paret. Quòd si quando lethalem morbum esse contingat, id vnum te immunem à culpa seruabit, si nihil inopinatò accidisse videatur. Vniuersa verò hæc tractatio primùm & maximè circa acutos morbos, qui cum febre eueniunt, versabitur: seu verè acuti sint, siue degeneres: quamuis & in reliquis morborum generibus non leui auxilio nobis futura videatur, quod planè exercitatio ipsa monstrabit.

Est autem hæc summa eorum, quæ prænosse oportet. Primùm num æger euasurus sit: quem vbi euasurum conieceris, quæres, quando nam morbo liberabitur, & qualis erit solutionis modus, num crisis, an simplex solutio: vbi simul esse summi vigoris tempore quærimus, & de futuræ crisis natura, & tempore: non secus & de eo, quem lethalem noueris, quæres & genus mortis, & tempus. Porrò horum coniectura, duplici signorum genere habetur. Primũ circa morbi naturam versatur: secundum circa laborantis corpus. In his enim velut in causis, & vitæ discrimen, & spes omnis salutis continetur. Nam causæ euidentes, & generatim omnia externa, nõ alia ratione à nobis spectantur, & ad præcognitionem faciunt, quàm quòd vel morbi naturam aperiunt, vel ægri statum.

De his, quæ circa morbi naturam conſiderantur. *Cap. II.*

IGitur à primo genere orſi ſpeciem primam morbi ſpectamus, de hinc magnitudinem, tertiò morē, quartò motus qualitatem. Speciem quidē morbi, propria eius ſpeciei ſymptomata, hoc eſt, quæ ab ea ſeparari nequeunt, declarant: quibus etiam deſcribi ſolet: vt pleuritim acuta febris cum lateris pungente dolore, tuſsi, & ſpiratione læſa. Sic ad reliquos morbos dignoſcendos procedes, quorum notas proprias antea tenere oportet. Confirmant tamen hanc coniecturam & pulſuum differentiæ, & quæ excernuntur, & acceſsionum formula: ægri præterea natura, & externæ cauſæ. Verum methodum dignoſcendorum affectuum alibi explicauimus. Vbi verò ſpeciem noueris, ſtatim magnitudinem illius conſiderato. Porrò magnitudo aut ſimpliciter in morbo ſpectatur, aut viriū comparatione. Quæ igitur ſimpliciter magnitudo dicitur, ex propriorum eius ſpeciei ſymptomatū magnitudine deprehenditur: vt magna pleuritis, in qua omnia pleuritica ſymptomata magna apparent. Verùm quia ſæpe accidit, vt leue alioqui onus ad vires comparatum magnum dicatur: ſic & in morbis, quamuis ſuapte natura mites ſint, ſi imbecillis viribus, puta decrepitorum, aut infantiū comparantur, magni dicuntur. Hîc ergo non propriam magnitudinem morbi inſpicimus, ſed quantum vires ſuperet. Quo verò modo virium robur, aut infirmitas cognoſcatur, infrà docebimus. Morbi verò morem dicimus ex animantium ſimilitudine, quæ maligna propriè, aut benigna pro morum qualitate dicuntur. Sic enim morbos malignos vel benignos dicimus, magnitudinem periculi imminentis, vel ſecuritatem ſignificare volentes. Si itaq; ſic generatim malignitas capiatur, omnis magnus morbus totius morborum generis comparatione malignus quoq; erit: & omnis malignus magnus. Eſt autem hæc alia magnitudo ab ea, quam paulò antè deſcripſimus: ſiquidem hæc totius generis, illa propriè ſpeciei comparatione dicitur. Sed quæ proprio vſu vocis malignitas dicitur, citra euidentem magnitudinem conſiſtit: vt malignitas propriè dicatur, quæ furtim vitæ inſidiatur: quales ſæpe debiles ad ſenſum febres, graui cùm periculo eueniunt. De qua etiam malignitate nobis modo ſermo erit, vt quæ citra magnitudinem affectus aliquandiu conſiſtere poſsit: itaq; & ſeorſum à magnitudine conſiderari. Num igitur benignus, vel malignus ſit morbus, ea, quæ ſuperueniunt, declarant, quæ etiam poſt apparentia nominari ſolent. Porrò ex ſuperue-

Videtur addendum ex morbi magnitudine.

peruenientibus alia morbi morem sequuntur, quare & ipsum signi ficant: alia verò ex crisis commotione eueniunt: atq; illam pr̨emon strant. vniuersa verò duplici genere comprehendimus: aut enim excrementorum differentįe sunt, aut symptomatũ. Dico autem excrementorum differentias, vt crudum esse, vel coctum, vel prauũ, vel pessimum. Symptomatum verò, quoniá vel mitia toto genere sunt, vel sæua, vel lethalia. Ex his igitur omnibus de morbi more coniecturam facimus. De quibus particulatim sermo fiet: vbi, quæ reliqua sunt, circa morbi naturam exposuerimus. Reliquum igitur erat morbi motum considerare: quem sanè translatione quadam velocem, aut tardum esse dicimus, constantem, vel inconstantem, æqualem, vel inæqualem. Summum namque vigorem morbi quasi metam quandam imaginati, vt eò peruenire morbus properet con sideremus: itaq; velociter, aut tardè moueri dicimus. Properare verò morbum ad statum coniectamus primùm ex morbi specie. Phre nitis enim, & tertiana, & in summa omnis, qui à bile morbus, velox erit ob humoris sanè naturã. Contrà, scyrrhus, & quartana febris, & reliqui, qui ab atra bile, tardi. Post hæc accessionum naturã consideramus: siue cũ febre morbus fiat, siue aliter periodos habeant: vt epilepsia, & arthritis. Nam si inuadere vltra quàm sperabatur, properent, si posterior multo sit priore vehementior, si longior, si malignior: si quamminimùm ante subsequentem remittatur, velocissimè moueri morbum dicito. Quòd si exigua sit excessus earum differentia, tardius. Si omnia multo tempore æqualia perseuerant, tardissimè. Mox & ipsius accessionis partes, quæ tempora dicuntur, contemplamur. ac ponatur primùm febrem intermittere: si quidem omnia sua tempora velocissimè transigat, velox quoq; motus totius morbi erit. Sic enim conditionem causarum conijcies, quarum ratione velocius, tardiusuè mouetur. Sin contrà, serò omnia, tardissimus: sin aliqua velocius, aliqua tardius, medij ordinis fuerit. Pone rursus continuam febrem esse, necesse statim erit aliquot ex quatuor temporibus accessionis produci: quòd si vigor plurimum duret, (quod in ardente febre euenit, & in synochis quibusdam) velox motus erit: si diuturna sit febris, remissio tarda. Quòd si morbus periodos nullos habeat, illius motum ex incremento perspicies. Nam si velociter augeri videtur, velox quoq; totius morbi motus erit: si diu sibi similis, tardissimè. Porrò quàmceleriter morbus augeatur, clarissimè symptomata monstrant, tũ quæ morbi propria sunt, tum superuenientia. Hæc enim vel in horas vehementiam acquirere videas, vel lentè augeri, vel similia perstare. Monstrant & excrementorũ differentiæ, de quibus dicturi sumus.

Nam siue bonæ, siue malæ dicantur, si citò appareant, citò morbum moueri significant: si serò, tardius, primo Aph. 12. quòd ex ijs quoq; natura causarum morbi, eiusq; conditio monstratur. Æqualis verò aut inæqualis motus morbi, partim illius comparatione iudicatur. Sunt enim qui vbi principium velociter præterierint, mox tardius augentur: quin & in eodem tempore inæqualitas motus euenire potest: vt si cum velociter augeri cœperint, impetum illum remittant. Constantes verò morbos dicimus, cum mutationes suas non temere, sed legitimè faciunt. Est autem legitima mutatio vt ordine quodam recto quatuor illas ætates morbus transigat. At illegitima (vnde inconstans dicitur) si temere nunc remittatur, nunc augeatur: vel vbi solutus videatur, rursus repetat. Hanc verò constantiam, vel inconstantiã in primis symptomata significabũt, quæ sine ordine aut certa lege, nunc augeri, nunc minui videntur. Similiter & excrementorum mutationes significant: siquidem vel rite & firmè appareant, vel sine ordine.

De signis, quæ ab excrementorum qualitate sumuntur. Cap. III.

NVnc de his notis, quæ ab ægro corpore sumuntur, agendum: ac primũ de excrementis siquidem & morbi morem, & motum, multaq; alia præcognitionis capita inde habentur. Eiusmodi autem signa quandam veluti latitudinem constituunt, in qua ex altero termino simpliciter bona statuenda sunt, & valde bona, & optima. Rursus ex altero simpliciter, & valde mala, & pessima: mediam autem latitudinem occupant, quæ neutra dicuntur. Primi generis sunt, quæ spem faciunt plus, vel minus, aut certam salutem annunciant. Secundi generis verò, quæ periculũ læuius, aut grauius monstrant: aut ineuitabilem mortem. Tertij, quæ ex sui natura nihil nota dignum ad salutem, vel ad mortem afferunt: sed ambigunt ita, vt cum alijs signis iuncta mortem, cum alijs verò salutem polliceantur. atq; in his primùm coctionis prauitatem, cruditatemq; notamus. Alterum quidem terminũ, id est, coctionem in bonorũ censu statuentes: alterum verò, prauitatem: vnde malignitatem concipimus: in medio verò horum cruditatem, quæ modò neutra signa nominamus. Secundo loco inspicimus, vt citò appareant. Multum enim refert distinguere num citius, aut serius apparuerint. Tertiò num constanter appareant, aut crebrò euarient. Vtrumq; enim horum in morbis euenire conspicimus: neq; parum ad prædictionem

refert

refert hæc discreuisse. Quartò num tempestiuè excretio eueniat. Tempestiuè autem dicuntur excerni, quæ post coctiones excernuntur. Sed coniecturam certissimè confirmat, si confert, & bene ferunt ægri. Confirmat plurimum & diei natura, in qua primum apparere cœperunt. Siquidem dies diem multum viribus, & bonitate excedit, tum indicando, tum in iudicando morbo, quod postea docebimus. Quintò num pro morbi ratione fiat. Alij namque morbi alias excretiones exigunt, aliasque excernendi vias; siquidem rectè solui debeant. Hæc igitur omnia in excrementis animaduertere oportet. Sunt autem excrementorum genera quatuor, vrinæ, deiectiones, sputa, & quæ è cerebro per nares, vel palatum descendunt. Signa verò quæ ab illis sumuntur vel ex colore sunt, vel ex odore, vel ex modo substantiæ, vel ex quantitate, vel ex facilitate excernendi.

Cur non addit sudores?

De his, quæ ab urinarum differentijs indicantur. Cap. IIII.

CÆterùm melius erit in vnoquoq; genere exercere lectorem, initio ab vrinis accepto. Est autem earum vis significandi maximè in febribus: siue solæ subsistant, siue cum visceris alicuius affectu. Monstrant enim qualis sit vis concoctrix per venarum corpora extensa: siquidem eius coctionis vrina excrementum est. Igitur vrinas aut simpliciter coctas nominamus, aut crudas, aut prauas: & in vnoquoque horum quandam veluti latitudinem statuimus: vt crudas, & quib⁹ nullũ coctionis vestigiũ adest; & quibus obscurũ, & debile est impressum, dicamus. Rursus coctas alias, in quibus euidens iam concoctio visitur; & quibus abdita adest. Prauas verò vel simpliciter dicimus, vel valdè prauas, vel pessimas. Cruditas infirmitatem actionis propriè significat, coctio robur, prauitas malam transmutationem. Cuncta verò hæc ex eo, quod velut metrum omnium esse debet, sunt extimanda: hoc est ex ea, quæ optima, cuius comparatione & crudæ magis, vel minus: & coctę magis aut minus, & prauæ dicantur. Ea est sanorum vrina, cũ probè concoxerint. Qui igitur in his inspiciendis exercitatus fuerit, facilè de omni latitudine iudicium feret. Quòd si quibusdam notis depingere eã libet, dicamus hanc & colore subflauo, aut ruffo esse: substantia verò adeo mediocri, vt neq; crassam, neq; tenuem facilè dixeris, neq; instar aquæ pellucidam, neq; opacam. Quæ verò subsidunt, & quantitate, & substantia mediocri erunt: colore ex ruffo albicante,

leuorem præseferentia, atq; æqualia. Quòd si colore alio prædita sint: siue alia consistentia, ab hac plus, minusuè degenerant. vt si quæ subsident prorsus alba sint. sunt enim cruda pituitæ soboles. Si diuulsa sint, si partes inæquales habeant. inæquales enim alterationem significant. Similiter & situs improbatur, si pendent nebulæ instar, quę subsidere debent: atq; hęc quanto sublimius pependerint, eo magis ab exquisita concoctione distare credentur. hoc loco biliosas naturas excipere oportet; quæ si præterea bilioso morbo laborent: idq; in æstuoso cæli statu, vbi antea validis exercitationibus operam dederint, sat fuerit ad coctionem monstrandam tenuis nebula, quando exiguum, & minimè fęculentum est, quod subsidere debet. Quin & sola coloris ad bonum mutatio aliquando ad exactam coctionem monstrandam sat fuerit: vt vbi hæc, quæ diximus omnia, & valida vnà conuenerint. At contrà in pueris, & gulæ deditis, & ociosæ vitæ, præsertim si hyemis tempore pituitoso morbo laborent plurima, & bona subsidere oportet ad absolutã coctionẽ monstrandam: quod plurimum in his fit, quòd caloris actionem potest effugere. hinc autem subsidentium naturam constare alibi est explicatum. Iam eam quæ quasi exemplar aliarum est, & quales ab hac degenerent, depinximus. Ab hac igitur longissimè distant, & quę absolutè crudę dicuntur, & quæ prauæ. Est autem cruda maximè aquæ persimilis, siue consistentiam, siue colorem spectes. Hic enim nihil adhuc impressit calor. huic proxima est, quę exiguam mutationem adepta, alba vina repræsentat. mox subpallida. hæ omnes simpliciter crudæ dicuntur. Quę ab his coctionem versus proximè recedunt, obscuram coctionem præ se ferre dicuntur: vt pallida vrina, & tenuis. Quòd si ab his turbidæ euadant, obscura pariter coctio erit, sed spem maiorem coctionis facient, quòd multam caloris, qui humores alterat, actionem monstrabunt, & robur: præsertim si in vase repositæ non multo pòst perspicuæ fiant, & subsidentiam habeant. Ab obscuris his coctionibus statim ad euidentes proceditur: vt si quæ tenuis erant substantiæ, vel crassæ antea, & turbidæ, quandam mediocritatem acquisiuerint: vel si colorem ad melius mutent: vt si quæ subpallidæ erant, ruffæ euadant. In hoc quoque genere rubra censenda est, siue sola substantia vrinæ talis sit: siue quæ in ea subsident. Proximè verò ad absolutã coctionem accedit, quæ in cæteris quidem mediocris esse censetur, albam verò nebulam continet. In altero autem ordine prauæ dicantur, quæ prauam (vt diximus) transmutationem referunt; è quibus extremùm locum habet nigra vrina, præsertim si vnà quæ subsident, nigra sint. mox quæ pendent. Minus si sola substantia vrinæ nigra sit: minus

nus adhuc si fusca, vel liuens, vel viridis. Odore quoq; prauitas deprehenditur. Prauæ enim sunt, quæ prauam olent putredinem: prauæ etiam ex sedimenti substantia: quę vel furfur, vel crassiorem farinam imitantur. Excipere verò oportet in primis criticas excretiones, in quibus sæpè praua vtiliter excernuntur: vt si in melancholico morbo nigra mingantur. Securè verò talia excerni facilè deprehenditur: tum ex his, quæ dicemus securam crisim facere: tum maximè quod antea toto morbi tempore salubria signa apparuerant, & in vrinis coctiones præcesserant. Est insuper animaduertendum ne eiusmodi vrinarum prauæ differentiæ, ex affectu aliquo instrumentorum vrinæ eueniant. Tunc enim non totius corporis statum: sed priuatim earum partium affectus indicarent. Atque hæc de vrinis satis, quatenus ad prognosticum negocium attinet. Nam & alia fortè consideranda erunt, quæ ad affectuum agnitionem faciant.

Cæterùm qui ex vrinis iudicat, caueat oportet apparentem, & fucatam coctionem: crudus enim humor subsidens bonum sedimentum imitatur: sed facilè error deprehenditur; primùm colore, quem ille maximè albicantem habet: hoc verò ex ruffo album. Subsidentia quoq; substantiam habent minimè fractam: sed velut continuam, vt diximus, quamquam crudus humor antecedat. Prętere a sedimentum bonum, suspensa nubes. Ad crudos verò humores cum concoquuntur, suspensio fieri incipit; imitatur & pus subsidens in vrinis, sedimentum vtile: sed odore discernitur; & quia antea affecta vrinaria instrumenta esse oportet: & omnino partes, quę per vrinas expurgari solent. Nec minus illud est cauendum, ne praui illi colores ob naturales excretiones fiant. sæpè enim in melancholicis morbis nigra excerni videas multa vtilitate. Cæterùm talia securè excerni facilè deprehenditur: tum ex his, quæ dicemus securam crisim facere, tum quòd toto morbi tempore salubria omnia apparuerint, præcipuè verò coctionis notæ.

De alui excrementis. *Cap. V.*

EX alui quoq; excrementis plurimum ad dignotionem iuuamur affectuum earum partium, quæ sub septo statim sunt positæ; hoc est ventriculi, intestinorum, lactium, fellis, vesicæ, & simarum partium iocinoris: quòd hæ partes per eam viam sua excrementa expurgare soleant. nunc verò de affectuum cognitione non agimus: sed de præcognoscendi arte; quę hinc quoq; coniectu

ram facit in morbis earum partium, quas diximus. In his itidem optimum statuimus, quod & concoctum dicimus, & crudum, & prauum. Atq; optimum quidem similiter ex eo, quód in sanis cum bene concoxerint spectatur, nihilq; in victus ratione deliquerint: nō qualitate inquam, non quantitate ciborum, non in varietate, non in hora, vel ordine: talia enim statim (quod ad colorem attinet) sub ruffa, aut subflaua erunt; nempe colore bilis affluentis mediocriter infecta: Substantia verò tenuis, crassiq; media, quantitate proportione respondens assumpto cibo; nec tardans plus iusto, neq; properans. Hinc consequitur quòd neq; cum sterpitu excernatur, neque acris sentiatur, neq; mordeat. Huius ergo comparatione cruda dicentur maximè quæ cibi qualitates referunt: quoniam maximè laborare vim alteratricem earum partium demonstrat; quibus primùm concoctio delegatur. ab hac succedunt ea, quæ exiguam in cibo alterationem factā esse demonstrant. Tenuia quoq;, & aquosa cruda sunt, & quæ cum strepitu emittuntur, & flatulenta sunt instar bubuli stercoris. Prauæ verò deiectiones dicuntur decolores; quibus nihil est bilis permistum. Prauæ quoq; quæ syncero colore sunt, vt vehementer flauo, & cruentæ, & nigræ, & liuidæ, & fuscæ, & virides. Male enim affici partes eas significant; & malam in alimēto transmutationem efficere, nisi natura vniuersum corpus criticè eiusmodi excretionibus repurget, quòd de vrinis diximus. cæterū animaduertere oportet, ne praui illi colores, ex assumpto cibo originem traxerint. Prauę etiā sunt variæ, & impermistæ, quòd varios quoq; affectus adesse in illis partibus demonstrant, vnde nec facilè superari à natura posse. Pessima sunt, quæ pingue plurimum permistum habent, & vehementer fœtent. Magnam enim vim extranei caloris colliquantis ostendunt.

De his, quæ è pectore excreantur: sputa appellant. Cap. VI.

SIc sputa in pectoris, & pulmonis vitijs inspicere oportet: atque ea optima iudicare, quæ albaq;, quæ leuore prædita, & æquali consistentia fuerint. Summa verò cruditas eius excrementi iudicatur ex arida tussi, in qua nihil excreatur: quòd crassitiæ, vel lentore humoris contingit. Proxima huic est, vbi pauca & tenuia vix excreantur. At cum subflaua, vel subrubra fuerint, euidentem coctionem demonstrant; præsertim si bene albo sint permista. Nam quæ syncera sunt flaua, praua iudicantur: quòd magnam partium intem-

intemperiem: aut humorem, qui non facile temperari queat, significant. quanto magis si viridia sputa fuerint, si fusca, si liuida, si nigra: Talia enim exustione fiunt, vel caloris natiui extinctione: sic si male oleant & vehementer amara sentiantur. Illud enim prauam caloris putridi alterationem, hoc vehementiam exustionis significat. Prauũ quoq; est, varia colore, & impermista esse, quo verò peiores colores fuerint, eò deteriora. Varias enim partium affectiones, easq; omnes solutu difficiles significant.

De his, quæ per nares, & palatum excernuntur. Cap. VII.

QVæ verò è naribus, & palato excernuntur, de partibus, quę intra caluariam sunt, certò significant. In his quoq; laudantur, quæ colore bene permisto, vel etiam albo fuerint; mediocri verò substantia. statim verò & facilè excernentur, & mordacitate omni carere æger sentiet. Cruda maximè sunt, cum nihil excernitur: postea si tenuia, & acria excernantur. Praua dicimus, quæ prauo colore infecta fuerint, vt viridia, nigra, & male olentia. hinc atri sanguinis gutta è naribus stillans mortem annunciat.

De his, quæ in morbis superuenire dicuntur, seu de superuenientibus symptomatis. Cap. VIII.

NEq; excrementa solùm in ægro corpore considerabis, sed alia insuper omnia, quæ in morbis superuenire solent. His enim tum morbi morem, tum motus qualitatem dignosci diximus. Horum igitur quę symptomatis rationem habent, alia ad ægri corpus pertinẽt; alia ad functiones. & in ægro quidem corpore decubitus formam considerabis: num scilicet cubet, vt sani solent; nempe in latus leniter inflexis cruribus, an distentis potius, ac projectis resupinus iaceat: num diu in eodem situ quiescat, vel continuè positum mutet, & brachia, manusq; proijciat, eorum exemplo qui vehementer anguntur. Illud enim lenitatem morbi, hoc prauitatem monstrat. Tanto verò maiorem, quanto sine aperta morbi magnitudine eueniat. Magnã enim vim maligni morbi demõstrat. Mox cum manum corpori admoueris, siquidem media corporis vrantur; extremæ verò partes algore nimio teneantur, nec facilè reuocari calor possit, pessimum iudicato, quòd morbi magni sedem

in visceribus haberi significat. Molem quoq; corporis nimium diebus primis contabuisse, idq́, citra euidentem causam, malum: quòd morbus occulta vi vehementer corpus dissoluat, viresque deijciat. Sunt autem euidentes causæ excretiones immodicæ, si quæ præcesserint: seu sensiles sint, vt vomitu, deiectione, vrinis, sudoribus, sanguinis fluore: seu insensiles, vt quas inedia, vel vigiliæ, vel dolores, & in summa motus vehementes faciunt. Contrà verò nihil contabescere, neq; id probatur: attamen malignitatem non mõstrat, sed motus potius tarditatem. Pessimum verò esto, si pustulæ, aut tubercula, aut alia id genus, quæ apparuerant, repentè delitescant. Monstrant enim naturam, quæ causas morbi pellere tentabat, multitudine vel prauitate superari. Quòd si antea vlcera aliqua aderant, vel ipso morbi tempore superuenerint: siquidem male colorata fiant, vt liuida, vel nigra, pessimum iudicato, quod caloris natiui extinctionem monstrat: vt si vlcera antea madentia immodicè siccentur. Sic sudores frigidi, vel inæquales, vel fœtidi vehementer praui sunt, præsertim in acuto morbo. Mox partes inspicio, quæ sese visui offerunt, ac vultum inspicio in primis, qui quàmlongè absit à natura sui considerabitur: tantum enim prauitatis ostendit, quantum inde abest. Si itaq;, vt de toto corpore diximus, nulla ex causa euidente, sed sola morbi ratione, acuta primis diebus naris fiat, & collapsa sint tempora, & genæ, prauum fuerit: sed priuatim oculi præ omnibus signa prauitatis dabunt: siquidem natiuum illũ splendorem amisisse eos videas, & velut emortui appareant: vt si caui ad modum effecti sint, si alter altero minor; si præter voluntatem illachryment: si nigra quasi suspensa delitescant, si candida eorum pars rubra immodicè fiat: si peruertantur: si circumagantur; si tremant. Lingua quoq; interpres animi aliquid monstrat, prauitatem scilicet, vbi obmutescat, vel deliria loquatur, vel battologiam patiatur, vel resoluta, & vix mobilis fiat. Stridere quoq; dentibus interdormiendum præter ægri consuetudinem, malum est, vt si labia peruertãtur, & contortum os fiat. Sic manantes nigro cruore gingiuæ, nigræq́;, & siccæ sordes dentibus inhærentes, praua ęxtimantur. Ab his pectus considerabis, vt in respirando moueatur. Nam si respiratio eò difficultatis deuenerit, vt musculorum genera omnia ad eam concurrant, pessimum erit: vel enim vires valde imbecillas, vel incendij vehementiam, vel vnà vtrumq; demonstrat. Sed & causa esse potest, quæ prauitatem morbi adaugeat; siquidem non bene ventiletur innatus calor. Extremos verò artus aut tremere, aut conuelli pessimum est: vt si pollex ad mediam palmam concidere videatur: sic frigus & liuidus eorũ color, ęxtremũ malum significat. Contrà

verò

verò iucundus,hylarisq; vultus,facilisq; ægri toleratio,& facilis reſpiratio,& æqualiter calens corpus.Demum omnia,quę ſecundum naturam,aut à naturali habitu non adeo remota, bona iudicantur. Reliquum verò genus,quòd ad functiones ſpectat,vt maximi momenti ad morbi morem dignoſcendum,diligenter inſpicito,ac primam vitalem facultatem dictam,vt robur habeat, è pulſu dignoſces.Nam vehementes , robur: languidi infirmitatem monſtrant. Non poteſt enim vehementia ſine robore eſſe. In languidorum autem genere,maximam infirmitatem monſtrant, qui vermium, aut formicarum motum imitantur.Quòd ſi ad languidos pulſus intermittentes ſuccedant,proſtratam iam facultatem oſtendunt.Solent enim tales pulſus,viſcerum quoq; validis obſtructionibus aliquando ſuccedere,quando non infirmitatem facultatis,ſed affectum inſtrumentorum demonſtrant. Sunt & alia, quæ ex pulſibus præſagias:ſed nũc quæ ad morem morbi attinent duntaxat attingimus, cætera verò ſuis locis ſcribentur.Monſtrant quoq; infirmitatem facultatis huius , animi deliquia, quæ ſi grauia ſint,vt quas ſyncopas dicunt,extremam morbi prauitatem ſignificant. Animalis item facultatis robur,propriè ipſius functionem demonſtrant,ac primùm motricem æſtimabis,vt facilè, prompteq; moueatur conſiderans. Tunc verò extrema eius infirmitas ſignificatur,cum in pedes delabuntur.Pertinēt ad idem genus & tremores, & conuulſiones , quæ quo magis ſuperioribus corporis partibus euenerint, eo & maligniora cenſenda ſunt. Quòd primum facultatis principium læſum teſtatur,præcipuè verò ſi circa faciem fiant:ſiquidem à cerebro ſtatim neruos accipit,motricis quoq; infirmitatem ſignificant. Si vrina,vel deiecto præter voluntatem reddatur, dum partes hæ huic operi dicatæ nullo proprio affectu teneantur. Senſus quoq; hebetes,ſeu viſus,ſeu auditus,ſubito facti,peſsimũ affectum monſtrant: vt ſi extremæ partes quaſi ſtupidæ torpeant.Hic præterea ſomnos, & vigilias conſiderato.Siue enim ſomnum neutiquam capiant: ſeu ſoporati ſint ægri , prauum vtrumq; præter modum eſt; vt ſi turbati ſint ſomni,atq; terrificis imaginibus referti,ſi delyrium excitent: aut aliter ſymptomata praua alia inuehant,vel adaugeant. Prauitatem enim humorum ſignificant; qui interdormiendum in viſcera conceſſere.Prauum quoq; eſt delyrare,aut obliuiſci.prauum eſt dolorem non ſentire.prauum cibum omnem auerſari.prauũ, vbi partes oris omnes exuſtæ appareant,non ſitire: emortuam enim facultatem ſignificant,ſiquidem ad delyrium non conſequantur. De facultate verò naturali,excrementa iudicium faciunt; de quibus paulò antè dicebamus.coctionis enim ſigna vt bona,alia verò vt praua

existimamus: quatenus morbi morem malignum, vel benignum demonstrant. qualis enim sit eius actio, his demonstratur, vel inquã abolitam esse, vel imminutam, vel deprauatam. Supprimi verò vrinam, prauum huius facultatis symptoma esse potest, vt sudores immodici, & immodica per halitum digestio. aliquando tamen decipimur.

Quæ in æstimanda horum symptomatum prauitate animaduertere oportet. Cap. IX

CÆterùm in æstimanda horũ prauitate, multis modis falli possumus. Nam cum soleant & morbi prauitatem sequi: sint & aliquando morbi propria, morbiq; naturam sequantur, vt delyrium, & vigiliæ phrenitim, hoc primum distinguere oportet, neque prauitatis morbi notam dicere, quòd totam speciem morbi consequitur. Neq; enim inuoluntarius mictus in paralysi, neq; grauis somnus in lethargo, prauitatis sunt signa, sed affectus solùm. Distinguendum itaq; num morbi naturam sequantur, vel morem. Erunt enim prima demonstratiua speciei signa, secunda verò prauitatis. sed hoc facilè distinguitur. Nam quæ morbi naturam sequuntur, pòst apparent: semper equidem praua existimanda sunt, quòd magni morbi symptomata, sed longè deteriora, si superueniant, vt quæ prauitatem quoq; morbo adiunctam demonstrant. Nec minus illud considerandum, num ea, quæ praua posuimus, ægro per naturam eueniant. Sunt enim quibus inæquales per naturam pulsus: sunt quibus parui & languidi: sunt qui dentibus stridere consueuerint: sunt qui palpebras inter dormiendum non committant: sunt qui supini cubent: quare in his nihil prauum significãt. Quòd si particularem ægri naturam noris, non id solum vtilitatis feret ad præsagiendum, sed & magnitudinem symptomatum intelligere poteris. Maxima enim fuerint, vbi longè à natura distant. Itaq; in homine composito, ferox responsio valde suspecta est: At in milite, & iracundo, non itẽ. Quoniam verò in eodem genere multa est maioris, & minoris differentia: id quoq; distinguere oportet. Sunt enim vt diximus, quæ simpliciter praua: sunt valde praua, sunt pessima, quę omnia ad morbi morem referuntur: quem malignum significant. vt contrà quę bona, aut valde bona, aut optima, benignum, summũ que eas appellationis differentias ex vi significandi. Maximã vim igitur habent coctiones eius morbi proprię ad benignitatem monstrandam: vt contrà, ab vrinis nigris nemo est saluatus, si morbi ratione

tione tales minguntur. Est itaq; in pòst apparentibus ordinè ponere, quo alia firmiora signa & maiore vi alijs dicantur: id autem vel ex magnitudine accidentium, vel numero. Magnitudo verò ista, seu vis, primùm in propria symptomatis natura spectatur, vt formicans, vel intermittens pulsus, vel syncope. Mox acquisita magnitudine, vt si duas pulsationes intermittant. Numerus verò prauitatē quidem augere potest, sed si leuia sint, facilè à bono aliquo signo hebetatur, vt contrà malum aliquod egregiè, bona omnia, quæ appareant suspecta facit. Rursus cum critica symptomata, vndequaque his, quæ narrauimus similia sint, ne temere de prauitate morbi iudicium feras: distinguere hæc inter se oportet, quòd statim fiet, vbi quòd reliquum est de signis apposuerimus.

De his, quæ secundariò, uel ex accidenti significant. Cap. X.

IVuat quoq; ad præcognitionem, præter ea signorum genera, quæ posuimus, & naturam ægri spectare, & externa omnia. verum hæc secundariò significant aliquid, vt ætas, primarum facultatum robur, vel infirmitatē: vnde prauitatem signorum adauget, vel minuit. Temperamentum verò, de morbi natura, & causarum notitiam parit. Inde enim scimus quibus morbis capi facilè possit, & à quibus causis facilè patiatur, qualesuè humores aceruare soleat: vnde & ad præcognitionem iuuamur, tum quia & quantus sit morbus ex eo metimur, & quàm celeriter moueri debeat, & crisis modos. neq; in toto corpore id nosse iuuat, sed principum partiū, ad robur earum noscendum. Sic & ex corporis habitu antea perspecto, quantum ad sui naturam æger distet, accipimus. Sed & roboris vel infirmitatis est signum. densi enim habitus corpora, robustiora gracilibus, & rari habitus, & duri, mollioribus. Iuuat verò & aliarū partium robur, vel infirmitatem inspicere. Quæ si minoris notæ fuerint, possunt tum principes partes in consensum trahere, vt os ventris. est enim quibus imbecillum est, & acris sensus. est contrà, quibus robustum. Id enim ad præcognitionem facit, vt artus si natura sint imbecilles, & facilè fluxiones in eo corpore excipiant, quales sunt arthriticis. Iuuat & considerare, num cacochymum corpus sit, vel plethoricum, aut humorum corruptela afficiatur, & qualis sit cacochymia, hoc est, num bili flauæ, vel atræ, aut potius pituitæ attinens. hinc enim de morbo, & causis, & eorum magnitudine coniecturam facimus. Externas quoq; causas inspicere oportet, plu-

rimum enim hoc ad præcognitionem facit, idque duplici ratione. Hæc etenim tum morbi naturam aperiunt, tum ægri statum, tum solutionis rationem. Externa appello ambientis aeris conditionem, tum apertã in calore & frigore, tamẽ occultam in benigna, vel maligna qualitate, quæ tamẽ ex morbis, qui publicè grassantur, detegitur. Quare hos quoq; considerabis, & eorum naturam, & magnitudinem, & morem, & solutionis modum inspicimus. Causæ quoque aliæ procatarticæ morbi, tum naturam morbi, tum eius magnitudinem demonstrant: vt ebrietates, iræ, motus immodici, vigiliæ; & in summa, vniuersa anteacta vita. Præcedentes quoq; affectus corporis inspicere expedit; siue etiam nũ affligant, siue desierint. Hinc enim robur metimur, & de præsentibus iudicium facimus.

Quí critica symptomata ab his, quæ prauum morbi morem significant, distinguamus. Cap. XI.

CRitica symptomata vel vnà cum criticis appellatis causis inuadunt, vel non multo antea. Criticas causas dicimus, motiones, quibus morbus indicatur, sudores inquã, sanguinis profluuia, abscessus, deiectiones: symptomata verò critica, quę criticã conflictationem comitantur: quæ sanè eueniunt, tum quia inutile excrementum, nempe morbificam causam secernit, tum quia à se propellit; quę omnia non leui labore peraguntur. Videbantur ergo hæc rei ignaris, illa eadem esse, quæ in praui moris morbis antea conspexerũt: quare, vt terrifica, & lethalia vulgo imponere solent. At non decet generosum medicum terreri, sed contrà, prædicere, quò res euasura sit, cunctisq; spem facere. Vtrobiq; enim videre est vitiosas respirationes, pulsus inęquales, delyria, sopores, surditates, cordis morsus, visus hebetes, lachrymas, somnos perturbatos, dolores, & alia eiusmodi, quæ antea prauum morbi morem indicare dicebamus. Vruntur persæpe, & accessiones consuetã anticipant horam, & vehementiores sunt, & longiores. Expedit igitur distinguere, num critica hæc nuncia sint, an mortis. Id verò ex coctionibus distinguitur. Quæ enim ante coctiones eueniunt, morbi praui ratione fiunt, vtpote ipsius germina. At post coctiones natura non irritata, sed proprijs agens legibus ea excitat, nihil itaq; timoris afferunt, sed proximam salutem annunciant.

De

De morbi temporibus dignoſcendis, & ſtatus præcognitione. Cap. XII.

HActenus genera omnia, à quibus inditia ſumi debent, explicauimus: ſupereſt, vt in his, quæ præcognoſcenda ab initio diximus, lectorem exerceamus, ſi antea docuerimus quibus ſignis morbi tempora dignoſcantur; & qua methodo ſummus vigor, quando futurus ſit, præſentiatur: ſiquidem ex hac noticia, & de criſi, quando futura ſit, & qualis futura ſit, inueſtigamus. Morbi igitur tempora, ſimilitudine ab animalibus ſumpta, quatuor dicimus, atq; iiſdem nominibus eorum ætates nominamus. vniuerſum namque durationis tempus diuidimus in primum augmentum, vigorem, & declinationem. Nullum verò horum, dierum numero deſcribi poteſt. Multum enim morbus à morbo diſtat, longitudine & breuitate temporum. ſed neq; ſenſibile tempus vniuerſa perpetuo occupant; quinimo ſæpe euenit, vt principij tempus ſenſum fugiat, ſtatimq; ad vigorem morbus properet. Quibus verò notis vnũquodque temporum deprehendas, hinc apertum erit. In propria morbi ratione functionum læſio eſt: quippe hac morbi natura definitur. Læſiones verò, ſymptomata dicuntur: quare ex ſymptomatis eorũ diſtinctio certiſsima habentur. Hæc enim vtpote prima morbi effecta, neceſſe eſt pro ſui augmento vel imminutione, morbi quoq; ętates definire. Vniuerſa igitur morbi generatio principium dicitur, quando & ſymptomata puſilla adhuc ſunt, vt in eius morbi natura eſſe contingit. Etenim in principijs leuiora omnia. Cùm verò increſcunt ſymptomata, tum quæ propria eius morbi ſunt, ſimulq; inuadunt: tum quæ ſuperueniunt, morbum augeri dicimus; donec cuncta vehementiſsima euadant, quem ſummũ vigorem nominamus; à quo tempore, vel ſubitò morbus ſoluitur, nec ſenſilis aliqua declinatio apparet, vel ſenſim inclinare incipit; atq; hæc eſt morbi remiſſio, ſeu declinatio. Fiunt autem hæc morbi tempora ex cauſarũ motione. Accidit verò hæc mutatio, vel quia natura eas alterat, ac conficere nititur, vel quia continuè magnitudinem acquirunt, & vires. Si igitur natura alteret, & coctionẽ moliatur, idem vniuerſim morbificis accidit cauſis, atq; id quod in ſuppurante tumore euenire videmus. Nam quò magis naturæ actio procedit, eò & maior eſt morbi impetus. & maiora ſymptomata, quouſq; metam alterationis attingat, quam coctionem nominamus, à qua & naturæ impetus remittitur, & morbi. At in ſcirrho, & cancro, & gangrena, & phagædenico vlcere, cauſarum motio ſponte ſua accidit, non naturæ altera-

tione, vel enim iuxta materiæ influentis copiam, sua tempora habent, vt scirrhi: vel iuxta prauitatem; quam tempore acquirit; vt in cancro. Significatio verò & his, & prioribus communis est: nempe ex symptomatis tum simul inuadentibus, tum superuenientibus Inclinationem verò hi non habent, quemadmodum neq; lethales morbi: nam & hi omnes sua tempora ex prauitate à causis acquisita sortiuntur: symptomatis verò significantur. Eadem ratione & in morbis immaterialibus tēpora distinguimus: vt in Tabe. Est & alia ratio, qua tempora dignosci possunt, ex notis, quæ in excremētis spectantur, coniecturam faciens. Vbi enim vel crudæ morbi causæ fuerint; vel obscuram adeptæ coctionem, principium dicitur. vbi verò iam euidentes notæ cernantur, augmentum. vbi iam coctio terminū attingit, status, seu summus vigor. Simul enim & procedere coctionem contingit, & morbum increscere. Sic enim in febre, & phlegmonis euenire videmus. Quā sanè significandi ratio (quāuis artificiosa) plurimum tamen deficere videtis. Nec enim in omnibus morbis hæc signa conspiciuntur, non in materialibus, non in luxationibus, non in frigidis tumoribus, non in morbis lethalibus: At decet Medicum artem omnibus communem habere. Contingit præterea in his, qui concoquuntur morbis; vt ad portionem coctionis procedentis, continuè remittatur morbus, sic in pleuritide contingit: sic in pulmonia: sic in paragmastica febre, atq; alijs multis affectibus. Nam tametsi coctionis procedentis ratione, increscere debuisset morbus, euadit tamen inde mitior, quòd multum causarum continuè absumitur. Hæc de temporum agnitione: statum quoque morbi præcognoscendum diximus, hoc est quàmlongè absit, & quanto tempore sit duraturus. Horū verò confusam quandam notitiā statim inter morbi initia habere licet: idq; hac ratione. Primùm enim morbi species id satis monstrat: siquidem quartanas febres diuturnum morbum esse; & ita longè abesse statum. Tertianam breuem; Ab hac magnitudo spectanda. Magni enim in eadem specie, citius paruis soluuntur: vt magna quartana qualis continua est, & magnus causus. à magnis enim natura plurimum irritatur. Quare vrget opus, totoq; nixu contendit, paruos verò negligit. Mox motus qualitas, quod maximum tibi erit indicium. Qui enim velociter mouentur (siquidem æqualis sit motus) etiam cito terminū habebunt. Quòd si ex acutorum genere sit; quod intra quartumdecimum diem summum vigorem habebit, experientia monstrauit. Coctiones quoq; inspicimus, vt cito, vel serò appareant. Inde enim velocitatem, & tarditatē motus morbi iudicari diximus. Ægri quoque naturam spectabis. In frigida namq; ætate, & natura corporis,

tardius

tardius mouentur morbi: vnde & serius ad statum peruenient. Externæ verò causæ, quæ corpus, vel antea affecerunt, vel etiam num afficiunt: sicut & anteacta vita vniuersa. De distantia, vel propinquitate status, aliquid prænunciant, quatenus causarum naturam demonstrant. Æstiuæ itaq; quartanæ breues hac ratione fiunt: præsertim in homine parci victus, & exercitationibus dedito. Contrà verò ociosa vita, & hyemis tempus, morbos diuturnos facit; quamquam & propria ratione ambientis aeris status, aliquid indicare potest: siquidem causas morbi plus, minusuè dissoluit, vel seruat. Porrò tempus præfinire exactè, non semper prima die licet: quando neque prima fortè dierum periodus, quicquam certi apportabit. Nã sæpe ne vllam quidem mutationẽ facit morbus intra eum terminũ, sed omnia æqualia; siquidem lentè moueatur. Sed neq; id magni refert, quãdo sat fuerit, primis dieb. nosse, nũ acutus, an diuturnus sit morbus, ne in victu erretur. Quòd si diuturnior adhuc sit: multas quoq; periodos prçterire necesse est; priusquam aliquid innouetur. At cũ non longè abest, signa aliqua necessario apparebunt; & multo magis, cum iam instat: idq; in his diebus fiet, quos Indices vocant. Nam si in cæteris, nihil fidum nobis demonstratur. Omnes itaque dierum quaterniones animaduertito, num in his aliquid nota dignum appareat, quòd ad benignitatem, vel prauitatem monstrandam aliquid momenti habeat. Statim verò & eorum quæ visa sunt, vires, numerum, & magnitudinem inspicies. Si enim multarum virium sit, quod apparet, aut nubecula alba antea non visa, maximum signum est, propè affore summũ vigorem. Exactam verò noticiam habebis, vbi diei naturam, in qua primùm visa sunt, consideraueris. Si enim magnam vim indicandi habeant, vt quarta, vel vndecima: profectò intra proximam dierum periodum status erit. Sed de dierum viribus, ad huius commentationes calcẽ seorsum agetur. His adde, & motum morbi, & externa omnia. Nam si ad celeritatem faciunt, eo magis tunc futurum statum prædicere poteris. Sin aliqua tarditatem efficiant, tanto serius aduentabit, quantum & viriũ tardanti causæ inerit. Sic itaq; artificem tibi coniecturam confinges.

Quæ prædicentem cauere opus sit. Cap. XIII.

MOnere etiam antea prædicentem Medicum oportet, ne temere sententiam ferat. Turpe enim est falsum deprehendi Attamen humanum censendum; siquidem rarum sit. Nam nihil inprædicendo delinquere, diuiuum potius, quàm humanum existimari debet. Quæ igitur cauere oporteat, sic accipito; ac primum in salubri, suapte natura, morbo. Cum enim aliter euenit, ac

præmonſtratum fuerat, neceſſe eſt aliqua ratione impediri naturā, quominus iuxta proprias leges agere poſsit. Sunt autem quæ impediunt, ea de quibus ſcripſit Hippo. primo Aph. primo, quorum caput vnum eſt; Animum, vel corpus ægri vehementer moueri. atque hæc vel ab ipſo Medico committuntur, vel ab ægro, vel à miniſtris, vel demum caſu eueniunt. Æger quidem, dum præceptis non paret: Medicus cum præ inſcitia, aut incuria, nec qualitatem remediorum, nec quantitatem, neq; horam, neq; debitum vtendi modum præſcribit; vel ſi ad oſtentationem ſemper aliquid moliri circa ęgrū videri vult. At cæteri delinquūt, vel incōmoda vict⁹ ratione ſex generibus comprehenſa; quæ nō naturalia vocant, vel domicilio, in quo æger decumbit, ſiue calore, vel frigore obſit, ſiue ſomnum impediat. Caſus verò multa fert incommoda; triſtitiam, iram, pauores, lætitiam, aliaq; innumera. Hæc igitur omnia pro ſui magnitudine viribus, & numero, & motum morbi variare poſſunt, & magnitudinem & morem, ita, vt parui morbi, magni fiant; benigni graues, & demum lethales. Rurſus his impediri criſis poteſt, aut deterior reddi, aut tardari, aut accelerari, quam & noui inſuper morbi ex his commiſsis ſuperuenire poſſunt, vnde præcognitio impeditur. Nam ſi ſanis tutò delinquere non licet, quanto magis ægris? Quam ob rem ita prædicendum de ægro eſt, dum nihil delinquatur. Non deſunt quoq; ægro interna irritamenta, è quibus ſæpe accidit, vt natura commodū iudicationis tempus non expectet. Hæc ſunt morbi magnitudo, & motus velocitas, quibus vehementer proritata, intempeſtiuè mouetur: præſertim ſi æger natura iracundus, & ſenſus acerrimi. Quamobrem non ſine ratione ſcriptum eſt, In acutis morbis non omnino certas prædictiones eſſe, in longioribus verò eiuſmodi ſubitæ mutationes, non fiunt; cum neq; natura adeo proritetur, neq; errata aut caſus, ſiqui euenerint, magnum adeo momentum poſſunt efficere: quamuis acuti morbi citius multò, quàm longi, exitus ſui qualiſcunq; futurus ſit, indicia præbent. Nihil verò eſt, quod æquè Medicum ludificetur, ac morborum conplexus; cuius ratione euenit, vt cum antea coctionis notæ compertæ fuerint, inſperato æger morbi alterius ratione intereat. Quòd vt deuites, proprias cuiuſq; morbi notas callere oportet, atq; omnia ſigna inuicem conferre. Nam ſi quaſi chorus quidam concinnant, periculum prorſus abeſſe ſignificatur; præſertim verò principum partium robur: vel infirmitatem conſiderans; & earum, quæ ex his oriuntur, inuenies, num ſimplex, an multiplex affectus ſubſit.

Nec minus cauendi ſunt qui propriè maligni, id eſt, latenter, & furtim vitæ inſidioſi dicuntur; vt qui placidi apparentes, atque aliquando

quando coctionis notis perſtantibus, occidere ſolent. Sed hos dete git principum partium læſio aliqua, quam præter rationem perſta re videmus; vt prauas pulſus differentias, turbatos ſomnos, vitiatam reſpirationem. Stultè quoq; vulgus opinatur, Medicum ſtatim inter morbi initia cuncta præſentire debere. Fiunt enim ſæpè turgente materia permutationes, quibus inſperato ſanitas, aut mors euenit. Sæpè neutra tantũmodo ſigna ſunt, non lethalia abſolutè dicenda, neq; ſalubria. Donec itaq; aliquid euidens appareat, nil certi eſt enunciandũ. Morem quoq; morbi animaduertito, vt æqualis ſit, vt conſtans. In his enim maximè præcognoſcendi præcepta ſtatuimus. Nam in his, qui temerè mouentur, nihil certi prædicere poteris, donec certam motus ſui normam adipiſcantur.

Num ægr euaſurus ſit, coniectura. Cap. XIIII.

PRimùm igitur propoſitorum erat, prænoſſe exitum, quem habiturus eſt morbus, cuius gratia ſpeciem ipſius conſiderabis: quoniam iam experientia compertũ eſt, qui ſint prorſus lethales morbi; vt iocinoris, ſcirrhus & conſumata tabes, & cordis vulnera, & qui rurſus maiori ex parte, vt apoplexiam: & qui demum periculum inuehant, vt acuti omnes morbi; & in eo genere qui maius, minusq; diſcrimen apportent. Contrà verò alij toto genere ſalubres, vt quartana; ſecundo loco morem; num ſcilicet malignus, vel benignus appareat: ſiue malignitas cum magnitudine iuncta ſit, ſeu citra magnitudinem. Quamobrem & notas omnes, quibus mos ſignificatur, ex ſuperuenientibus ſymptomatis & excrementis obſeruabis; tum earum vim, atq; magnitudinem conſiderans ex malignitate maiori, vel minori his notis deprehenſa, periculi magnitudinem colligens. Altera verò, eaq; euidens coniectura eſt, vbi vires his comparaueris. Nam pro earum robore, vel infirmitate, periculi magnitudo augetur, vel imminuitur adeo, vt quæ alioqui periculũ ſolùm monſtrabant, prorſus euadant ex virium imbecillitate lethalia. Quin & neutra quoq; ſigna; quales ſunt cruditatis notæ in excrementis repertæ, ſi ad imbecillas vires comparentur, periculoſę, vel lethales euadunt, pro magnitudine imbecillitatis virium, & cruditatis. Neq; enim ante coctiones cauſarũ morbi, legitimè ſolui morbus poteſt. At eæ longius abſunt, quàm vt vires perferre poſsint. Quod ſi cum cruditate multa, morbus acutus oriatur; tanto magis certa mors imminet. Nã vires tametſi fortes, diu labores tãtos perferre non queũt: morbi verò cauſæ cito euinci nequeũt. Tunc verò periculum prorſus abeſſe ſignificatur, cum in morbo, qui ab humo-

ribus ortus sit, coctiones eius morbi propriè appareant. Cuncta tamen circumspicere oportet, quæ circa ægrum visuntur; num simul quasi egregius quispiam chorus concinat. Itaque non excrementa modò, sed & functiones omnes, & cætera, quæ ægro superuenire solent, considerabis. Si enim probentur omnia, in tuto res fuerit: sin aliquid graue, cum bonis simul appareat, de conplicato affectu, aut latente quopiam graui morbo suspicio erit. Cauendum tamen interim est, ne à criticis symptomatibus aliqnando imprudens terrearis, quæ vt à prauis distinguantur, suprà diximus.

Quisnam futurus sit solutionis modus. Cap. XV.

VTile verò est, vbi sanum fore hominem conieceris; modum quoq; nosse, quo morbus soluetur. Sunt autem, qui crisi finiantur: sunt qui simpliciter soluantur. Est aũt crisis pręceps, & vehemẽs motus, quo vel cõfestim sanatur ęger: vel maximũ ad salutẽ momentũ habet. Hanc enim propriè, & absoluto nomine Crisim dicimus; vt malam crisim, quæ ad mortẽ, vel subitò, vel post pugnã ad peius mutationem ducit. Nam si hoc ignores, facilè naturę opus impedies, aut tollendo prorsus, aut tardando: quin & perturbationem quæ in ea conflictatione contingit, adeo augeri aliquando ex errore contingit, vt mortis periculum afferat. Itaq; crisi finiendũ morbum esse, magnitudo morbi demonstrat. Est autem ea magnitudo, quam in morborum genere sibi vendicant; quæ etiam periculo iudicatur. Qui igitur toto genere morbi magni sunt, crisi solui solent. At parui simpliciter solui, hoc est paulatim, & sine motu critico. Cæterũm robustas vires esse oportet. Infirmiores enim vehementem hanc concertationẽ non aggrediuntur: sed in salubri morbo paulatim causas illius superant. In lethali paulatim succumbũt; quasi resistentes, quo ad licet, morbo, nunquamtamen certamen aggressę. Oportet autem & medicum omnia hæc nosse, ne delinquat. Siue enim ipse, siue æger, siue ministri aliquid commiserint, pro ipsius vi, aut tollet crisim, aut naturam eius mutabit, aut tardabit, aut importunè accelerare coget. sed hæc paulò antè monebamus.

Quando

Quando nam crisim expectare oporteat. Cap. XVI.

NVm verò serius, vel ocius crisim habiturus sit morbus, illamet monstrabunt, quæ & morbi statum: siquidem bona crisis, status tempus expectat. Nam vbi mitiora omnia euaserint, nihil est cur protinus crisim expectes, sed simplicem solutionem. At statutum diem crisis, primùm præmonstrat morbi motus. Nam cum in vehementia accessionis fiat, necesse est, vt qui in paribus accessionē habent, in paribus quoq; crisim habeant, ita & qui in imparibus. Cæterùm euidentius multo indicantia crisis diem præmonstrant. Quæ enim in die contemplabili visa sunt, pro sui magnitudine, & numero, & viribus, possunt id monstrare: itaq; coctiones quarta die visæ in septima crisim fore nunciant. Sed statim diei naturam in qua primùm visa sunt inspicies. multum enim dies diem indicando excedit. Si itaq; validum sit quòd apparuit, vt subsidentia bona, & validum indicans, vt dies quarta coniectura maxima habetur, septimam crisim afferre, nisi quid impediat, ab his motus velocitatem inspices. Nam si celerrimè moueatur, non dubitandum erit quin id fiat: cuius ratione & tempus anni, & ægri naturam considerabis. His enim atq; alijs, motus morbi tardatur, vel concitatur. & inde status tempus: potest & crisis tēpus differri, aut accelerari. Cùm verò iam dies instat, præcedere critica symptomata videas, de quibus antea diximus. Antecedit enim necessariò perturbatio. Quòd si interdiu futura sit, noctu eueniet: sin noctu, interdiu. Perpetuò verò in accessionis vehementia crisis fiet: quanquam tum diei natura, qua alia aliam benignitate excedit, tū medici prouidentia, ipsiusq; obtemperantia plurima molestia ęgrū leuare soleant. At cum propriè iam adest, & critica conflictatio cœpit, pulsus eam apertè nunciant, vt si alti, & vehementes fiant, vel magni quoque, & vehementes euaserint eorum, qui præcesserant comparatione.

Qualem crisim expectare oporteat. Cap. XVII.

VTile quoq; existimandum est, vbi Medicus præuideat, qualis futura sit crisis. Dico autem crisis qualitatem: quoniam magna est earum latitudo, cum alia optima est, quam præcipuè eligimus: aliæ verò ab hac degenerant. Optimam igitur iudicamus, quæ prorsus morbum soluit: idq; sine ægri periculo, atq; fideliter, per nota dignam excretionem: huic namq; nihil ad bonitatem de-

est. Contrà verò, quæ imperfectè morbum soluit, minus laudatur: vel quæ non sine periculo fit, vel si fida non sit, vtpote à qua recidiua expectetur. Si igitur conflictatio maximè expectatur, vnde & periculum ægro impendeat (siquidem ex parte ægro prædixeris) minus multo terrebitur. Tu verò prouidus plurimis occurres, à quibus timendum foret; siue sint immoderatæ excretiones, siue alia symptomata quæ simul accidunt. At si infida crisis iudicatur, vtile erit id prænosse, quo nihil negligentius circa ægrum agatur: ne inopinatò adueniens recidiua, longè deterius hominem afficiat. Primùm igitur ad perturbationis magnitudinem prænoscendam, notæ ab excrementis sumptæ maximè faciunt. Cum enim coctiones antea visæ sint eius morbi propriç, minore negocio crises fiunt, siquidem & euicit natura, & edomuit morbi causas. At in cruditatibus multa aderunt symptomata, multaq; conflictatio. Verùm, vt diximus, diei vis, & natura, plurimá perturbationem tollit, atq; adauget. siquidem septima die mitescere omnia videmus, quæ expectantur: contrà, sexta vltra expectationem ingrauescere. Præcipuum verò laboriosç crisis nuncium esto pulsus, in quibus multa inæqualitas sentitur: priusquá alti, aut vehementes fiant. Quod sanè incruditatem itidem referre oportet: ob quá natura laboriosè nimis secernit morbi causas, atq; excernit. Fidam verò fore, & sine recidiuç metu, itidem coctiones præmonstrant; idq; ea ratione, quam diximus: sicut & diei natura, in quo motus expectatur. Infida enim est tertia dies, fida septima, & decimaquarta præ omnibus. Quòd si morbus vndequaq; simplex, benignusq; videatur, magná coniecturam facit, crisim modis omnibus absolutam forè. At vbi iam adest, motioq; incœpit, ipsius bonitatem conijcies, vbi morbo comparaueris, siquidem experientia vnà & ratio monstrauit, non omnibus omnes crisis modos conuenire, sed alios alijs exigi; siquidem rectè iudicari debeant: sin secus, aut male iudicari, aut non fideliter, aut multo labore.

Crisis igitur diuiditur, quòd alia excretione fit, alia abscessu. Fiunt autem abscessus, cum natura excretionem molitur, neq; probè succedit: quare in aliam partem morbi causas traducit. Quamobrē calidi morbi causæ, excretione quidem finiri solent: frigidi verò abscessu. Primùm quod facilius calidi, mobilesq; humores excernuntur è corpore: frigidi verò contumacius inhæreant. Huc accedit quòd cũegrè concoquátur frigidi, fit vt defessa labore natura exactá coctionem non expectet, & prius morbum soluere enitatur. Euenit igitur excretionis loco abscessum ea de causa fieri. Porrò excretionum non vnus modus est: multifariam enim solet natura expurgare

gare à morbificis causis nostrum corpus, cum proprio, & conuenienti motu agit, & sudoribus, inquam, & deiectione alui, & vomitu, & vrinis, & sanguinis fluore, tum è naribus, tum è venis sedis, vel vteri. Verùm ex his alia, alio morbo magis conducit. Quę sanè distinctio partim ex natura morbi, partim ex affecta sede habetur: dum meminerimus tentare semper naturam, si proprijs legibus agit, per faciliores uias: quamobrem neq; semper unica excernendi ratio sat fuit, sed variæ tentantur, siquidem neq; vna in parte excrementa collecta sunt. Cum igitur in tertiana & causo bilis per extimas venas, & carnes fundatur, optima per sudores iudicatio erit, quod sanè experientia monstrat. Oportet autem calidos toto corpore effluere. Quòd verò in reliquis quoq; venis abundare excrementa contingit, aderit fortè vnà & bilis vomitus, & deiectio Sic phrenitis sudoribus iudicatur, cum toto quidem corpore calidi affluant, sed pręsertim circa caput. Idem faciunt & biliosę deiectiones: sic phlegmone omnes, quæ circa pręcordia eueniũt, sudoribus iudicantur. Sic febrium omnia genera: quamuis quotidianę vomitum, & deiectionem pituitosam potius eligant: quando multus eiusmodi succus circa primas venas aceruatur. Quartanę verò vtrinq;, sed per inferna potius atra, & varia expurgare solent. At profluuia sanguinis tum causos, tum sinochas febres frequentissimè sanant: vt & phrenitim, & vniuersim, pręcordiorũ phlegmonas, si recta è nare profluant. At pulmonias, & lethargos rarissimè sanarunt, rarò & pleuritim. Porrò quę ex sedis venis profluunt, priuatim melancholicos morbos sanant, quę verò per menses, iudicant (quamquam rarius) morbos omnes, qui narium profluuio iudicari solent. Vrinis commodè solui febres solent. Præterea morbi omnes, qui circa gibba Iocinoris, & renes, & instrumenta cętera vrinaria eueniunt, vt sima, deiectionibus, & cuncta, quę ad ventrẽ, & mesenterium attinent, commodè purgantur: quamquam vomitus quoq; his succurrere soleat, nihil tamen obstat, vbi magno impetu natura opus aggreditur, vnà quamq; ex his vacuationib. vniuersum corpꝰ expurgare, sed hoc maiori cõflictatione atq; discrimine. Vbi verò iam excretio cœpit, cõfirmabit crisis bonæ expectationem, si quę excernũtur, talia sint, quæ morbo cõueniant, hoc est ipsę morbi causæ, quas antea in vnoquoq; nouisse oportet. Cùm verò motio prorsus cessauit, certissima optimi exitus pugnę indicia aderunt. Nam & pulsus meliores fient, & se multo leuiorem, & agiliorem æger sentiet. & vultu hilariore: siquidem leuata est natura omni molestia.

Quo pacto naturæ motum præsentias, quò tendat. Cap. XVIII.

ID verò, vt si quid aliud, præsentire est vtile. Nam si crisis vndequaq; tuta non sit, periculo prouidentia occurrere poteris. Diximus morbi speciem excretionis formam demonstrare: Sed cùm iam crisis tẽpus apparet, critica ipsa symptomata id magis aperiunt, quæ alia alias excretiones solent præcedere: vt si febris ardens crisim sit habitura, cum & sanguinis profluuio, & sudore, & vomitu, & deiectione iudicari posit, tu vomitus proprias notas inspicies. Antecedit enim hunc capitis dolor, vertigines, oris ventriculi morsus, visus hebes & tenebrosus, nouissimè & inferius labrum tremit, & tenuis saliua ex ore defluit, nõnunquam & difficilis spiratio adest, & delira loquuntur. At vbi sanguis fluxurus est, facies rubet, defluunt lachrymæ, caput grauatur, temporum venæ tendũtur, calorq; multus, & pulsus circa arterias capitis sentitur: præcordia quoq; sine dolore tenduntur, & alia superueniunt confinia, de respiratione difficili, & delirio. quod si ętate vigẽte æger sit, & hac via expurgari cõuenerit, certiorẽ profluuij sanguinis coniecturam habebis. Pone rursus vrinas supprimi, ac rigore illo vehementi, crisis nuncio ægrum prehendi, siquidem neq; vomitus neq; fluxuri sanguinis propriæ notæ appareãt, deiectiones alui inspicies, quę si vnà suppressę sint, vel imminutæ, sudores expectare oportet, quos iam iam prorumpentes, molles pulsus, & fluctuantibus similes annũciant, quanquam & extima omnia caleant, & facies rubra sit: sentiturq; è corpore calidus quidã vapor copiosus efferri. Deiectionis verò nulla indicia propria sunt. At vbi in morbo salubri crisis nuncia symptomata apparuerint, neq; aliarũ excretionum notæ appareãt, id generatim colligitur, naturæ motum ad infernas partes tendere. Verùm multiplex hic excretio esse potest, & per vterum, & sedis venas, in quibus & lumborũ dolor cum grauitate aderit, cõmune sanè signum vtrisq;, vteri verò proprium, circa pubem maximè fieri: vt in deiectione intestinorum morsus, & flatuum strepitus. Quòd verò crisis per abscessum erit, morbi primum species demonstrat: siquidem (vt dictum est) calidi, excretione magis, frigidi abscessu soluuntur. Morbi motum quoq; considerabis: Nam acuti excretione, lõgi abscessu iudicantur: sed ambo hęc in naturã causarũ referuntur. Si enim non facilè à natura superantur, sed diu crudę maneant, morbus tamen magnus sit, roburq; virium adsit, abscessum expectare oportet. Nam si cõtrà vel ætate, vel

vel alia ratione æger imbecillus ſit, vel paulatim concoquentur, vel euicta natura occident. Facit & aeris cōditio ad abſceſſus inducendos: Nam hyeme potius, quàm æſtate eueniũt. qua verò parte abſcedens humor ſiſtetur, ex partiũ robore, vel infirmitate deprehendes. Itaq; ſi mittentium vis valida ſit, neq; æger inſigniter debilem aliquam partem habeat, ad extremos artus, vel ad cutem abſceſſus fient, quando & maximè laudãtur, ſi pręſertim per directum fiant. Si verò aut quę impellunt, non ita valeant, aut proximè ſita pars aliqua infirma, in illam abſceſſus fiet.

Exitiales morbos incertos motus facere.
Cap. XIX.

IN his verò, quos lethales cognoſcimus, motus incerti adeò ſunt, vt præſciri nequeat quæ prorſus futura ſit mortis ratio, quod tempus. Neq; enim proprijs ſtatiſq; legibus natura pugnat atq; mouetur, ſed morbi proritatione. Igitur quod cum critico motu æger morietur, morbi vehementia, & virium robur demonſtrant. Tunc enim proculdubio criſim natura tentabit. At vbi inualidæ vires, ne tentabit quidem, vel primo ſtatim congreſſu ſuperabitur. Monſtrant idem & coctiones debiles, quę antè ſunt viſæ. Hinc colligimus poſſe naturã aliquid efficere, ſed in ipſa conflictatione vincendam. Quis verò futurus ſit criſis modus multò antea cognoſci non poteſt: poteſt tamẽ vbi imminet, idq; ex proprijs ſymptomatis quę criſim vnãquamq; priuatim inſequi ſolent. Verùm id quoq; incertum eſt, ſed neq; ſi certò ſciatur, quicquam vtile parari poteſt. Porrò num ſerius vel ocius, diẽ æger obiturus ſit, motus morbi declarat. Qui enim velociſsimè mouẽtur, primam dierum periodum non tranſeunt: virium tamem robur, mortis tempus aliquãdo tardat. Mortis verò diem indicatrix pręnunciat, ſed non æquè ac inſalubri. In illls enim quicquid nota dignum in die contemplabili eueniebat, criticum motum inſequenti iudicatorio futurum monſtrabat. In his verò aliter. potius enim in diem aliquã infauſtã motus cadet, vt ſi quarta lethale aliquod notabile apparuerit, fueritq; motus morbi velox, vireſq; inualidę, in ſexta hominem tollet. Si non adeo graue, aut vires validę fuerint, ad octauam potius traducetur. rari enim ſeptima die malam criſim habent. Signat & mortis diẽ motus morbi: Nam quin in paribus mouẽtur, in illis quoq; mortẽ afferent: contrà, qui in imparibus. Horam verò mortis mos partium acceſsionis denũciat. vt in eo acceſsionis tẽpore euentu-

ra sit, quo æger pessimè habet. Sunt igitur qui circa accessionum initia se habent pessimè, vt quibus copia crudorum confertim corruēte in viscera, obruitur calor, non secus atq; à multis, & viridibus lignis flamma extinguitur. Sunt qui increscente, vel vigente febre, idq; ratione symptomatū quę tunc vigent maximè, quāquam & inclināte accessione dissolui quosdam videas, nempe resoluta vi confertim status ratione. Cęterùm in his, qui sine crisi pereūt, vel paulatim ingrauescente malo natura succūbit, vel cum subitò magnam mutationem ad peius fecerint, postmodum paulatim ad necē tendūt, vel subitò ex multa vi morbi, & virium infirmitate, citra etiam criticum motum intereunt, quem etiam mutationis modum lethales morbi proprium habent.

Cuinam diei accepta referri crisis debeat. *Cap.* XX.

CVm de crisis securitate antea egimus, non exiguam coniecturam ex diei natura sumebamus: At cum non rarò eueniat criticum motum multos dies occupare, incertū erit cui nam dies tribui debeat, nisi aliqua ratione dignoscatur. Pone enim septima die febrē prehēdisse cum criticis symptomatis, excretionē verò octaua incipere, atq; in nonam extēdi, incertum sanè erit, qualis ex natura diei sit iudicanda. Igitur in crisi tria maximè spectamus, primum tēpus, quo conflictatio cœpit: secundum quandonam excretio, vel abscessus fieri cœpit, tertium tempus, quo morbus est solutus vel magnum ad salutem momētum fecit. Quòd si fortè eueniat, vt in vnam diem tria hæc incidant: nihil dubij relinquetur, si in diuersos, vt in exemplo proposito, suspecta erit ob diei octauæ naturam, quantò magis si ipsa octaua die morbus soluatur? Sic igitur distinguere oportet, vt illi diei accepta referatur, cui plurima ex his tribus eueniunt. Itaq; si octaua die, & excretio, & solutio euenerint, eius quoq; diei crisis extimāda erit: si verò tria in tres dies distribui contingat, illi maximè tribuenda erit, in quo excretio cœpit: siquidem is est maximus naturę impetus. Nec parum confirmabit coniecturam crisis modus, siquidem septima faciliores, & meliores crises inferre solet, octaua laboriosas, atq; imperfectas. Quòd si quid nota dignum æger commiserit, vel alia ratione erratum sit, statim suspitio non leuis erit, ne mutato motus tempore, ea, quę à quarta, vel quinta die, in septima futura nūciabatur, in sexta, vel octaua eueniat. Cōtrà verò si morbus vndiq; salubris apparuit, nihilq; sit erratum

ratum, fieri vix poterit, quin septimę diei tribui debeat, quam scimus naturá irritatam, nó impeditam in tali morbi genere maximè eligere.

Morborum differentiæ ex motus qualitate acceptæ. *Cap. XXI.*

POsitum sæpe antea est, multá esse dierum differentiam in quibus morbi solutio euenit: nec parum ad coniecturam facere, si eas probè nouerimus. quamobrem de his modò diligenter agendum, ea congruo ordine disponentes, quæ veteres experientia inuenerunt ac primum partitiones morborum proponantur, quę ex qualitate motus oriuntur. Igitur acuti morbi dicuntur quę cum magni toto genere sint, ad summum vigorem celerrimè properát. Cæterùm celeritas multá habet maioris & minoris differentiam. Itidem & tarditas. Hinc variæ morborum differẽtiæ oriuntur: alios namq; simpliciter acutos dicimus, alios valde acutos, alios acutos degeneres, quos sanè vix acutorum appellatione dignamur. Itaq; valde acutos dicimus, qui quod longissimũ est, hebdomada terminũ habent: Acutos verò simpliciter, qui secũda hebdomada terminum habẽt. Degeneres qui ad quadragesimam diem protrahuntur. quáquam & id aliquando conspicitur, vt qui simpliciter acutus dicitur, ad diẽ xx. perueniat, quod inter initia acutus non erat, sed talis factus (exempli gratia) die quinta, mox decimaseptima est iudicatus: vel qui die septima, acutus euasit vigesima. Potest & qui statim ab initio acutus erat, dies aliquot intermittere, vel leniri: rursusq; acutiẽ, & magnitudinẽ sibi asciscere, atq; ita in vigesima iudicari: illud tamẽ perpetuò verum erit, acuti morbi vim duarum hebdomadarum tempus non excedere. Cum verò dico finiri acutum morbum, intelligo, vel vt prorsus soluatur, vel vt inclinet. Porrò acuti degeneres dicti, qui à tertia hebdomada vsque ad diem quadragesimum terminum habent, trifariam fiunt. Primum cum sæpè intermisit acutus morbus, atq; repetijt, vel continuus ab initio ad finem permansit, sed vehementia ab acutorum natura degenerabat. Vltra hunc terminum morbos simpliciter diuturnos dicimus.

In quo morbi genere critici motus expectandi sint qualesq; expectandi Cap. XXII.

QVi igitur intra xiiij. diem terminum habent, vt motus velocitate prestant, ita & motus vehemētes faciunt per crises. Nam & morbi sæpè subitò soluuntur, & magna cum conflictatione. Ab his quò magis discedit ur, eò & lāguet magis criticus motus. Tres itaq; dierum ordines statuere conuenit, facilioris doctrinæ gratia. Primus eorum sit, qui intra xiiij. comprehenduntur: secundus eorum, qui intra vigesimum: tertius ad quadragesimū extendatur. Nam morbi, qui vltra hunc terminū extenduntur, rarò crisi finiuntur. Nam plerumq; per concoctionem soluuntur. Quòd si crisis aliquando fiat per abscessum, multum à prioribus degenerabit. Nam primum abscessu potius fiet, quā excretione, neq; adeò grandem perturbationem inuehet. Quòd si excretione aliquando fiat, neq; illa vehemens erit, nec subitam morbi solutionem faciet: sed sæpius imperfecta erit, & multos durabit dies. Contingit quidem (quāquam rarò) quod & nos fatemur, in longis quoq; morbis subitas, & vehementi motu solutiones fieri: Ceterùm in his solis, qui ex multis morbi remissionibus, & repetitionibus in longum tempus protractis tandem crisi soluuntur. At qui necessariò eueniet, vt aliquot dierum periodis antea vehementes euadant, ac velocitatē acquirāt motus acutorū instar, febres q; & symptomata superueniant his similia: vt verè dici possit, hos tunc acutos esse cœpisse. At illud perpetuum verum sit in solis acutis morbis, validas, subitasq; mutationes fieri.

Catalogus criticorum dierum, & eorum inter se comparatio Cap. XXIII.

CRiticos dies, & quam quisq; vim in iudicando morbo habeat, experientia monstrauit, longa veterū obseruatione confirmata. Causam horum nullus hactenus inuenire potuit. Metimur autem eorum vim, ac dignitatem his conditionibus. Prima est, quòd multos iudicent non rarò: secunda quòd bonas crises plurimas ferant, hoc est perfectas, fidas, tutas, antea indicatas, subitas, excretione potius, quā abscessu euenientes. Tertia, vt ad bonam crisim ferēdam, magnum in corpore apparatum non exigant: non vires valde robustas, non expeditā illam concoctionem, neq; omnia prorsus tuta, quę in morbo visuntur. Dicimus perfectas

crifes,quę morbo ęgrum expediunt, fidas, quę recidiuam nõ faciunt. Tutas quę cum magno & periculoſo conflictu non fiunt, indicatas,quibus in pręcedente quaternario criticum aliquod ſignum apparuit. Sunt autẽ ea coctionis notæ, vel excretio aliqua vel ambo. Qui igitur dies plurima ex his habuerint, erunt dignitate priores,poſt hos gradatim,vt pluribus horum,vel paucioribus deſtituuntur: vel ſi omnes habeant,multũ tamen viribus ab alijs ſuperentur. Quòd enim plurimos iudicare dicimus, vel tutò, & fideliter, multam habent latitudinem. In primo igitur ordine ſelectiſsimi dies inueniuntur, è quibus ſeptimus primũ locum tenet: vt cui nihil ex propoſitis deſit, & validas has dotes præ cęteris habeat. Ab hoc decimuſquartus: dehinc nonus: mox vndecima. Succedũt in ſecundo ordine vigeſimus: mox decimusſeptimus. Ab hoc quartus: dehinc tertius: vltimus,decimuſoctauus. hi ſunt qui boni critici dici merentur, intra diem vigeſimum. E reliquis enim ſextus naturam aduerſam habet ſeptimę: ſiquidem magno cum periculo criſim facit,& multum corporis apparatũ exigit: ſed neq; perfectam, neq; fidam. quàobrem & quę excernũtur praua ſunt, acria, cruda, fętentia: hoc vno ſeptimo ſimilis, quòd multos ægros iudicat: quãquam & in hoc longè à ſeptimo ſuperetur. Huic proximi natura ſunt octauus,& decimus. Cętera quidem pares: ſed hoc vincuntur à ſexto, quòd rarius criſim faciũt. Eiuſmodi quoq; naturæ ſunt duodecimus,ſexdecim⁹, decimuſnon⁹ malitia ſcilicet pręcellentes, & rarò facientes criſim. Hęc itaq; ſunt dierum ſeries duę: felicium altera: malorum altera: Inter quos tertiuſdecimus ambigit. Neq; enim bonis prorſus eſt adnumerandus,neq; prorſus malis. A vigeſimo die ad quadrageſimum alius dierum ordo numeratur, qui multò imbecilliores cenſentur, ad bonorum oridnes, qui ſunt ante vigeſimum, comparati. Vel enim aliqua ex dotibus illis deeſt, vel eas debiliores habent, cùm multò rarius criſim faciunt. Sępe verò vel imperfectam, vel quę multos dies occupet. In his tamen & quędam dignitatis ordinẽ adducere eſt, vt alter altero melior æſtimetur. Primus igitur horũ ſit xxj. ab hoc vigeſimusſeptim⁹ Sequũtur hoc ordine trigeſimus quartus: quadrageſimus vigeſimus quartus, trigeſimus vnus,& trigeſimus, trigeſimusſeptimus. Hucuſque criſes propriè dictę eueniunt. At vltra hos potius abceſſu quàm excretione fiunt. Quòd ſi excretione, ſubitò morbum nõ ſoluet, ſed multis diebus ſeſe natura expediet. Horum verò ordo vigenarij replicatione conflatur, atq; ex eo vim ſuam aſſumit: vnde & pares viribus ferè exiſtimãtur, quingẽteſim⁹ inquã, & octageſimus: centeſimus, & centeſimus vigeſimus. Hic verò

cum quatuor constet mẽsibus, radix efficitur alterius ordinis, qui per mensium quaterniones, atq; hebdomadas numeratur.

Quos nam dies indices nuncupemus, & eorum uires Cap. XXIIII.

INdices verò dies, media hebdomada locum habẽt: sic dicti, non quia ipsi quoque vim criticam non habeant, sed quia vim prętera aliam habẽt, quòd vim habeant nunciandi criticũ motum in sequenti alio iudicatorio futurũ: vt quartus, vndecimus, decimus septimus Est & vigesimus dies tertiæ hebdomadę finis, non primus & vigesimus. Constat enim tertia sex diebus duntaxat. Hinc & qui vigenarij replicatione critici gignũtur: neq; hi integris hebdomadis constituũtur. Siquidẽ quadragesimus criticus est, nõ quadragesimus secundus. Hi igitur sunt maximi indices. At decimus octauus ipse quoq; index existimatur, nõ quidem vigesimi sed primi & vigesimi, Vt autem in iudicãdo multa erat roboris differẽtia ita & inter indices alij maiorem, alij minorem vim habent: prima itaq; laus quartę diei est cùm indicat. Multa enim fide, quid in septima euenturum sit, pręnũciat: quamuis & sexta quoq; crisis ex eo indice e uenire possit. Mox vndecima: Dehinc decimaseptima & decima octaua. Neq; bonas crises solũ annũciare possunt, sed etiam malas. Quæ enim praua quarta die euenerint, mortem aliquando septima futuram nunciãt, sæpius tamen sexta, vel octua eueniet, vt diximus.

Qua ratione dies in morbis numerandi sint. Cap. XXV.

QVoniã verò qui dies numerat, ab aliquo principio numerare incipit, necesse est nosse quodnã sit morbi principiũ. Morbi verò principiũ statues, cũ sensibilis actionũ læsio in ægro apparet, quod alij dixere cum morbi ratione decũbere cogitur. dico autẽ morbi ratione, quoniam multi molliores etiam leuissimis de causis decumbũt, vt lassitudine, capitis leui dolore, aut ventriculi, Contrà verò duriores multi etiam à forti lęsióne nõ decũbunt siue etiam actiones suas obire cogãtur, vt iter facere. sed nihilominus, sensibilis illa læsio apparebit, si ad se sanos comparẽtur Quousq; verò consueta agunt, quanuis parte aliqua laborẽt, vt do-

lore

lore capitis, vel ventris, ægri absolutè non dicētur, nec illud morbi principium. Non igitur simpliciter à febris initio sunt numerandi. Dies etenim in puerperis, à doloribus partus inchoamus, quòd hinc oriri morbos censemus febriles, & incidit sensibilis læsio. Sed si multos post dies euenit febris, ex alia occasione euenisse putandum, & ab alia sensibili læsione dies numerandi erunt. Sic si morbus à dolore incipiat, febris verò succedat, vt in angina, & coli, vel ventris dolore, est iudicandum.

Illud quoq; experiētia est inuentū in morbis, qui intermittunt, & redeunt, periodos numerari debere, non dies, vt tanti nobis sit in his morbi periodus, atq; in continuis dies singula: vt quartus periodus vim, & dignitatem habeat quartæ diei, & septimus septimæ. Quòd si morbus inordinatas habeat intermissiones, & repetat, quod sæpe in longioribus morbis euenire videmus, incertum est, quomodo dies numerare oporteat. Num verò eos quoq;, quibus morbus intermittitur? Atq; videtur Hippoc. horum diligens obseruator, dies singulos numerare ab initio morbi ad crisim. Anaxionem enim trigesimaquarta morbo absolutum ait, non vigesima septima. Abderitem verò illam virginem vigesima quarta, non autem vigesimaseptima liberatam affirmat. sed videtur vtrūq; euenire in his, vt siue dolorū dies solos numeres, siue etiam intermittentes, in aliquam diem criticam incidant.

Hæc de Præcognitione satis.

LEONARDI IACCHINI EMPORIENSIS MEDICI EXCELLENTISSIMI DE RATIONALI CURANDI *Arte.*



RAT mihi animus optimi atq; omnibus numeris ornatiſsimi Iuuenes, de reliquis partium affectibus, quàm primum agere, vt vniuerſam illā tractationem iuxta veterum dogma explicarem: ſed ſtatim in mentem venit, quod longè antea facere inſtitueră, nō eſſe amplius differēdum. hoc eſt rarionalē curādi artem, quam Galenus xiiij. Therapeuticis libris expoſuit, breui, faciliq; cōpedio cōprehenſam vobis proponere: rem profectō & ab omnibus doctis expetitam, & ſæpè tentatam: rem inquam præ omnibus vtilem & neceſſariam, quod ſtatim monſtrabitur.

Ars rationalis dicitur Methodus.

Cum enim omnes nos Galeno & Hippocrate ducibus rationalē ſectam profiteri velimus, quo pacto quis medicus verè dici poterit niſi Rationalem artem, quam Methodum dicūt, calleat? Eſto enim omnia artis præcepta hic teneat, eorum tamen rationem non teneat, nihil ab Empirico diſtabit. Nam vt ille antea obſeruatis, & expertis ſubſcribit, ſic iſtè præceptis authorum abſq; ratione ſubſcribet, & abſq; delectu, quo nihil pernitioſius in artib. cæteris, in medicina verò nihil calamitoſius euenire potuit. quod Hippoc. primùm teſtatus eſt, cum ait: Nihil deſpiciendum, nihil temerè admittendum. Multa enim veteres medici ob malam ratiocinādi artem, & malè poſita principia, inutilia præcepta collegerant. At quid eſt, inquies, nihil temere? Exponit Galenus libros tum Hippoc. ipſius, tum veterum omnium, ita eſſe legendos, vt ſemper cum ſenſui euidentibus conferantur, & quæ his non quadrent, reijciantur. Quid dicam de iudicij firmitate, quam parit hæc ars methodo tradita? Propoſitis enim vbique innumeris remedijs, is ſolum de ijs iudicium ferre poterit, quale ſuſcipiendum, quale dimittendum ſit, qui methodum curādi norit, id eſt qui per rationis ſemitas artē didicerit. Itaq; ſecurus illis vtetur, ſecurus ſcriptores leget, atq; ad certiſsimam trutinam eorum placita perpendet: quod ſæpe prætetitis annis vobis monſtrauimus. Quid de remediorū inuentione, quæ ſæpe neceſſaria eſt, vbi antea deſcripta, & tibi nota deſint? Vel ſi noua morborum genera ſuboriantur, nonne is ſolus tutò incedet, qui viam rationalem calleat? Nonne vt Eraſiſtratus ait, hic ſiue

Hippoc. libri, ac cæterorum quomodo legendi.

Eraſiſtrati dictum.

ruri

ruri in agro, siue in vrbe maneat, siue in medio mari versetur, semper locuples remediorũ erit profectò. Nam & nobis id sæpe summa felicitate contigit. Quid de nobilitate attinet dicere? quãtum enim artifex ab inerti: quantum ille, qui causas rerum quærit, ab eo qui aliorum placitis mancipij ritu obedit, atq; subscribit, tãtum rationalis medicus cæteris anteibit.

Sed neq; sine hac partiũ curationes rectè explicari poterant, aut institui, vt si ventris intemperies calida curanda sit, quomodo docebimus quicquam vtile, nisi nouerimus à quibusnam indicantibus curatiui scopi haberi debeant? nisi nouerimus & quæ sit generatim intemperiei calidę curatio, & quid sibi partis affectæ ratio exposcat. Mox cum quotidie remedia proponẽda sunt, qualia sunt fomenta, venæ sectio, purgatio, repellendum est, deriuandum, reuellendum: atque hæc remedia, vt dicere solebat Herophilus, artem methodumúe callentibus manus dei sunt, cæteris verò incommoda, vel etiam noxia. Oportet enim congruum eorum vsum præscribere, qui electione, quantitate, occasione vtendi, & modo cõstat. Quo nomine maximè culpandi veniũt. quib. ante nos huius artis docendæ cura mandata fuit: quòd nunquam artem hanc vniuersam tradere tentarint, sed potius iuuenum ingenia innumeris nugis intricarint, atq; asuefecerint adeò, vt non iam quid ratio, & rei natura monstret, sed quid ille author scripserit, considerent, & scrutentur.

Hanc verò artẽ primus inuenit Hippoc. atq; ipsius seminaria iecit. Subsequuti verò viri clarissimi excoluerunt & exornarunt: post quos Galenus, post sexcentos ferè annos, cõtrouersijs omnibus silentium imposuit, atq; vniuersam absoluit. Cæterum eo scribendi genere, quod Asiaticis in more esse solet, qui ob prolixitatem immensam, miram obscuritatem tyronum mẽtibus pariat. Sed neq; vno in loco diligentem tractationem vel de indicationibus curatiuis, vel de remedijs facit: vt sparsim scripta pręcepta in artis formam atq; ordinem colligere oporteat. Hanc rem aliquando aggredi Auicen. visus est, sed, vel morte præuentus, quod docti existimãt, perficere non potuit, atq; vltimam manũ imponere: vel quod in ea artis parte, quæ Ætiologia dicitur, magis versatus, atq; exercitatus, vt pote philosophus, partẽ hanc negligẽtius attigerit. In summa quantum effecerit hac parte, vos ipsi iudicabitis, cum priuatim singulos locos proponemus, ac de his singillatim tractabimus. Ob id nos hanc prouinciam suscepimus onerosam sanè, atq; difficilem: attamen quæ vobis iucunda, ni fallor, atq; vtilis futura sit, vel si mediocriter metam attigero.

Hippoc. rationalis artis primus inuentor.

Artis rationalis ordo

Ordo verò eius artis proponendæ hîc erit. Cùm enim Galen. aliquando hanc artem mathematicis certitudine comparet, ſoleatq; ipſe è principijs poſitis eorum more concluſiones deducere: nos quoq; ipſum imitati in primis poſitiones quaſdam curatiuę artis principia proponemus, quæ vel ex ſui natura cōfeſſa omnibus ſunt, vel leui perſuaſione egent, vel ex indemonſtrabilibus ſunt collecta. Secundo loco de curatiuis ſcopis, ſeu intentionibus loquemur, de ijs ſcilicet, quæ ſibi medicus ob oculos proponere perpetuò debet cùm curat. Tertiò artem docebimus, qua illis ſatiſfieri poſsit. Quartò remediorum genera, atq; vſum, quibus in medicina eſt vtēdum. Quintò hanc artem Galeni more ad ſingula morborum genera applicabimus: quibus expoſitis ad partiū curationes reuertemur. Læti igitur alacriq; animo noſtrum hoc munus ſuſcipite, quod tametſi ſpecie exiguum videatur, at breui poteſtate magnum à vobis iudicabitur, ſiquidē eam, quam ſperamus vtilitatem inde cœperitis. Quod deus optimus omnium bonorum nobis author faxit:

Artis curatiuæ vniuerſæ ab autore edita Epitome

Vt verò omnia continuè, vt neceſſaria ſunt, ita in memoria haberi poſsint, Epitomen vniuerſæ curatiuę artis compoſui, in qua ſingula rerū capita, quæ tractaturi ſumus, breui faciliq; cōpēdio complectimur. Huius partes duas iam multi veſtrùm in manibus habent: reliqui vel à nobis petent, vel ab his, qui antea è noſtro exemplari eſcripſere.

In primis verò ſanitatē, & morbū definire oportet: ſiquidem vniuerſę huius artis finis eſt, collapſam ſanitatē reſarcire, (vnde & reſarcitiua à Galeno dicitur de Conſt. art.) quomodo hoc facere poterit, niſi norit quid ſanitas ſit, vnde receſsit, et quid morbus, qui profligandus eſt. Hinc enim nos Rationales, vtpote à rerū agendarum natura ordiri debemus. Quoniā verò ſymptomata in morborū notitiam nos ducunt, & affectorum locorum, ideo neceſſe eſt & quid ſymptoma ſit definire, & quæ eorū ſint genera. Rurſus ſi morbus tollitur non niſi ablata cauſa, neceſſe erit, & cauſam quid ſit noſſe, & quot ſint efficiētium cauſarum modi, quos medicus conſiderat. Eſt autem definitio indemonſtrabilis, vt longo proceſſu ſeruando pòſt habetur, leui tamen exercitatione eget auditoris, quo eam accipiat. Hæc autem ex communi hominum ſenſu procedit, quomodo & Ariſt. vſus eſt, & perpetuò Galenus. Conſiderando enim qui ſani dici ſoleāt, & qua potiſsimū re à cæteris diſtent, facilè quid eorum vnumquodq; ſit, nouerimus. Dicimus ergo Sanitatē affectum

Sanitatis definitio

eſſe ſecundū naturā. Quòd verò affectū dicimus, nihil referre ait, ſi conſtitutionē ſecundū naturā dicas. Greci κατάστασιν dicūt. Subiungim⁹, Quo functiones omnes ſecundū naturā fiūt: hoc eſt vt in lib.

libro de Conſt. artis Galenus ſcribit, quo omnes actiones ſibi per naturam debitas ſine impedimento facit. Quod ſanè eſt additum, ne fortè ſenem ex naturæ decurſu imbecillum cruribus vel oculis ſanorum latitudine excludas. Eſt enim multa ſanorum latitudo, multuſq; roboris exceſſus, ſi corpus corpori comparetur. Atq; id non ex ætate modò, ſed etiam ex propria natura corporis euenire ſolet, ſeu natura alius alio imbecillior ſit, ſeu ex acquiſito habitu. Cùm verò corporis partes antiqua illa partitione, & ab Ariſt. maximè vſurpata, in duo diuidantur genera, ſimilares inquam, & inſtrumẽtales, fit vt non eadem ſit ſecundũ naturã cõſtitutio, quam ſanitatẽ dicimus, vtriq; generi. Quod hinc patet: Quoniam enim ſimilares partes ex primis corporis elementis componuntur, neceſſe eſt, vt in bona illa, & vtili attemperatione eorum ſanitas conſiſtat, vt rectè dici poſsit, ſimilarium partium ſanitatem eſſe bonam, vtilemq; temperiem primorum corporum, qua bene actiónes edunt. At inſtrumenta, hac quidem fruuntur ex accidenti ratione ſimilarium ex quibus cõponuntur: habent tamen & propriam, quæ in integra eorum fabrica, vel compoſitione conſiſtat, vt ita definiri poſsit: Inſtrumentalium ſanitas eorum integra cõſtructio eſt, qua probè actiones edunt. Dico autem integram ſtructuram, quæ ex debita magnitudine & numero ſimilarium, & ſitu, & earũdem conformatione, in cõformatione verò figurã, & cauitates, & ſuperficies comprehendimus. Habent verò hoc commune, vt ambo genera partium continua ſint, non diuiſa, ſi probè actiones edere debeant: nec enim diuiſus muſculus, aut neruus, crus contrahere poterit: nec ſi inſtrumentum totum in partes diducatur, ſed ſi vnitatem ſeruent. Quo fit, vt vniuerſi corporis ſanitas: ſiquidem explicari debeat, (quod diximus, naturalẽ corporis conſtitutionem) ita definienda ſit: Sanitas eſt bona ſimilarium tẽperies, & inſtrumentorum integra fabrica, cum vtrarũq; partium vnitate. Partes verò ſanè dicuntur, ſimilares quidem, cum probè temperatę ſunt, & ſibi continuæ: Inſtrumenta cum benè conſtructa, & ſibi continua ſunt. Vnitas enim tum bonam edi actionem facit, tum ſi ſoluatur, actionem vitiat. Quòd igitur bona ſimilarium tẽperies ſanitas ſit, patet: quoniam diſpoſitio, vel conſtitutio earum eſt, qua actiones edunt, vel vſus pręſtant. Hic enim ſub actionis voce, etiam vſum comprehendimus, quando non omnes partes actionum habent, ſed quędam vſum ſolùm. Illud verò aſſerebat Galenus primo de Vſu partium 9. Nam illi actionem tribuebat. Rurſus lib. 7. Meth. qui tueri actionem vult, temperamẽtum tueatur oportet. Et ſecundo de Facul. Actio à temperamento manat, commoda ex bono, ex vi-

2. de Tẽp. primo de Morbis. primo de San. tuen.

Corporis partes.

Inſtrumẽtalium partium ſanitas.

tiato incommoda. Et libro primo. Partes ob certam quandam temperiem, actionē sunt nactæ. quod ita intelligendum est, vt primum animæ instrumentum sit partis temperies, quam ex similaribus habet: sed præterea & organi integram structuram requiri, & vnitatem. Etenim, vt primo de Morb. differentijs disputatur, similares, quæ ad instrumentum conformandum conueniunt non temere, sed ad finē aptissimè conueniunt. quod contra Emped. Arist. disputauit, qui etiā de Vsu partium, & ratione cōpositionis instrumentorum eleganter egit. Galenus quoq; libris decē & septem de his disseruit. Certum igitur numerū, & magnitudinē, & sitū habere eas oportet, ac bene cōformatas esse. Cuncta enim hæc ad actionem conducunt: quod patet, quoniam aliquod horum si desit, actio impeditur. Atq; hæc de sanitatis definitione. Quid verò similaris pars sit, & cur ita dicatur, & quæ simpliciter similares sint, & incompositæ, quæ verò solum ad sensum, alibi perscrutandū est. Hinc enim fit, vt sæpe Galenus partes aliquas inter similares, modò inter instrumēta numeret, vt neruos, venas, musculos. Sic & instrumenta, primo de Morb. alia magis, alia minus sunt cōposita, vt musculus leuem compositionem habet, crus multam. hæc membra vocari ait. Aristoteles

Similarium partium quędā simpliciter sunt cōpositæ, quędā autem ad sensum solum.

Illud quoq; animaduertendum est, sanitatem indiuiduam non esse, sed multam esse sanorum latitudinem, proinde neq; similarium, quòd dicimus bonam temperiem, vnam esse, & indiuiduam. Quomodo enim puer à sene nō distabit? Quomodo, (vt Galeni exemplo vtar) calidus iuuenis à vetula frigida? Sunt ergo termini quidam præter quos non consistit, sed intra eos multum euariat: quamobrem nec omnes sani, æquè sani sunt. Nec Achilles Thersiti est assimilandus. Est enim in hac latitudine vna, & optima sanitas, quæ media est, quæ aliarū metrum est, cuius comparatione cæterę magis, aut minus laudātur: vnde fit vt alia, quę est huic proxima in habitu esse dicatur, id est non facilè euariare, alia facilè mobilis, quæ facilè variet, & labilis sit. Quā εὐεξίαν dicūt, distincta est in lib. qui Thras. dicitur, & 8. Meth. Sed & experientia ita esse cōuincim⁹ multos labili sanitate ab ortu frui, multos verò ex victus ratione tales euadere. Dicimus verò actiones omnes: Definimus enim ibi vniuersi corporis sanitatem. Nam si vna tantùm vitietur, sanum corpus non erit: sed vel simpliciter ægrum, vel secundū partē: quod etiam neutrum secundi modi à Galeno dicitur in arte medica.

Morbus verò huic contraria, constitutio est corporis, nempè prę ter naturam, quo primò actiones manifestè lędūtur. Quo loco primo intelligendū est in ijsdem generib. versari morbum, in quibus

&

& ſanitas verſabatur. Contraria enim ſunt, quæ in eodē genere maximè diſtant: quare & in genere temperiei erit morbus, id eſt mala temperies: & in compoſitione inſtrumentorum morbus erit. Cùm verò numerus, vel magnitudo partium, vel ſitus, vel earum cōſtructio à naturali ſtatu euariat adeo, vt actiones ſenſibiliter lædat, ſic & ſoluta vnitas, morbus erit, quæ etiam vtriq; generi partiū communis dicitur: quoniam ſimilaribus, & inſtrumentis accidit, vt ſoluantur, & vnitatem amittant. Hoc exponit Auic. quia accidit iuncturæ vt ſoluatur non læſa ſimilari: quod tamen difficile eſt exemplo monſtrare, quando illæ vel ligamento aliquo, vel chartilagineo quopiam corpore coaluerunt. Sed & ſi iunctura ſola ſoluatur, luxatio potius dicetur, quàm vnitatis ſolutio. Cum igitur inſtrumentū totum quoddam ſit, non vt aceruus, ſed certa quadā earum vnitate hæc vitiari poteſt vnà cum ſimilari ſoluta. At intemperies ſimilarium propria, quoniam componi, vel temperari ex primis corporibus, ſolis cōuenit ſimilaribus. Galenus tamen auulſionem propriam inſtrumentorum dicit. primo de Mor. diff. Reſpondetur, ſenſus eſt, hoc inſtrumentis ſolutis tribui ſolet: non negat quin vnà etiam ſimilares ſoluantur. Sic de Conſt. ar. ad principium. At Galenus quoniam vna ſecta arteria, & ſimilaris pars, ſcilicet arteriæ corpus diuiſum eſt, & inſtrumētum eſt diuiſum. Sic ſi ligamentum oſsium abrumpatur, ſimul ſimilaris pars, & inſtrumentum abrumpitur, & vnitatem perdit. Contrà, nonne etiam vbi intemperantia euenit, inſtrumentum quoq; intemperatum efficitur? Reſpondetur, nunquam inſtrumentum, qua tale eſt, patitur, ſed ſemper ſimilares. Hìc verò patitur inſtrumētum, ideo cōmunis. Non tamen ſemper communis, vt ſi ſolùm vulneretur pars ſimilaris, non abſcindatur tota. Igitur cum ſimilarium ſanitas bona temperies ſit calidi, frigidi, humidi, ſicci, ſiue per hæc prima illa elementa intelligātur, ſiue quæ propria ſunt animalium elemēta, hoc eſt ſanguis, pituita, bilis, melancholia. (vtrumq; enim verè dici poteſt, vt ſecundo de Elem. & in lib. de Natura humana Galenus teſtatur) hæc quidē vna eſt, licet latitudinem habeat à qua multis modis diſceditur. Vel enim in calore limites excedit, vel frigore, vel ſiccitate, vel humido: idq; aut qualitate ſola, aut etiā influente materia. Sæpè etiam ambæ qualitates componuntur, fitq; intemperies cōpoſita, ſic & in inſtrumentis in magnitudine certa quędam menſura ſtatui nequit. Attamen terminos quoſdā habet intra quos ſanitatis latitudo cōſiſtit, quos ſi partes ęxcedāt, vel infra nimium ſubſiſtāt, morbus erit in magnitudinę: ſic de reliquis generib. dicatur, vt diuidendo facilè vniuerſas morborum differētias inueniamus. Dictum verò in definitione eſt,

Elementa, quibus ſimilares partes cōponuntur vel ſunt prima illa vel humores quatuor.

quo primo læduntur causæ ratione, vt Galenus monet. Nam ea quoq; dici potest actiones lædere, sed non per se, vel primò, sed quatenus, vel temperamẽtum corporis mutat, vel compositionem instrumenti, vel quia vnitatem soluit: & ita quatenus morbum parit, eatenus lædit actiones.

Quòd verò definitiones hæ sint acceptandæ, mõstrat aliquando Galenus ex eo, quòd qui de sanis, vel ægris loquuntur, non alia ratione voces recipiunt, neq; aliam differentiam inter vtrumq; statum ponunt, sed nec ægros se dicunt, vel medicum aduocant, nisi ex actionum læsione. Subiungimus, Manifesta læsione, quod aliquando Galenus sensibili dicit ob neutra corpora, quæ quidem læsionem aliquam habent, sed non euidentẽ, ideo ęgri non sunt. Præterea & per anni tempora multum mutamur in actionum robore, non tamẽ extra sanitatẽ sumus. huiusmodi igitur leues læsiones secludimus. Dicimus etiam affectum pręter naturam esse, ne naturales imbecillitates includamus, quales puerorum sunt, & senum. Multum enim distant robore, si ad iuuenes comparentur. hic quidem in actione omni, ille verò in motrice saltem, & pulsatrice, sed & concoctione quæ ad ventrem attinet.

Cęterùm vt hæc veritas amplius innotescat, dubia quędã soluenda sunt, quæ facilè Galeni studiosis oboriri possent. Primum est, quia videtur hęc definitio etiam neutros affectus comprehendere, quod tamen absurdum est: quoniam probè à Medico interstingui debent. Siquidem & diuersam medici operã exigunt: neutra præseruari solùm, hæc curari: ad diuersos quoq; artifices spectant, 7. Meth. de ventris imbecillitate. Nam minores illæ læsiones, quæ neutrum faciunt, ad sanitatis tuendæ munus spectant: ad curatricem artem, maiores. Cap. 8. Tech. omnia hæc sensu iudice æstimãda sunt. Quòd verò his competat definitio patet, quoniam etiam illi affectus sensibiles faciũt læsiones. Quomodo enim insensibiles si medicum requirunt? Præterea adhuc sani quidem sensibiliter, seu manifestè læsas actiones habẽt, vt ambientis ratione: quo morbo affecti sensibiliter læduntur. Præterea dubium est, si aliqua pars priuatim afficiatur, vt actio eius lædatur. Tunc enim morbo affecti ægrorum numero apud nos non ponuntur, sed neutrorũ. Sequetur ergo vt aliquis morbũ habens, morbo non denominetur. Quod si concedatur, quæ ergo prima ratio, cur ægrum corpus dicimus? Tertiò si morbus similare quoddam est, vt albũ & nigrum, certum est maioris, & minoris specie non distare: quod & Galenus cõcedit primo de Loc. affec. quare seu sensilẽ læsionẽ faciat, siue adhuc non sentiatur, morbus tamẽ erit, Exẽpli gratia, iocinoris scyrrhus multos.

Iocinoris scyrrus multos menses perdurat antequam sentiatur.

tos menses perdurat priusquam sentiatur, sed nihil minus morbus dicetur. Quartò dubitatur de affectibus qui vel ab ortu, vel in vtero inuadũt, qualia de Galianchonibus retulit Hippoc. lib. de Ar. primo. & Galen. Aph. 59. & 60. Quomodo igitur his ægri cum sint, definitio eorũ statui cõueniet, cum non præter naturã esse videantur, qui à generatione id habent? Quintò de cõualescentibus ex morbo est dubium: quoniã hi actiones corporis fortè oẽs sensibiliter læsas habent, si præsertim vniuersi corporis fuit morbus: si partis, saltem actiones illius partis, & tamen morbo carent. Ad hæc, ita satisfiet ad primum, sensilis læsio, si latius sumatur, omnem illam, que sensu percipi possit comprehendit, quanuis exigua sit: & sic lęsiones quoq;, quæ neutrũ corpus faciũt, sensiles læsiones dicẽtur. Præssius tamen eæ dicuntur, quæ notabiles sunt, & multũ à se sano distant, vt sensile idẽ sit, ac notabile, vel nota dignum, & sic capitur in morbi definitione. Quòd verò sic intelligere definitionẽ oporteat, non solũ ex his quæ dubitauimus patere potest, sed etiã quia Galenus ipse secundo Tech. 82. eadem symptomata genere, pro sui magnitudine ægrũ vel neutrũ corpus cõstituere ait. Numerat autẽ dolores, vigilias, lassitudines, quæ nimirũ omnia sensilia sunt, tũ ægro, tum astãtibus, & medicis. Sæpe etiam prius deprehendũtur à medico, quàm ab ægris, vt in hist. medici illius, de quo Gale. agit 4. de Loc. qui tuberculũ in pulmone patiebatur. Quòd verò hæc sit sentẽtia Galeni patet. Nam quod hîc dicit sensile, alibi magnum: quod insensile, aliâs exiguum, vt cum vult 7. Meth. magnitudine & paruitate læsiones distare, vt & 2. Tech. cum cõcedit cap. 82. affectus illos nũc ægra, nunc neutra corpora facere, pro viriũ robore, quo dotatur corpus, vt facilè, vel difficilè succumbant. vel dic ad morbi genus reduci vt imperfectum ad perfectum. Ad tertium respõdetur, intemperies illa calida vel frigida, vel phlegmone, habet quòd calor sit, habet quòd sit morbus: alia tamẽ ratio caloris, & alia morbi. nec itaq; morbus dicetur nisi ita augeatur, vt hominẽ offendat, & actiones lædat, vt Galenus de febre loquitur. Si liceat igitur vti hac distinctione, quę ad declarandum propositum facit, dicemus, quòd substratum est, & veluti materia morbi, similare est, & ab ipso initio tale. Quod verò veluti formale, & quiditas est illi, in tempore aduenit: vt si imagineris ab æstu solis febrem gigni, calore quidem afficiet, & ponet corpus in calefacto esse, non tamen febris erit, neq; morbus hactenus. sic & lib. de Morb. diff. ait: Si tumor notabilis adeo sit, vt offẽdat actiones, morbus erit: sed num statim æger? nequaquam, sed cum primũ à consuetis actionibus totius impeditur. Hæc enim sanum corpus ab ægris disterminant, nisi fortè secundum partem ægros eos

dixeris. Argumentum verò Galeni nullum morbus similare est, ergo ab initio eandem habet essentiam: fatemur, sed non statim omnis tumor, aut calor morbus erit, sed cum primùm lædit actiones. Ad quartum, si ad latitudinem sanorum hominum cõferatur, prorsus æger esse dicitur, quoniam actione destituitur: quanuis si ipsius propriam naturam respicias, extra sanitatem propriam non sit. potest & dici non sanum, sed neutrum simpliciter secundi modi. Ad 5. de Const. art. ad finem, cõualescentes nullo affectu præter naturam tenentur, sed imbecilli sunt spiritu, & sanguine viduati, affectus verò delet⁹ est. Cõtrà imbecilla actio affectũ aliquẽ cõsequitur corporis, vel naturalem vt in pueris, vel præter naturá vt in ægris. à quo ergo hoc loco ꝓueniet? Respõdetur, fortè à morbo, qui pręcessit. Contrà symptoma semper affectui iungitur, vt vmbra corpori, & ad eius amotionem vt pote causá etiã ipse perit. ergo hic affectus morbus erit. Præterea hęc vacuitas sãguinis & spiritus est morbus, quoniam est intemperies frigida, & sicca, cum pars natiua influente calore viduatur. Ad primam instantiam dicas, non dici pręter naturam affectos, quoniam ad sanorum statum continuè accedunt: ergo sic etiam quæ in declinatione. An non sunt ægri primo illo morbo, sed altero, qui sola victus ratione eget vt curetur? Vide 7. Meth. videtur enim in parte curatiua de his agere, vtpote de ægris. præterea macies est morbus in magnitudine. Post hæc causas definimus eas esse, quæ vim habẽt gignẽdi morbi, seu possint solum, nõ tamẽ adhuc gignãt, seu genuerint, atq; recesserint, seu partim genuerint, partim adhuc generent. Quodlibet horũ generũ causarũ medicus considerat, quæ vim habet solùm, vt generationem inhibeat, quod pręseruare dicitur, quæ iam generãt, vt amoueat quæ præteriere, quoniam affectus qualis sit aperiunt.

Causarum diuisio examinatur.

Diuisio verò in membra, quam causis assignamus, vulgaris est apud Gale., sed in explanatione causæ procatarcticæ, neq; cum Galeno, neq; cum cæteris conuenire videor. Ipsi enim cum eo exponunt causas procatarcticas externas, vt 4. de San. tuen. ad principium, vt internam, antecedẽtem causam dicit. Quòd si dicas ira, & timor inter procatarcticas causas numerantur à Galeno primo de Diff. feb. quæ tamen internæ causæ esse videntur. Respondet Auic. primitiuas causas externas dici omnes, & esse vel ab externis corporibus, vel ab anima: quomodo verò quæ ex animi motu est, externa dicatur, declarat cum ait, Anima enim aliud est à corpore. Sed licet anima sit aliud, quid habes, nisi quòd ex alio principio corpus afficitur? At extra corpus non est, quomodo ergo externa dicetur? Præterea exercitium, motus corporis est. Attamen inter pro-

catarcti-

catarcticas causas numeratur. Rursus Ephemerę omnes à putridis distinguntur, quòd à causa semper fiunt pro catarctica, primo de Feb. differen. sed aliqua ex bubone inguinum fiunt, aliqua ex destillatione 8. Meth. & primo ad Glauc. ergo etiam hæ causæ procatarcticæ sũt. Aliter ergo exponimus q̃d sit procatarctica causa, vt scilicet causa sit euidẽs, & nũc primũ agere in corpus incipiat. His n. antecedentes distinguimus, quòd ratione solũ à perito artis discernũtur: hæ verò cuiuis apertę. Præterea multò antea sensim corpus afficiebãt absc̃oditæ, vt cruditas, plenitudo. Siue ergo intra corpus ortum habuerint, siue extrà, dummodò has conditiones habeant, procatarcticæ causæ dicentur. Quòd si Galenus aliquando eas externas dicit, voluit significare eas nota aliqua plurimũ vera, sed nõ necessaria. Plerumq; enim extra corpus sunt hæ causæ, vt sit quasi exemplum declarans, non definitio. Cum verò causa multiplex sit, cum de morbi causis quærimus, de efficiente quęrimus, à quo scilicet gignatur. nam finem morbi non habent. Neq; enim intenti à natura neq; materiam, nisi in qua fiunt, vt humanum corpus. sunt enim affectus solùm & accidentia. At materia ex qua gignuntur, rationem efficientis causæ habere videtur. Considerandum etiam circa causas, quòd aliquando multæ in vnum affectum c̃ocurrunt ordine quodam, vt alia prima sit, vel summa, & remota, in quam resoluimus postremã, vt plenitudo obstructionis: obstructio putredinis, hæc verò febris. Putredo verò ꝓxima causa dicetur. Num verò cõtinens, quam barbari coniunctam vocant, Gręci συνεκτικὴν, hæc dici debeat, certum est quòd non: nec enim posita ponitur: cum si in ampla capacitate putrescant, febrem non faciant: vel si in loco à corde remoto, & pauca sit materia. Nec remota remouetur: Adhuc enim calor infixus perstare potest. hæc autem erat ratio continentis causæ, vt Galen. innuere videtur. Neq; huiusmodi multa exẽpla habes, nisi multas causas tãquam vnam causam accipias, vt omnes vim causæ continentis habeant.

Nunc verò symptomatũ tractationẽ sic ordior: Ea describuntur, quòd sint morbum consequentes affectus. Sunt autem de genere eorum, quę accidunt: sed vt ab alijs, quæ per naturam corpori insunt, distinguantur, illud est adiectum, Vnde & veteres epiginema, id est succedens, scilicet morbo nominabant: quanuis successionis huius non leuis sit differentia, de Const. ar. Alia enim necessariò consequũtur, & statim cum morbo inuadũt: quę etiã pathognomonica, id est affectũ monstrantia dicuntur: aliqua mox adueniũt. Possumus verò facere genera symptomatũ quatuor Gal. imitati de symptomatum differentia capite 3, vbi dolorem quartum symptomatum

ma numerat, ac proprium tactus dicit. Nam primò illi conuenit, cæteris verò organis sensuum, quatenus tactu participant. Ex quatuor verò generibus qualitates mutatæ, mitia symptomata dicũtur & solum ad affectus, vel partem læsam significandam vtilia sunt. At cætera omnia genera insignia symptomata dicuntur: quoniam curationem aliquando interpellant, & variant. Habent verò symptomata suas particulares differentias ex diuisiua methodo inuentas, vt in excremẽtis suppresio, & profluuiũ. In actione, quoniá vel perditur, vel vitiatur, vel fit imbecilla, taliq; partitione in omni actionis genere si quis vtatur, facilè omnes symptomatũ differẽtias inueniet: qua ratione in libro de Symp. diff. inuenit.

Quinta definitio magni morbi est: intelligere verò morbi magnitudinem quæ dicatur, & penes quid attendatur, plurimum refert. Multa enim agenda indicat morbi magnitudo, seu vehementia, & paruitas, seu lenitas. sæpe enim audimus Galennm laudantem Hippocratem 4. Meth. quòd adeo diligens fuerit, vt nõ indicationes modò ab ipsa morbi natura sumpserit, sed & à magnitudine. Itaq; & scopum mittẽdi sanguinem facit morbi magnitudinem tum ibi, tũ in libro de Ven. sect. per totũ, & 4. de Vict. xx. Quæ nam igitur est hæc morbi magnitudo? Scimus autem magnũ & paruum dici ad aliquid. Aliqua in comparatione magna esse, quę simpliciter magna non sunt: vt vnciæ pondus formicæ comparatum. sic aliqua si in genere cõparentur, parua dici, in sua verò specie magna, vt notauit Arist. Intelligere ergo oportet qua ratione morbum magnum dicamus. Primùm igitur ponenda est definitio magnitudinis quæ absolutè dicitur, & non virium comparatione. Hæc enim describi non potest, nisi dicas, magnũ illum, esse qui naturã prosternit & superat, vt describit Gale. libro de vniuersalibus morborũ tẽporibus. At magnitudo absolutê dicta, p ea quæ essentialia sunt, sic definitur. Magnum morbũ esse, qui magna affert symptomata, paruũ, qui parua. Vt enim morbus per symptomata definitur tanquam per notiora, ita & morbi magnitudo commodè per symptomatum magnitudinem definietur. Magna verò seu vehementia, seu fortia symptomata sunt in primis quæ insignia, & præcellẽtia Galenus nominabat, 2. Meth. & ex his, illa, quæ in generibus ijsdem magnitudine excellunt. Verùm hæc definitio, vt Galeni est, ita intelligi nequit sine vtillima distinctione, quá ego (quod sciam) primus induxi. Nam morbi, qui absolutè magni dicuntur, vel sunt tales in toto morborum genere, vel in sua specie: sic enim & vulgò loqui solemus, cum aliquos dicimus (hauer gran male) in genere, nulla de specie mentione habita: aliquos verò dicimus (hauer gran febre) neq; ideo necesa-

necessariò ijs asserimus (hauer gran male) Si ergo id probè distinguatur, statim & definitio nihil habet dubij. sic ergo & symptomata magna dicimus alia in genere, cum dicimus (hauer grandi accidenti) alia in specie, cum dicimus (hauer gran sete, òuero, gran dolor di capo. Hi ergo loquẽdi modi vsitati sunt, tum de morbis, tum de symptomatis. Cum ergo dicimus de aliquo quòd morbus magnus sit, nec aliud addimus, de genere morborum intelligimus, vt & cum dicimus nominatim, quis sit de quo loquimur, de magnitudine eius speciei loquimur: sic de symptomatis. Iam igitur manifestè apparebit quis sit morbus magnus: nempe eum, qui magna affert symptomata. Sunt autem ea, quæ in morborum genere insignia sunt, hoc est, quæ medicum terreant, siue pauca sint, siue multa. Exempli gratia, principum partium imbecillitates, vt pulsus intermittens, stupor, sopor, delirium, prauæ notæ, excrementa: vt syncope, vt obmutescentia. In summa morbus magnus erit, qui periculum portendit, ne naturam superet. Sed quoniam superari natura contingit præ sua imbecillitate, ab eo qui magnus reuera non est, vt si decrepitus tertiana febre febricitet, ideo non ex victoria, sed ex propria ratione morbum magnum definimus, hoc est ex symptomatis: quanuis hoc etiam illi insit, vt de victoria periculũ sit, non tamen omnino vincet, vt qui in comparatione magnus est, prorsus superabit. At paruus erit, qui pauca, & ea leuia affert. Magnus verò in sua specie morbus, vt magna tertiana, vel magnum vlcus, nõ simpliciter ex symptomatum generali magnitudine definietur, sed ex eorũ, quæ illius speciei sunt propria, id est, quæ ipsius definitionem ingrediuntur, vt magna pleuritis, vbi magnus dolor lateris, & respiratio multum difficilis, & praua sputa. Fieri potest tamen, vt ambæ hæ magnitudines coeant, vt cum apoplexiam fortem dixit Hippocrates. Nam & toto genere morbi magna censetur, & in sua specie sæuissima infert symptomata, vt respiratio, quæ vix sentiatur. At contrà, stat specie in propria magnũ esse, genere verò magnum non esse, vt magna tertiana. & paruus homo modò potest toto genere magnus esse, vt leuis epilepsia & apoplexia: non itaq; vnam magnitudinem ex alia inferre licet, sicut neq; vnam paruitatem ex alia: vt neq; paruus elephas paruum animal est: neq; magna culex, magnum animal.

Succedit alia distinctio ex 4. Meth. 6. quoniã morbi quidam secundum propriam naturam hanc magnitudinem habent, vt magna scilicet symptomata inuehant, & periculum afferant, vt gangrena, sphacelismus, ardẽs febris. Alij verò indifferentes sint, vt parui, & magni dici possint. sed ex sede affecta magni fiunt & periculosi, vt Morborũ distinctio altera.

phlegmone magnus morbus non est, vel scirrhus. sed si in parte aliqua præstanti vigeat, magnus fit, vt in ventriculo vel iocinore. Alij exigui quidem sunt si speciem spectes, vt hectica febris, pestiles: quoniam magna simptomata non videntur afferre, sed re vera afferunt, & magni sunt, sed non vulgo noti, vt Galenus ait. Debiles febres, & obscuræ sæpè valde malignæ sunt. Est autem vox ea ab animantibus transumpta, quæ κακοεργὰ Græci dicunt, id est maligna, cum scilicet furtim insidiatorum more vitæ grassantur. Sic igitur expositus est locus difficillimus, quem neq; Galenus satis exposuit quando nec exempla feliciter inuenit. Nam articulorum vulnera non cacoethe, id est maligna, sed ratione partis læsæ magna videntur. Neq; quæ suuntur vulnera perpetuò magna sunt ea magnitudine, sed ea solùm quæ in specie, quam confundere non debemus. Nos verò commoda exempla attulimus. Quòd si dicas primus modus est nõ magnitudinis in genere, sed in specie. Cæteri in genere. Cõtrà, tunc deerit vnus modus magnitudinis in genere, scilicet qui ex sui natura magni, & periculosi sunt.

Sed circa hæc dubitatur. Nam vulnera quædam cacoethæ appellat 4. Meth. quæ vix curantur: ergo erunt magni morbi per te: ergo periculosi. At non est verum. quod enim periculum ægro afferunt, cum in crure, vel coxa sunt? Respondetur, afferunt parti perniciem si non toti, vt & gangrena. Nam inde caries osi imminet, & corruptio actionis. Vel dic, maligna esse & magnos morbos, sed accidit eis ratione ignobilitatis partis, vt vitã non lædant. Dubitatur tertio, de Cris. quarto, magnitudo inquit ex propriorum accidentiũ magnitudine noscitur, mos verò ex superueniẽtibus. Vnde primũ falsũ erit, quòd magnitudo in genere, ex toto genere symptomatũ pendeat, si ex proprijs noscitur. Secũdò sequitur, morem aliud esse à magnitudine, tu autem fecisti modum magnitudinis. Respondetur, tertio de Cris. & in lib. de Const. ar. magnitudinem in specie semper definit: vt quantum morbus auctus sit: & sic bene distinguit hanc magnitudinem à more. At lib. 4. Meth. 6. non ita: sed magnitudo hæc generalis est, pro omni periculoso. Periculum verò aliquãdo ex sola malignitate pendet.

Est autẽ è magnis morbis genus verũ, quod acutum vocant. quæ vox cùm primùm imposita fuit, à celeritate deducta videtur, & præcipiti eorum cursu. Nam breue tempus, seu præceps dicere ὀξὺν καιρὸν solent, vt apud Hippoc. Voluerunt ergo significare motus celeritatem, quam in his videbant. Multum autem refert nosse quales statim morbi acuti dicantur, & qui non acuti, tum ob periculum conijciendum, tum ob remedia admouenda: præcipuè verò ob victus

ctus rationem. Nam de cæteris remedijs dixit Hippoc. in acutis morbis sanguinem mittes. De victus ratione Galenus cum status consideratione quàm propè, vel longè distet, metitur victus quantitatem.

Credet fortè quis, facilè describi posse acutos morbos mẽsurãdo certò quodã termino duratione, vt cũ dicimus eos in xiiij dieb. iudicari, sed hoc minimè esset artifice dignũ. Nec enim sic naturã morbi explicaremus, quæ non consistit in certa duratione: sed aliquid prius intelligendum est è quo profluit, vt sic, vel sic duret. Præterea multi exigui temporis sunt, non tamen acuti vt ephemera: nemo enim inquit Galenus, hos acutos diceret. Ideo altius perscrutanda est eius natura. Præterea neq; aliquid vtile haberemus, quoniam nõnisi post terminũ notum foret, num acutus, an diuturnus esset.

Ponimus itaq; definitionem morbi acuti ex Galeno 2. Aph. 23. vbi genere magnum morbum esse dicimus: sed properare ad statum celeriter, qua differẽtia distinguitur à diuturnis: hi namq; non properant. Dico verò properare similitudine ab animalibus quæ mouẽtur accepta, & omnino corporibus. Quæ enim cito finem attingunt, properare dicuntur, vbi spaciũ idem est. At morbi ad sanitatem, quasi spacium quoddam imaginamur, quod morbus acutus velociter perficit, tardè verò diuturnus. Id quod 2. Aph. magnũ dixit 3. de diebus ad finem periculosum ait. Acutum enim morbum scribit celeritate motus, & periculo iudicari primo de Acut. 8. Exemplo monstrat quales sint, scilicet omnes magni, & velocis motus: & habere ait febres continuas. Quod verò dicimus acutum morbum magnũ esse, ab ephemeris differre facimus, & tertianis, alijsq;, qui velocitati acuti comparantur. Velocitatẽ verò hanc describere non possumus, neq; verbis significare, sed termino quodã signamus, quẽ certò scimus transire non posse eum, qui sic mouetur, sed modum motus, qui describitur. Possumus tamẽ narrare quę sunt ea, ex quibus velociter, vel tardè moueri morbum dicamus, & quantũ velociter, aut tardè moueatur. Galenus igitur ita describit 2. Aph. 23. celeritatis causa morbi magnitudo est, & symptomatũ vehementia, ob quæ necesse est, vel vires adeò prosterni, vt ne tentent quidem pugnam contra morbi causas, vel tentent quidem, sed non superent: vel tentent & superent. Cęterùm hæc Galeni ratio optimè declarat cur acuti lethales citò finiãtur ob virium, scilicet prostractionẽ, quę breui fit ex symptomatis. sed quid de salubribus? Præterea adhuc in vltimam causam non resoluit. Iure enim quærimus statim, vnde in morbis acutis fiat tanta symptomatum vehementia, vt vires prosternant? Dicimus nos in salubribus non eam solam esse causam

breuitatis. Eſt vna per ſe cauſa: quoniam humor à quo fiunt tenuis eſt, facilè alterabilis, & coctilis, & facilis vacuatu: quoniam tenuis, calidus, mobilis. Symptomatum autem vehementia concauſa eſt. Irritata enim natura, vt in doloribus facere ſolet, tota omni inſtrumento incumbit ad morbi cauſas: vt quod Galenus facere naturam ait ſtatus tempore, id perpetuò in acutis faciat, quanquam magis in ſtatu. Nam in morbis longis, quodammodo torpet. Aliquando ſola ſymptomatum magnitudo cauſa eſt velocitatis vt in apoplexia, & lethargo, frigidus enim humor eſt, attamen cito ſanantur qui ſanari debent, quoniam toto nixu natura pugnat.

Ad aliud, Cum quæritur de cauſa vehementium ſymptomatum dicimus, primùm ex humorum natura id euenire poſſe: nec enim vna eſt cauſa, quando acres, mobiles, moleſtiq; admodũ ſunt. Poteſt & ex loco, qui afficitur, cuius ratione magna eueniunt, quoniã præſtantes actiones lædũtur. poteſt & ex prauitate vt in venenoſa materia accidit.

Dubitatur, ſi magnitudo ſymptomatũ velocitatis motus eſt cauſa, cur hydrops, cui magna adſunt ſymptomata & tabes, breues nõ ſunt: adſunt autem, neq; enim aliter morbi magni eſſent. Reſpondetur, quòd graue, & moleſtum dicitur, maximè id habet cum inſuetum eſt, vnde & affligit magis, & plus lædit. Inde etiã ex cõſequenti plus proritatur natura. Indicio eſt omnis morbus, qui in habitu eſt, & longus. Hinc fit primò, vt cum vehementibus ſymptomatis perdurare queãt, & minus vires proſternantur. Sympmtomata igitur in morbis longis, magnis, eſto quòd ęqualia forent acutis magnitudine: attamẽ melius ferũtur à natura, vnde & longi eſſe poſſunt: ſeu ſanãdi ſint, vel ſecus: quoniã ſenſim irrepſere, atq; increuere: & hoc experientia monſtratur. Hæc de natura acuti morbi.

Sed ex quibus velocitas motus dignoſcatur, nũc audietis. Cum enim magnitudo cauſa ſit velocitatis, vel vna ex cauſis: ergo quanto ea magnitudo celerius augetur, tantò erit motus velocior. Contrà, ſi tardè augeatur. Sic in febribus augmẽta monſtrabat Galenus primo de Criſ. ſi acceſsiones ſeſe ſuperent longitudine, vehementia& c. tunc enim morbus augetur. tunc verò velociter, quando crebras eas mutationes cernimus. Contrà quando raras. Sic 3. de Cris. 4. ſi ſemper acceſsiones multum anticipent proportione & vehementiores ſemper ſint, citò erit indicium: ſin cõtrà, ſui ſimiles manẽt, tardus eſt motus, quod & Hippoc annotauit primo Aph. xij. Ratio eſt, quia ſi in morbo ſalubri creſcunt celeriter ſymptomata, ſignum eſt naturam vehementer pugnare, quare breui ſuperaturam. Contrà in lethali fiunt morbi ratione agmẽta; ideo & ipſum ſem-

ſemper plus opprimere vires, & dominari, quare breui hominem tollendum.

Quoniam verò acuti morbi natura latitudinē habet, ideo diſtinguēdum eſt vltra, medico qualia extrema latitudinis, qualia media. hinc enim diuerſitatem multam accipit in operando. Omnia verò, quæ dicemus, partim ex Aphor. citato, partim ex Prognoſt. primo 28. Exactè verò 2. de Diebus cret. Gradus ergo quoſdam in acutis ponere eſt, ſummus quidem in valde acutis, quos extremè acutos Hippocrates nominauit, qui intra ſeptimam criſim habēt: vbi & latitudinem ſpectabis. eorum enim quidā tertia, quarta, vel quinta: qui rectè extremi dicētur. Sed animaduertere oportet: vt enim non ſola motus velocitas acutum facit, ſed prӕterea magnitudo: ita etiam extremè acutum cum extrema magnitudine ſymptomatū eſſe oportet. Nam fieri poſſet morbus aliquis mitior, qui ob materiæ facilitatem, vel paucitatem breuiſsimè finiretur, nec tamen extremè acutus foret. Simpliciter verò acuti, qui intra xiiij. medij horū, qui in medijs diebus. Degeneres verò dico eos, quos Διὰ μετάπτωσιν fieri ait, exponunt, ex decidentia: ſed quid hac voce ſignificare velint non norunt. ea ſæpe Galenus vtitur: ſed & quales hi ſint à nemine hactenus eſt expoſitum. Aliquando enim ſolum vnū genus eorum affert Galenus, qui ſcilicet imperfectè intra xiiij. iudicati, mox morbum protrahunt ad xxxx. multas particulares, & imperfectas criſes facientes, vt Anaxion. Hunc modum citat primo Progn. 28. Attamē alij modi ab eo poſiti ſunt 2. de Criſi. cum ſcilicet lentius quā verè acuti mouentur: & magnitudinem habet vnde acuti nomen capit, non ſimpliciter, ſed cum adiecto. Melius itaq; nos exponimus vocem eam, degenerationē, & acutos degeneres nominamus, quoniam vehementia multum, & velocitate ab illis deficiunt. ſunt autem hi, qui à xiiij. ad 40. iudicantur, vbi magna quoq; latitudo viſitur. Expſitio hæc 7. Aph. 49. ab exquiſitè acutis deciderūt, diuturni non ſunt.

Nunc principia quӕdā ponenda ſunt, quibus ſtatim acquieſcit ratio, cum primùm voces intellexerit, quid ſignificent, Primum quod ſecundum naturam ineſt dum corpus ægrum eſt, perpetuò ſeruandum. Dico ea ſecundū naturam, quæ ad vitam vſum aliquem prӕſtant, vt partium temperamentum, & inſtrumētorum fabrica, & facultatum robur. Vſus autem ſunt operationes. Sed hæc infra exactius. Non intelligimus autem ſecundum naturam, quoniam ab ortu: nam & quæ longo tempore acquiſita ſunt, naturalia ſunt facta, & ita ſeruanda interim. De hoc duplici habitu Gale. 2. de Tēper. & 8. Meth. Hæc verò ſeruanda ſemper ſunt, dum corpus ægrotat. Quod

additur ex Galeno 8. Meth. vbi docet temperamenta, quæ à mediocritate deflectũt, & ita optima non sunt (nam optimum vnum est, & medium) Siquidem per ocium fieri posſit, id eſt multo tempore, & corpus nactus ſis, quod velit, & poſsit obedire pręceptis, in melius mutari poſſe: & hoc mangones, pædotribę, & Gymnaſtæ faciebant, ex victus ratione materiam auxiliorum ſumentes. Addit ſi licet per ocium, quoniã breui id fieri non poteſt, quoniã conſuetis gaudet natura. Semper, & hoc declarat Gale. 6. Epid. lib. 2. 22. ſuper Hip. verbis, ſenſim ad cõtraria traducere, & interquieſcere. Quare inter ægrotandum hoc fieri nequit. primùm, quoniam ad inſueta tranſitus, facilè ſanos lædit, quanto magis ægros? Præterea ægri, præceptis obedire non poſſunt, quæ conſiſtunt in exercitijs, electione aeris, ſomnis, excretionibus, animi motibus. Nam vel exequi nequit illa præ inualitudine, vel etiam non expedit: quoniam magis à materia horum præſidiorum læderentur. Hoc ergo eſt Galeni conſilium 8. Meth. 9. Has enim naturas 8. Meth. ait, quodámodo ambigere. Nam & ſi eos tangas, videntur febricitantibus proximi: Sed dices, ſi temperamentum illud ſecundum naturam eſt, videtur ſemper ſeruãdum: tu verò dixiſti ſeruãdum tantũmodo eſſe, dum corpus ęgrotat: preceptũ illud vniuerſale eſſe videtur. Reſpõdeo præceptũ vniuerſale eſſe, eſt verũ, ſed ea quæ ſecundũ naturam dicimus, vitiũ habent, quia omnino optima non ſunt, ſed cum quibus ſtat ſanitas qualiſcunq; & actio: rationẽ habent eius quod non ſecundum naturam, quatenus ab optimo deflectunt. Ideo quando medicus corrigere tentat, ſubeũt rationem apud eum, quaſi præter naturam eſſent, & morboſa. Subdit, quòd præter naturam tolli. Dicuntur pręter naturam, morbus, cauſa, ſymptoma: quoniam corpus extra propriam naturam egredi faciunt, vel egreſſum ſignificãt. Patet ergo apertè, quòd ſemper tollenda.

Alterum proprium eſt, ſeruari vnumquodq; ſuo ſimili, tolli verò contrario: vnde & alterum deducebat Hippoc. Contraria cõtrarijs remedio eſſe. & xi. Metho. inductione eam eſſe veriſsimam oſtendit, quanuis per ſe pateat, cum primùm noris, quid ſimile ſit, quid contrarium. Statim enim contrarij ratio eſt, vt mutet, alteret, deſtruat, vt Ariſtot. quoq; definiuit. At ſimile conſeruat, aliàs ſimile non eſſet, ſed rationem haberet contrarij. Cæterùm, quoniam fortè calidam calido, & frigidum frigido diceres ſimile, & tamen minus calidum à magis calido alteratur, & mutatur, & magis calidum à minus calido. Habet quippe cõtrarij rationem, quoniam omnimoda ſimilitudo non eſt. Quomodo enim mutaret? Ideo Galenus addit 3. Tech. 86. vt ſint gradu quoq; & poteſtate ſimilia, id eſt æquè à

medi-

medio ſui generis diſtátia. Sed quia contrarium multis modis dicitur, quoniam ſub hac generali ratione immutandi multi comprehenduntur modi, ideo diſtinguendum de contrario eſt. Primùm quoniam aliqua ex euidenti qualitate contraria ſunt: quoniam per illas corpus immutát, vt calido, frigido& c. Alia verò per occultam quandam inimicitiam, quam ex tota ſubſtantia dicere ſolet: Alia ex forma ſpecifica. Prima illa inimicitia omnibus euidens: at hæc ſecunda experientia ſola comperta eſt, vt alimenta 6. de San.tuen. ad principium. Apertè enim alia homini conueniunt, alia inimica ſunt Et quid dico homini, cum huic vinum cōferat, illi obſit, & alia cibariorum genera? Sic euenit, & de medicamētoſis: ſic & plurima venena. Dico plurima, quoniam alia ex euidenti qualitate officiūt, quæ etiam nonniſi quátitate nocét. Nam quibuſdam etiam vtimur quotidiano in victu, vt crocus, lactuca. At ſerpentis ſaliua, & Bufonis virus, & quorundam fungorum non ita. Sic & eorum remedia, quę Alexipharmaca dicūtur. Nam hæc quoq; ex tota ſubſtátia venęnis ſunt aduerſa, vt Lemnia terra, Armena gleba: & ſi vera ſunt ea quæ Amuleta veteres appellabāt. Alia diuiſio eſt, quoniam ex contrarijs alia agunt per ſe, & mutant, id eſt ex propria natura; alia ex accidēti: exēplo ſunt omnia, quæ ſupra ſunt poſita. Nam nō ex alio medio, ſed ex propria natura agunt. At ſi frigida calfaciat, vel inedia corpus ſiccet, hoc ex accidenti fieri dicitur: quoniam accidit frigidæ vt calorem colligat, tum poros denſando, tum ex antiperiſtaſi. Accidit etiam inediæ, vt ſanguinem minuat, itaq; & corpora refrigeret, ſiccetq;. Tertia diuiſio, eorum quæ per ſe contraria ſunt: alia enim actu talia ſunt, alia poteſtate. Definitio actu tale dicitur, quod ſecundum ſpeciem, id eſt imaginationē, vel ſecundum id, quod apparet, eſt tale. Sed & poteſtatem, vel vim, vel facultatē habet agendi & immutandi, vt aqua frigida. Vt enim ſentitur, ita facultatem habet refrigerandi. At cicuta facultatem quidem refrigerandi habet, eſto quod frigida actu nō ſit. Hæc ergo medicum diſtinguere oportet. Nec enim ſemper vno modo contrariorum vtetur: ſed nunc vno, nunc altero, prout vſus poſcet. Dices, ſi ſit ſecundum ſpeciem tale, vt lactuca calfacta, nónne contrarium dicetur? Etenim immutat. Reſpondetur, initio ſpeciem quidem facit immutandi ex qualitate aſcititia, ſed tandem auget ſua poteſtate quod pręfuit, non autem mutat: itaq; huiuſmodi apparētia ſolum contraria, in vſum medicorum non veniunt.

Omnes verò hæ diuiſiones Galeni ſunt. Prima quidē 3. de Simpl. 5. & 13. Metho. 82. Secunda verò primo de Simpl. 2. & 10. Meth. Tertia autē primo de Simp'. & primo de Temp. 9. Sed videtur Galenus

aliter definire, quod actu, vel potestate est tale. Actu dicens primo de Simp. quod in præsenti tempore est tale, idq; ex sui natura, non ascititia qualitate. Potestate verò, quod futurũ est tale, id est quod nunc non apparet tale, tẽpore verò apparebit, cum nostro corpori admotum pati aliquid cœperit. Tunc enim & ipsum agere incipiet. Nos autem videmur magis naturam eius expressisse, cum diximus, Potestate dici, quod speciem, & apparentiam non habet calidi, sed vim calfaciendi. sic enim dicere Aristoteles solet, bilem specie, id est aspectu humidam, siccam verò facultate, & vi: & tamen nunquam in futurum sicca euadet, sed siccans potius.

Actu igitur tale est, quod habet vtrunque: potestate verò quòd vim solum. Alia enim est caliditas, quam acquirit è corpore, id est exigua, vnde excitatur alia: sed siccitatem quomodo à corpore nostro habet, vt actu tale fiat, & siccet? Est enim ea naturalis poteutia, quæ est secunda species qualitatis. Verùm hæc quæstiones inuehunt non modicas. Primùm quod videmus, & testatur Hippoc. calidas naturas melius se habere ad hyemem, frigidas verò ad æstatem. 3 Aph. 2. ergo contrario ambiente seruantur magis. sic & de ætatibus xviij. Senes ad æstatem melius, Iuuenes ad hyemem: & tamen ætas, & temperamẽtum sunt secundum naturam, ergo seruari debent: idq;, per te, contrarijs fiet, non similibus. In lib. quoq; de Victu priuatorum tex. 7. authorem libri reprehendit, quòd vult senes sicciore alimento vti: Imò inquit calido & humido vtantur, vt etiam pręcipit 5. de San. tuen. ergo temperamentum senum non conseruatur similibus. Sic de temperamentis loquens 6. Epid. in calidis inquit naturis refrigeratio, aquæ potio, quies: & omnino vult regere eos contrario. Sed experientia testatur frigida animalia frigidis locis non superuenire. vt asinos Scythia non fert, nec serpentia animalia, vel pauca. & à frigido ambiente, vel torpescunt semimortua, vel prorsus moriuntur exanguia.

Gelenus igitur 8. Meth. cap. 9. sic scribit: Intemperatas naturas, licet & quales accepimus conseruare, licet & ad melius ducere. Appellat autem eas, quæ multum à medio recedunt. Nam quæ exiguum excessum habẽt, eadem ratione cum his procedendum, vt in temperatis, nempe seruandæ. Quòd si ad melius ducere velis, satius id fecisse dum sani sunt, non morbi tempore: & hoc nos exposuimus, & causam addidimus. Idem repetit xi. Meth. Solùm igitur verum est, de optimo temperamẽto, quod semper se seruari possit. Non est verum de vitioso, sed bene cum ægrotat: aliâs permutari expediet, si ocium suppetat, idq; contrarijs. Verùm si ocium non sit ita, vt in ea sanitate, quam accepimus sint seruandi. Hîc vrget quæ-

stio

ſtio, vrget, verò & authoritate & ratione. Primò quoniam ſine diſcrimine proponit Galenus lib. de Victu priuatorum tex 6. temperamenta naturalia, quæ extra medium ſunt, cõtrarium victum exigere. Idem primo de alimentis in prohemio, quòd ſimilibus regantur: id ſolum verum eſt inquit, in medio temperamento, in cæteris qualeſcumq; intemperaturæ ſint, contrariò victu eſt vtendum. Ad hæc dicimus, rationem ſubdit 3. de Alim. quoniam expedit corrigere has naturas, non ſeruare: Intellige, niſi quid impediat, vt negocia. At in alio lib. de priuatis hominibus loquitur, quibus præcepta tradit: id eſt qui negocijs addicti non ſunt: de quibus verum erit, contrario eſſe victu vtendum, vt ad mediocritatem deducantur.

Rurſus igitur dubitatur, quoniam 6. de tuen. San. ſic ſcribit in paſsiuis, humido ſcilicet & ſicco: ſiquidem ſeruare temperamẽtum ſtudes quod inueniſti, vtere ſimilibus: ſin corrigere, contrarijs. At in actiuis contraria ſemper dare expedit.

Sunt enim hæc, inquit, efficaciſsimæ qualitates, & ſimilibus alimentis facilè in morboſam intemperiem ambeunt. Ideo etiam in negocioſis, in quibus permutare non expedit, contrario victu erit vtendum. Contra quàm dixerat 3. Tech. quòd in quocunq; exceſſu, ſeu in actiuis ſit, ſeu in paſsiuis, ſimilibus ſemper conſeruatio fiat. Reſpõdetur, humida temperies quibuſdam corporibus optima eſt, & vtilis plus quàm media, ſi eſſent: ideo ſi media, ſe conſeruandam indicat, quanto magis hæc humida? Hęc eſt pueris, & in his ſeruari maximè eſt ex vſu, ni prorſus morboſa ſit, & morbos faciat. De his ergo Galenus loquitur: vnde & de humiditate puerorũ ſtatim meminit. Similiter naturale eſt mulieri humido eſſe corpore præ viris; ideo niſi ſalubrem mediocritatem excedat, ſeruanda ſimilibus, de Vict. ſalubr 24. At calida, vel frigida temperies nulli corpori commoda eſt: itaq; nunquam propria ratione de ſe ſeruanda indicat. hinc quantum ex ſe eſt, ſemper contraria exigit: Sic locum intellige 2. Techn. 23. Signum noſcendi temperamenta eſt, quòd læditur facilè à ſimilibus, iuuatur ex modico contrariorum vſu: non negamus tamen, quin ſi ſeruare animus ſit, ſimilibus id fieri debeat, vt Galenus 3. Tech. monuit: & erit vtile præceptum, quòd conſeruatio fiat per ſimilia, genere inquam & gradu, vt diximus. & Galenus cap. 86 annotauit, cum vult ea ſimilia ęqualiter à medio declinare.

Alia etiam cauſa eſt quare conſulat cõtrarijs vti: quia in paſsiuis non facilè error committitur, quòd lentè hæ qualitates imprimũt; non ſic in actiuis. At non errare dificile eſt: etenim exactè ſimilia quis inueniat? Ideo ſatius eſt ad frigida declinare. itaq; præceptum

illud verum est 3. Tech. sed in arte seruare non potes. Contrà, sint negociosi, quibus permutare non conducit: quomodo vteris? Respondetur, Vtar non adeo, vt permutare possit, sed furorem qualitatum cohibere. Quòd verò sic intelligat, patet: Nam de calida, & humida natura loquēs, ait: Si permutare velis, contrario victu vtere: si conseruare, simili. Intelligit autem si velis vbi modicè aberrēt: At cum dicit, In actiuis contraria semper dare expedit: quod dicit semper, nō intelligit in toto victu, sed semper, id est seu alterare, vel seruare velis; non quòd contrarijs semper vtatur, sed aliquādo contrariorum vsum admittat, ne dum seruas, in morbosum affectū labatur. & sic intellexit Auer. qui id cōsulit lib. 6. xi. de Regimine corporum calidorum. Non enim debent vnquam conseruari solùm, sed admiscere ea, quæ præseruēt, quanuis semper, si fieri possit, deberent corrigi, hi maximè, quibus vna qualitas superat: quoniam sunt proximi, vt ab externis causis morbos incidant. Ad ea verò experimenta supra adducta de naturis calidis, & frigidis, dico primò, quòd illæ alterationes aeris non sunt similes, sed excedentes: vnde facilè illis morbosæ succumbunt. Nam naturæ intemperatę facilè cognato suæ naturæ morbo laborant. Præterea sunt temperamenta procliuia ad lapsum, quæ modico contrariorū vsu iuuantur. Contrà hyems non est modicum iuueni. Respondetur, Melius in tempore remissiore, sed comparādo hyemem æstati, melius hyeme, quia pessimè æstate. Ita de regimine dicatur. Querimus enim semper modicè corrigere hos, præsertim dū valēt. Sed dubiū est de senib. Nam si corrigere siccitatē eorū studes, quomodo in eorū victu salita, & ita siccantia Galenus admittit lib. 5.? Respondet Galenus de Victu priuatorum, senilem ætatem cōtraria indicare, propterea quòd intemperantias duas patiuntur, quæ ambæ corrigi postulant. Prima est naturalis siccatio, & frigus: secunda excrementitia humiditas ob frigiditatem. Vide secundo de Temp. vbi hæc disputat: & 6. de San. tuen. Ideo solidis humectari volunt, sed semper cauere ne multa humiditas aceruetur. Ideo cibi natura humidiores saliti sint, præsertim si glutinosi: quando non conficiuntur, & seniles morbos gignunt podagras, & nephritim.

Medicinæ partes.

Videndum postea est, quamnam medicinæ partem profiteamur. Nam cum vna eius pars, quæ physiologia dicitur, naturam rerum, & causas contempletur, tum corporum, quæ curāda sunt, tum materiæ medicæ, per quam fit curatio. Hanc vniuersam supponimus. Rursus altera de signis, tum pręsentium rerum demonstratiuis, tum futurarū prognosticis, quam itidem supponimus. Est tertia quæ iam homini tuendo præest, quam propriè medicinam dicimus

mus: quoniam immediatè finẽ medici spectat: hoc est, Sanitate frui corpus. In hoc ergo genere est medicinæ pars, quam intendimus, Cæterùm hìc finis generalis, Sanitate frui, distinguitur per modos, quibus sanitate frui efficit. Vel enim eam illæsam seruando, vel prę-cauendo ne in morbum labatur, & amittatur, vel eam amissam restituendo. Hinc tres primę partes sunt, conseruatrix, præseruatrix & curatrix. Quodq; horum eundẽ finem respicit: sed diuersimodè assequitur. Ille exigua vitia, & vix sensibilia corrigit, dum talia sunt, quando etiam neq; momentum corpori aliquod afferunt; sed si increscere sinantur, eò perueniẽt, vt actiones lædant. Sunt autem hæc minora vitia contracta ex internis causis, & externis quibusdam, quæ euitare nequimus. Internæ sunt continua corporis siccatio, quæ à cõceptione fit, propter siccũ elementũ, quod in mistura prę-ualet, scilicet ignis; & conformari ex humida materia non poterat, quin siccaretur. Perdurat verò hæc siccatio vsq; ad mortem. Altera causa est substantiæ corporis nostri fluor, vel effluuium, quod facit calor insitus, dum humidum depascitur, & in vaporem soluit: vnde & tertia causa prouenit. Nam ob id necesse est, quod defluxit resarcire: resarcimus autem cibo, & potu: qui cùm prorsus similis non sit, mutatione eget, in qua excrementa colligi est necessarium, à quibus incommoda sanitati eueniunt. Ex his quoq; sunt exercitia, vel quietes, & reliqua, quibus necessariò corpus alteratur, vt & externum ambiens. Has ergo exiguas alterationes corrigit, qui sanitatem seruat. Quòd si in horum vsu erretur, fiunt & maiora vitia, adeò vt morbis proxima sint, vt dolores, vigiliæ, lassitudines, siue plus iusto quis capiat, seu minus: siue frigido nimium occurrat, seu excrementa detineantur, vel plus excernatur. Hæc verò artis pars prophilactice dicitur: quoniam imminẽtes morbos prę-cauet. Præcauet autem dum gliscentem iam in corpore causam affert, vt excrementa aceruata. Sunt enim hæc morborũ veluti seminaria quę-dam, quæ & morbum facient, nisi tollantur. Tollit autem, prophylactice per contraria lib. de Art const. Cùm verò iam apertê lę-serint actiones, morbi dicuntur: & his prima pars artis præest, quæ curatrix nominatur, cui nos intendimus: quæ factum iam morbum respicit. Sub hac verò etiam mistum genus conprehendimus, ex curaratrice, & præseruatrice. Nam aliquando hoc mistum officium ad medicum pertinet, cum simul & factum morbum, & futurum respicit, in his scilicet morbis, qui causam fouentem habent, vt in febre. Hæc Galenus decimo Meth. ad principium. & 13. Ther. Instrumenta verò, id est præsidia, bifariam sunt inuenta; vel ratione inquam vel experientia. Quodq; enim altero horum modorũ est inuentum

Medici finis.

Medicinæ primæ partes.

Instrumẽta artis.

primo Aph. r. sesto Aph. 38. primo Ther 3. & tertio 5. Est autē experientia ex sensu euidentibus inuentio. Ex his enim vniuersale præceptum colligit, quæ sensu vsurpauit. Vnde bene Aristoteles ex multis memorijs experientiam fieri ait, primo Metaph. Fit autem obseruatio, vel ex his, quæ casu nobis obijciuntur, vel ex his, quæ consultò euenere. Casu dicuntur, quæ nihil moliētibus nobis fiunt: Consulto, quādo remedium quærentes temere inuenimus. Fit postea & ex horum imitatione, hoc est à simili. Hac sola Empirici contenti erant: neq; de rei natura aliquid ratiocinabantur. Nos verò etiam admittimus, sed non sola sumus contenti; sed ratione multa inueniri fatemur, multa vtraq; via. Vnde & Rationales medici dici volumus, facta à prestantiori denominatione: nō quòd sola ratione cōtenti simus. In quibusdam enim nihil ratio potest. Et sunt quæ suprà enumerauim⁹ quatuor genera: ideò in illis experiētię subscribimus. Contrà, multa sunt, de quibus verè dici non potest, quòd experientia sint inuenta. Neq; enim casus vllus euenire potuit, quo videremus homini affixam cucurbitulam, & imitaremur euentum intuiti. Sic in componendis medicamentis quantum claudicent, legendus Galenus 3. Meth. Neq; enim casu, sed ratione recta per debitas proportiones admisceri est necessarium. Sunt quæ vtraq; via inueniri potuerint, vt frigidam in febribus bibere. Empiricus experientia inuenit, quia multos abseruauit sic affectos, & cum his signis (limitabant enim vndiq; sua præcepta) frigidæ potione curatos. At rationalis ait, frigida perpetuum febris remedium est, quia calidus morbus, & quantitatem, & occasionem dandi ex ratiocinatione habebit: quia hæc natura morbi hoc exigit, hoc tēpore: & hæc natura frigidæ aquæ est. Sic de sanguinis misione dicito.
Iuuant verò se inuicem hæc instrumēta: Nam si quid intuti sumus, siquidem illi quoq; ratio consentiat, statim assentimur, & ita fœlicius nos experientia vtimur, quàm Empirici. Illi enim multo tempore vix certi fiunt, nos breui. Sic & vbi ratio presidium aliquod inuenit, si statim adhibitum in corpore id efficere videamus, certi sumus vtile nobis esse præsidium vt ratio inueniat, comprobet verò experientia quæ inuēta sunt: vt duobus oculis exactius, certiusq; cernamus. Quæ verò ratio inuenit, de quibus maximè agēdum nobis est, dicuntur methodo inueniri. Nihil enim aliud est Methodus, quàm rationalis via ad aliquid inueniendum. Comparatur autem methodus ex indicationibus. Est autem indicatio eorum, quæ nobis agenda sunt insinuatio, ab ipsa rei natura collecta; vt experientiam excludamus, vt vult Galenus 2. Meth. hoc est persuasio à ratione proueniens, qua medicus quid sit agēdum nouit. Format verò syllog-

syllogismum factiuum, assumens indicantia, colligens quod ab illis indicatur. Sunt igitur & quæ indicantur syllogismorum conclusiones, & quæ indicant, sillogismi assumptio. Totius verò rationis vis ex immediato principio pendet: quòd contraria contrariorum remedia: hoc verò ex altero deducitur, quoniam quod præter naturam est, tolli se poscit, tollitur verò contrario. Vnde quid scopi, vel propositi nomen medicis significet, aperimus, cuius vocem toties in ore habent. Est enim quod medico proponitur. Proponitur verò aliquid dum consultat, aliquid verò dum ad agendum se accingit: vtrumq; scopum dicunt. Nam & Galenus magnitudinem morbi, & robur virium scopos ait mittendi sanguinis. Intelligit scopos, ad quos respicientes consultamus: ideo scopi à nobis consultandi dicuntur. Rursus medici scopus est, nosse quid agendum, & quomodò, & quo tempore: quos curatiuos scopos distinctionis gratia dicimus.

Cum medicus rationalis ex rei natura remedia inueniat, vt monstrauimus, necesse est nosse quæ, & qualia sint ea, quę inquirit: mox de his, quæ ea, quæ quæruntur, indicant, agemus. Sunt igitur ea quæ quæruntur hæc in primis, quid sit agendum, vt, num vacuandum, calfaciẽdum sit: & est quidem id primum ordine quod occurrit, sed quod exiguam noticiam pręstet medico, vt videatur plebeio quoq; communis esse, & ita nihil artificiale in se continere. Statim enim à natura ipsa morbi indicātur, vnde & illi talia quęrunt remedia: cùm ęstuant, se in fluuios proijciunt: siti vehementer vexati, bibunt: imò & bruta hoc eis indicante sensu, remedium exquirunt. At dignũ postea artifice est, statim quærere, quibus id fieri debeat. sciuisse enim solum genere quod refrigerandum est, id verò non magis vtile quàm inutile esse poterit, nisi qualia esse debeant, rectè noris: multa enim sunt, quæ refrigerāt, vt alia mitius, alia vehementius, alia actu, alia potestate solùm, alia ex accidenti: & in vnoquoq; horum generum multa est differẽtia. Iuuat ergo diuidendo qualia refrigerantia esse debeant inuenire, adusq; vltimas differentias. Vbi hæc noris, noscenda est quantitas, id est quãtum sit refrigerandum. Nam si intra limites consistas, sanitatis metam non attinges: si vltra procedas, naturalem quoq; ægri temperiem vitiabis. Quantitas ergo diligentissimè est perquirenda.

Ad hoc quarto loco occasio, id est quo tẽpore id facias: nec enim quouis tempore id facere licet, sed oportunè. Nam sic exhibita præsidia iuuant: sin secus lædunt. Est autem hîc animaduertendum ob Galenum, qui videtur dicere occasionem & quãtitatem idem esse, nec plures scopos ponẽdos, 3. Tech. cap. 86. Nec enim vult has quæ

hhh

.1. Quid agendum.

.2. quibus remedijs.

.3. Quanto

.4. quo tempore.

stiones sese includere, & vnam earum esse superfluam: sed quòd certa quantitas sciri nequit, nisi etiam sciatur tempus simul, vt tempus præfinisse oporteat, & ab hinc quantitatem. Nam cùm continuè status ægrorum mutentur, quis potest probè nosse quãtum sibi medicamenti exposcat æger, nisi norit, quo tempore præcise sit dandũ? hic est Galeni sensus verus. Veh igitur, illis qui temere quãtitatem mittendi sanguinis vel medicamenti statuunt, & multò antea per plures dies statuunt. Quantum in ægros peccant? Quinto loco, quomodo id fiat, quęritur. Multi enim & diuersi sunt modi, quibus medicamenta applicari solent, alia confertim, alia sensim, alia irrigatione, alia fotu, alia liquida, alia sicca: & sic de varijs applicandi formis: multumque refert ad curationem vtrouis modo quis vtatur.

5. Quomodo.

6. Ordo.

Addimus & sextum scopum, ordines curationis. Cuius quidem Galenus meminit 3. & 7. Meth. Hoc autem non semper in cuiusuis curatione quæsiuisse necesse est, sed solùm in affectibus complicatis, Vbi inquam multa, & varia sunt, quæ monstrant, nec satis liquet à quo sit inchoandum: attamen hoc nosse est necessarium: quædam enim curari sine alijs non possunt. Neq; enim morbus tollitur, nisi prius causa auferatur: nec caro noua gigni, nisi à subiecta carne: & tollantur sordes, & intemperantia quæcunq; sit: neq; vulneris labra vniri, si quid intersit. Qui igitur hæc perfectè inuenire norit, perfectus artifex erit. Et Empiricus quidẽ obseruatione se inuenisse dicit: Rationalis verò methodo ex indicationibus cõtexta. Hæc à natura rerum indicãtur. Quot verò, & qualia sint quæ indicant modò monstrandum, genera primum proponendo, & mox per diuisiuam artem singulas differẽtias inuestigando. sic enim melius in memoria hærebunt.

Genera igitur tria. sunt primum ea, quæ secũdum naturam ægro insunt: quorum enumeratio est, temperamẽtum, vires, habitus corporis, consuetudo viuendi, seu anteacta vita, naturæ proprietas. quæ singula mẽbra ita declarantur. Temperamentum enim secundum naturam ægro dicimus, quod modò sanus obtinebat, seu sit idem, quod à prima origine sortitus est, seu aliud acquisititiũ tempore. Acquiritur autem nouum, & permutatur antiquũ ex victus ratione vniuersa, quæ multo tempore corpus alterauit, priori temperamẽto contraria, cum homo sanus viuebat, & munia sanorum exercebat: quanuis multa in latitudine, tum sanitas, tum temperamentũ sanitatis causa versetur. Quot autem sint modi tẽperamentorum, & medium inquam, & quæ à medio hinc, vel illinc recedunt. satis notum est ex libris de Temperamentis.

Vires

Vires, intelligo facultatũ robur: quod quomodo se habeat consideremus. Intelligo eas, quæ corpus gubernant. primum trium inquam principiorum, è quibus vita pẽdet: in quibus etiam ordines dignitatis Galenus statuit 7. Meth. vt videamus cuius principij robur maximè indicet. Cordis enim facultatis hoc est vitialis facultatis, qua ipsum mouetur, & arteriæ in primis ratio est habenda; ne dum sanare contendimus, interim eius imbecillitate non pereat. Tandiu enim viuimus, quandiu mouetur cor. Cerebri vis non adeo nobis necessaria in ægris est, vt in sanis: quoniam consueta munia agere si nequeant, non curamus. De iocinoris facultate, vnde corpus alitur præcipuê sumus soliciti: cũ morbus materialis est, vt probè alimentum concoquatur. Cum verò eæ partes priuatim laborent, ipsarum virium habẽda ratio est, vt cerebri. Vide discursum Galeni 2. ad Glauc. 2. Attamen generatim hoc intelligendũ: quòd vna facultate è tribus pereunte, breui reliquas perire est necessarium. Intelligitur breui absolutè à cerebro ob respirationem, quæ per musculos fit, non à iocinore: quoniam serò, & lẽte aliorũ comparatione, vt 5. de Loc. primo. Sed non modò has principes consideramus, sed eas quoq; quarum opus toti vtilitatẽ affert ad vitam necessariam: vt spina motricem facultatem deferens, vnde respiratio. Venter æquam vim habet iocinori, Renes non adeo prestantem: at magni vsus ad vitam, ob morbos imminentes. sic Lien.

Nunc de habitu corporis dicendum. Consideramus enim cuiusmodi sit naturalis eius habitus, num mollis carnis sit, an duræ, sic num rari, an densi habitus. Quomodo autem hæc cognoscantur, ex secundo lib. Temperamentorum habetur. sic de obeso, vel carnoso dicimus. Hæc enim omnia in vsu remediorum conducũt, si quis ea norit.

Ætatẽ quoq; sæpe cõsiderauit Hip. vt 4. de Vict. xx. & 2. de Vict. & primo Aph. seu in victu, seu in remedijs adhibendis. Quot verò sint ætates, & quid vnaquæque indicet, ex mutatione quam circa corpus facit, Galenus. 2. de Temp. & 3. Aphor. exposuit: & nos infra dicemus, cum de earũ indicatione agemus. Consuetudo quoq; nõ tam viuendi, quàm remediorũ spectatur. Vtrobiq; enim vim multã indicandi habet, vt mõstrauimus. Consistit autem in victu, id est in sex non naturalibus generibus, & eorum vsu, à quibus necessariò corpus nostrum alterari dictum est, atq; hanc contra Thessalũ maximam vim habere monstrauit Galenus 1. Meth. & Hippoc. sed & vulgo etiam ab omnibus est obseruatum. Hæc sunt quæ in toto corpore considerantur. Sed si priuatim pars aliqua corporis laboret, primum vt in toto, ita & in ea temperiem considera, & vniuer-

ſam conſtructionē. Multum enim variant tēperatura partes, & pro eius varietate remedia. Sed & ex conſtructione non minus. Conſiſtit autem hæc in numero, & magnitudine partiū, & debito earum ſitu, & figura, & ſuperficiebus, & cauitatibus. Hæc enim omnia ſecundum naturam ſunt, & in vſum aliquem natura inſtituit, vt ſigillatim Galenus monſtrauit.

Inſtrumēti præſtantia.

Nec minus ipſius inſtrumenti præſtantiam cōſiderabis: At quomodo pręſtantia noſcitur? ex vtilitate, quā nobis affert. Vtilitatem verò conſideramus, quatenus ad vitam magis, min úſue conducit. Potes itaq; diſcurrere in omnibus inſtrumentis, & ſciens eorum actiones, & vſus, facilè pręſtantiam iudicabis. Conſiderabis & partis laborantis robur, quod etiam ex robore actionis diſtinguitur. Demum vt ſenſilis eſt, vel ſtupido ſenſu. Multum enim in hoc partes diſtant: & hinc multum medicamenta euariant. Hic igitur eſt omnium, quæ ſecundum naram, aceruus, à quibus perpetuò aliquid indicatur.

FINIS.

GVILIELMVS GVIDOBALDVS *Medicus, Hieronymo Montuo Medico, & Philoſopho doctiſſimo S. D.*



EGISTI *mecum ſuperioribus diebus, doctiſſime Hieronyme, ut Leonardi Iacchini, uiri ſanè omniū, quos unquam nouerim, Galenicis præceptis addictiſſimi cōmentaria aliquot, quæ Lugdunum proficiſcens Typographis daturus mecum detuleram, tibi haud quanquam denegarē. Idq; eò obnixius petebas, quòd Leonardum multa ſcripſiſſe dicerem, non tamē multa edidiſſe, quæ uulgo legerētur. En ut liberalior, quò tardior fuerim, iure cenſear, plura quàm exegeris oculis ſubijcio. Habe enim diſputationum Enchiridion, in quo, ni fallar, ea in rei medicæ principe parte, quæ Grecis* διαιτητικὴ *dicitur, abuſus ita compertos facilè nanciſcaris: ut eos, nedum mediocriter eruditis, ſed etiam tonſoribus eius induſtria notos haud dubie dicere poſſis. Accedit poſtea Problematūlibellus, in quo nimirum rerum naturalium quæſtiones adeo lucidas factas comperies, ut uirum Hetruſcum antiquis Philoſophis nullo labore conferendum credas. Vale.*

LEONARDI IACCHINI MEDICI EMPORIENSIS, DE ACVTORVM MORBORM CVRATIONE DISPVTATIO AD FRANCISCVM GARBVM SVVM.



ITTO ad te, mi Garbe, disputationes, quas olim de Acutorum morborum curatione conscripseram: ut eas (si quidem tali cõuentu dignæ uidebũtur) unà Petro Frãcisco Paulo, & Christophoro Raddæ, cæterisq; sodalibus eruditißimis legẽdas præbeas. Habebitis enim fortaße ex earum lectione, quo semel (quanuis sales his longè lepidiores non desint) symposium uestrum condiatis. Meministis enim, scio, historiam omnem, quomodo ex contentione illa, quæ mihi cum celebri urbis nostræ medico contigit, originẽ traxerit. Neq; uobis modo præteritorum laborũ recordatio insuauis eße debet, cùm iam inuidia omnis deuicta est: cùm nouella illa planta adeò latè propagines misit, ut nullus amplius Sophistis locus supersit. Cæterùm nõ tam propria ratione libelli huius lectionẽ uobis omnibus gratam fore confido, quàm Iacchini uestri, quẽ unicè diligere soletis. Ego uerò, ut de me aliquid dicam, iucundam satis uitam ago, totus Musis deditus & Apollini. Neq; enim bona corporis ualetudo, qua nihil optatius aliàs à Deo optimo mihi contigit: non amici eruditi desunt, quorum consuetudine fruar: nõ desunt quoq; qui uellicent, mordeãt: uerùm iam diu animus occalluit. Quid enim uespis & crabronibus adsuetus, culicem curet? Uale, & Sodales omnes meo nomine saluta.

LEONARDI IACCHINI MEDICI EMPORIENSIS DISPVTATIO, DE ACVTORVM MORBORVM CVRATIONE.



PROOEMIVM.



VANTVM veritatis ſtudio officiat, malos præceptores ſortiri, dudum ratione & exemplis mõſtrauit Galenus. Cùm enim ſua tempeſtate quàmplurimi eo peſtis genere laborarent, atq; inde bonis diſciplinis negocium faceſſerent: dum in his ruditatem, in alijs contumaciam, & prauitatem taxat, pro vitij ſcilicet ratione, multis in vtrunq; hominũ genus inuectus eſt. Porrò prauitatis arguebantur Sophiſtæ, quòd veritati, quæ iam in propatulo foret, obſiſterent: eamq; impudentiſsimè modis omnibus oppugnarent. Ruditatis verò ij, qui neque eam agnoſcerẽt. Hęc cùm ſcriberet Galenus, mirum eſt quàm apertè noſtræ ætatis medicos, & eos qui non multo antea deceſſerunt, noſtris oculis ſubiecerit. Adeo, vt nonnunquam nobiſcum vixiſſe eum dicas, ſiquando mores, ingeniumq;, & vitam demum omnem, verbis depingit: in eo præſertim libro, quem περὶ προγινώσκειν inſcribit. Qui namq; ex noſtris clariſsimi habiti ſunt, è quibus multi adhuc viuunt, nullis veterum, ambitione, auaritia, calliditate, malitia, fuere ſecundi. Præter cætera tamen peruicacia inſignes, & ignorantiæ ſuæ defenſores acerrimi. Nam quòd ad diſciplinas attinet, in ſophiſmatibus conſenuerant, ſpurciſsimisq; adeo authoribus addicti erãt, vt nihil ſibi in pretio foret, quod barbariem non oleret. Ariſtotelem verò, Platonem, Hippocratem, aut Galenum, ſummis quidem labijs laudabant: quòd celebres viros, ſilentio præterijſſe puderet: cæterùm ſcripta eorum, ne per ſomnium quidem viderant. Hinc deprauata diſciplinarum inſtituta, veluti per manus tradita, ad nos tandẽ peruenere. Nam quid quæſo aliud patrum diligentia comparatum eſt, quá vt pro cultis, apertisq;, inculta, & vepricoſa: pro nitidis, ſordida: pro veris, falſa, & ſuperſtitionibus plena, irreperent? Quæ tametſi nobis grauia forent, attamen ferri tantiſper poterant. Sperabamus

bamus enim: ſiquidē bonis literis (vti cœpit) fortuna arrideat, difficultates omnes, quæ à ſophiſtis imminent, vnius ætatis ſpatio finiendas. Quo magis animus erat poſt diutina diſsidia, arma deponere, ac rei euentum tacitè expectare. Cæterùm calumnias, conuitia, hoſtiles inquam, atq; indefeſſos animos, quis æquo animo ferat? Quis rurſus generoſos viros, meritis laudibus fraudari? Vt interim taceam plurimos, partim longa perſecutione deterritos, partim nouis artibus illectos, in barbarorum caſtra quotidie confugere. Quò fit, vt Reipub. literariæ intereſſe putem, vti pro virili dimicemus, ne intempeſtiuo iſto ſilentio, aut manus dare videamur, aut labefactatos quoſdam prorſus concidere ſinamus. Cęterùm vt crimine ab vno, ò lector, omnes noris quales ſint, quibuſcum nobis negotium eſt: cōgreſſus cuiuſdam meminiſſe ſtatui: vt qui vnà cum magnæ apud vulgus authoritatis viro, non pridem habitus ſit. Is iam antea eò leuitatis, ac petulantiæ proceſſerat, vt in ſpem veniret, obliterandæ Galeni gloriæ. Quare publicè cœpit conuitijs impetere, & ridiculis titulis dehoneſtare eum virum, quem (vt cæteros ſileam) magnus ille Simplicius, tribus quondam clariſsimis cognomētis inſigniuit. Nunc quidem πολυμαθέστατον, nunc φιλοπονώτατον, nonnunquam θαυμάσιον appellans: quaſi nefas foret, abſq; honorifica adiectione ipſius mentionem habere. Aſt iſte palàm Galeno obloquitur, dicaces quoſdam atq; impudentes iuuenes nactus, qui Galenum inſcitiæ, & ruditatis arguere audeant: Arabes verò ſcriptores euehāt: polliciti ſe plurima propediē edituros, à quib. Galeni gloria periclitetur. Quibus pertentatis, cùm ne vel minimum quidem profeciſſe ſe cerneret: non ſecus ac ſi furijs ageretur, apertis telis in nos, noſtraq;, irruere cœpit. Atque equidem neſcio qua ſorte factum ſit, vti me ex Galenica familia poſtremum, tunc primum è latebra exiens Scorpio, offenderet. Cùm enim hiſce diebus, ſorte quadam vnà nobilem mulierem inuiſeremus, videretq; vir alioqui ſagaciſsimus, ſummam agēdorum omnem mihi committi: cœpere tandem ea animi indicia erūpere, quæ magna vi multo anteā cohibebat. Me verò fortaſsis honeſtius erat iſthæc negligere: volui tamen aliquádo eorum mores atq; eruditionem, iactatamq; toties experientiam omnibus innoteſcere: ſimul vti Homeri conſilium ſuſciperem, qui aliquando ait:

ἄνδρ᾽ ἐπαμύνασθαι, ὅτε τὶς πρότερος χαλεπήνῃ.

Quare totius diſputationis hiſtoriam fidiſsima narratione conſcribam

PROTHESIS.

MVlier ætatis adhuc consistentis acuta febre laborabat: atq; hæc duarum tertianarũ, quæ post meridiẽ increscerẽt, formulam seruabat. Temperamento humida erat: inediam, vti asserebant, satis facilè ferens: victu tamen pleniore pauloante vsa: Octauum iam mensem grauida: viribus haud imbecillis: Tempus anni, ortus Pleiadum. Ego itaq;, vbi consedimus, capita rerum breuibus cõplexus, ita cœpi: Siquidem curatiuos scopos (vti par est) pensitemus, nulli dubium, quin morbi magnitudo, quòd ad se spectat, venæ sectionem indicet. Suadet item putredo, ætas consentit, victus qui præcessit, vnà & tempus anni, quodámodo media sunt. Id vnum dehortatur, quòd grauida sit: nẽpe virium respectu, quæ in eiusmodi corporis statu, si alimonia destituantur, facilè lapsum eunt. Neq; præripere prægnanti, fœtui ve expedit, quod maiore discrimine postmodũ sarcire cogaris. Quare satius fuerit (Galeno autore) sinere vtrũque frui parto per sanitatis tempus sanguine: cùm præsertim abundantiam tenuiore victu breui imminuere liceat: sic enim vnicuiq; indicationi fiet satis. Itaq; vsque ad morbi summum vigorem, quem ex ipsius magnitudine, & specie, & modo motus, non longè à septima futurum conijcere est: ptisanę cremore, vel pane ex aqua, si id fastidierit, alendam censuerim. Quæ etiam bis quotidie assumere longiusculum paracmastices tẽpus ægram permittit. In auxiliorum verò censu, acetũ mulsum, quod aquæ plurimum reciperet, in quo etiam apij radix mediocriter incoqueretur, propinarem. Id namque vrinaria excrementa, citra vim, proritare potest, atepidoque suo calore concreta fundere, semicruda concoquere, astricta remittere, satis valet. Quæ omnia curandis febribus sunt, vt si qua alia, opportuna. Aluum iterum, quòd astricta sit, mollissimis clismatis ducere expedit, qualia ex aqua, oleo, & melle parantur. Nam valentioribus seu ablutionibus, seu pharmacis vti, neutiquam expedire puto: tum, quia ante coctionẽ dimouere succos, noxium existit: tum quia non satis adhuc constat, quò natura vergere debeat. Sperandũ postremò, cùm symptomata non adeò minacia secum ferat morbus, neque mali moris sit, virtusque vim ipsius facilè ferre videatur, ni error accidat, in salutem finiendum.

ANTI-

ANTITHESIS.

AD hæc ipse: Quòd ad sanguinis missionē attinet (iam enim circa morbi notionem, & morem, & quæ ad corporis naturam pertinēt, inter nos conueniebat) in tuam sententiam lubens venio: verendam inquam, imò omnino omittendam. Quin potius demiror, quo pacto tibi in mentem venerit, quasi eam Hippocrates omnino non tollat, dum ait, Grauidam misso sanguine abortū pati. Cùm verò addebas, Putredinem sanguinem mitti suadere: pertrita illa sententia permotus videris, qua optimum, Galenus ait, in omni febre, quæ ex putredine est, venam incidere. Noui etenim iuniorum ingenium, quibus mos est, sententias quasdam, inexplorata authoris mente, haud sine laborātium iactura suscipere. Nam si his verbis temerè subscribas, longè errabis: quando neq; Galenus ipse id obseruat, vbi febrium curationes aggreditur. Quātò igitur melius maiores nostri, qui cuncta experientia comprobarunt, eò sententiæ peruenere, vti dicerent: Non in synochis modò, sed generatim in vnaquaq; putridarum febrium differentia salubrem esse sanguinis missionem: ne fortè tibi persuadeas, in solis synochis vtilem esse. Id vnum non omittam, cur venæ sectionis loco, vbi id facere nō aubebas, aluum non solueris, in principijs præsertim, vti docet Hippocrates. Quod sanè præceptū ita hactenus patres custodiere, vt si fortè fortuna in morborum initijs omissum sit, procedente quoque tempore censuerint non dimittendum. Cæterùm audio sciolos quosdam, è quibus tu fortè es, omnem eiusmodi imminutionem abhorrere. Verùm quòd contētiosos animos, & inuictam peruicaciam apprime norim, ad reliqua, quæ proponebantur, reuertar. Quæ igitur de victus ratione disserebas (pace tua dixerim) haud temere admittenda vidētur. Ego namq; Galenum & medicorum optimos imitatus, plurimū cōsuetudini tribuo: Ii nanque, neq; dum corpus minus valet, nec nisi per lōgum otium, vsum mutari permittūt. Quid igitur, obsecro, victum omnem suetum subitò immutasti? quantitate & qualitate, tum nutrimenti, tum potionis longè euariās. Aut quonam pacto ptisanæ succo, matrem vnà & grandiorem iam fœtum seuari posse confidis? An potius necesse erit vtrūq; deficere? Sed quid multis moror? quin potius sectamur vetustissimi Hippocratis sententiā, qui plus, grauiusq; errari ait in tenui victu, quàm in paulo pleniore. Quanquam à vini potu, quòd capitis dolore tentetur, abstinere optimum sit, ac pro eo granatorum succum propinari: quippe qui cùm iucundus sit & caput minimè tentat, & putredini, vt si quid aliud, aduersatur, vt scribit Auicēna, tum alibi, tum vbi pestilentibus febribus opem fert. Nam de

ptiſſanæ ſucco, quem tu præ cæteris ſelegiſſe videris, quid opus eſt verba facere? Mitto quòd inſuetus cibus, quòd tenuior multò quã res ipſa expoſcat, ſed quòd Galeno autore, in propoſita laborante omitti debeat. Hoc, inquam, haud leue æſtimãdum eſt, tibi præſertim, quem miror (cum te Galenicum iactes) locum hunc latuiſſe. Is igitur eo libello, quo dicato opere de ptiſſanæ præparatione, viribusque, & vſu, diſputat, apertè ijs ptiſſana interdicit, quibus aſtricta eſt aluus. Quare cùm ægra hæc nil ſponte deijciat, lædetur procuLdubio ptiſſanæ vſu. Quanto igitur melius, quanto conſultius fieret, ſi maiorum veſtigijs inhærentes, victum ita inſtituamus, vt quã minimũ à cõſuetudine abſit, euitatis duntaxat mali ſucci cibarijs? Hoc enim ęgris conducere, & ipſi longo vſu inuenere, & nos hactenus comprobauimus. Quid enim mihi exempla quæram, quaſi res ipſa teſtibus indigeat? Quaſi numerum eorum recenſere quis queat, quos maximis correptos morbis, tum ego ipſe, tum præceptores mei perſanauimus. Quos quidem interire par erat, ſiquidem letale ſit (vti dicitis) acuta laborantes, cõſuetis cibarijs enutrire. Non prætericrim, quin & de cibandi hora, quid ſentiam, exponam. Expectare enim febris inclinationem, quod tu ſuadere videris, nemo prudens laudauerit, vt quæ nimis longè abſit. Vbi itaque febris increſcere cœperit, maturandam renutritionem iudico: nec gratis fame diutius cruciandum puerulum. Ita nanq; veteribus mos fuit, vt ſi quando febris tempora protraherẽtur, principio & ſummo vigore euitatis, in ipſo incremento nutrirent. Cùm hæc, ſublata de induſtria voce, Hetruſcis verbis pronunciaſset, aſſenſiſſe quoque confidentes mulierculas, nempe puerili pietate permotas, atq; omnia iſthæc læto quodam murmure excepiſſe cognoſceret: tempus dari ratus, quo cõceptam iam antea ferrugineam bilem euomeret: turgentibus iam præ ira oculis, atq; ore ſpumanti in me laxis habenis cœpit irruere. Nam de medicamẽtis, inquit, ſi verum fateri licet, inconſideratè admodum videris potionibus apium incoxiſſe. Neque vllam vel minimam indicationem, ab eo quòd grauida ſit, tibi aſſumpſiſſe. An modò te fugit, apium cotiledonas vuluæ aperire, & abortum facere? Nam quòd mẽſes moueat, Galenus teſtatur. Auicenna verò præter hæc, malum quoq; prægnantibus eſſe ait, & comitialem inſuper morbum excitare, grauiſsimũ ſanè tenello fœtui incommodum. Quid igitur læti obſecro parentibus eueniet, ſiquidem epilepticum puerum exceperint? Porrò quàm vtile ſit apium febribus curandis, Galenũ ſciſcitare: qui libro Therapeutices viij. non minus febribus aduerſari dicit, quàm Nepetam & Origanum. Ad hæc cùm, prout tẽpus & locus exigebant, reſpondere cœpiſſem

ſermo-

ſermonem illico abrupit: atque indignabundus, ac ſi temeritati & inſcitiæ noſtræ ſuccenſeret, inauſpicatos ait ſeſe nobis ægros committere: nempe audaciſsimis viris, & qui ſibi omnia tribuāt, admiſceant, addant, auferant, temperent pro arbitrio vniuerſa, quaſi naturam rerum in manibus habeant. Quæ cum dixiſſet, vti plus inuidiæ mihi pareret, ſuiq́ue deſiderium augeret, abijt. Porrò longè aliter, atque ipſe animo conceperat, euenit: Nam paterfamiliàs vir doctus, eiuſmodi quoque belluarum genus optimè callens, curationem omnem mihi permiſit. Itaque eadem curationis ſerie ſeruata, ad ſeptimam diem ſanitati reſtituta eſt. Paucis verò diebus interiectis, valētem fœtum edidit. Ego itaque hæc abs te perpeſſus (iam enim ad te ſermonem omnem conuerto, ſenex clariſsime) tametſi vberrimè retaliare ſæpius mihi licuerit, ſtatui potius rem omnem iteri s mandare: mea intereſſe ratus, ſi quidem haud amplius mulierculis, & indocta plebe, verùm doctis viris arbitris, cauſam dicamus, ſimul vt veterem, & Galenicam diſciplinam à rabidorum canum morſibus pro virili tuear.

Quantam uim, ac quam dignitatem in curandis ægris conſuetudo obtineat. Loci præterea nonnulli ex Hippocrate & Galeno declarantur. Colligitur, per mutandam conſuetudinē, haud tamen importunè.



AGITVR diſputationis noſtræ initium diæta eſto, poſteaquā in eam multis modis inuectus es. Reprehēdis viuēdi rationē, quā præcepimus, quòd præter conſuetudinem ſit, quòd admodum tenuis, quòd cibarijs parum commodis vſus fuerim. Ego verò, vt à conſuetudine incipiam, ſicut longè ab his digredior, qui cum Theſalijs conſuetudinem negligunt: ita minus vobis conſentio, qui cæteris ferè poſthabitis, omnem victus rationem ab vſu deſumitis. Cùm verò vtrique decipiamini, pluris tamē errorē veſtrum facio, quo ſcilicet plurimi periclitantur: de qua re fortaſis aliàs latius. Nunc enim ſatis fuerit rerū capita perſtringere: è quibus haud magno negotio Hippocratis & Galeni ſententiam quiuis exploret, quorum etiam commentaria cōſulenda arbitror: atque ea præſertim, in quibus de acutorum victu accuratiſsimè diſputatum eſt. Eos ſanè diſquiſitio eadem angebat: vt qui citra controuerſiā in morbis curandis, ad inſueta ægros deducant. Nam quis quæſo

consuetum victum permutari neget, si æger ad quartam vsque vel septimã in integra inedia seruetur: vel si sola ptissana, aut ptissanæ succo, aut oximelle regatur: vel si in molli strato noctes, diesq; quiescat, exercitari suetus? Hæc igitur, atque eiusmodi ægris præcipiebant: tametsi compertum haberẽt, magnam esse cõsuetudinis potestatem. Quòd enim incommoda multa sequantur eos, qui cõsuetudinem repente permutant, longa disputatione monstrabat Hippocrates: seu cibum præter solitum capiant, siue ieiunẽt: siue insueta cibaria potionesque ingerant: seu exercitentur plus solito, aut quiescant. Necesse igitur erat, vt qui toties aduersus cõsuetudinem peccauerat, partes suas tueretur. Quod & facit ab ea libri parte, qua inquit, Pars contraria iuuanda est.) Nam licet cõsuetudinis fautor præcipuus fuerit Hippocrates: ne tamen veritas multitudine argumentorum obruatur, nodum hunc dissoluere enititur, breui sanè, vti assolet, & obscura oratione. Dixerat enim iam ãtea aduersus quosdam, qui consuetudinem ea ratione permutandam censebant, quòd magnæ illi mutationi, quæ ex sanitate in morbũ est, magnam quoque in victu permutationem opponere oporteat: Verba eiusmodi τὸ δὲ ἀμεταβάλλειν μὲν εὖ ἔχει μὴ ὀλίγον. ὀρθῶς μέντοι μεταβιβαστέον, καὶ ἡ μεταβολή. καὶ ἔκ γε τῆς μεταβολῆς ἡ προσάρσις τῶν γευμάτων ἔτι μᾶλλον. Quæ cõmodè sic vertas: Ipsum verò permutare, bona non pauca nobis affert: dum tamen permutatio rectè fiat: & ex muationinibus præcipuè, quæ in ciborum adiectione est.) Quibus docet, tempestiuè victum permutandum, præsertim si cibos adijcere est animus. Nõ multo verò postea plurima addit, è quibus satis liquet, quandonam permutatio consuetudinis necessaria sit: quando rursus, vti summum malum, euitanda. Summa verò eorum, quæ sparsim ab eo dicuntur, iuxta Galeni sententiam, ea est: Permutandam sæpe in morbis victus rationem: neque id verẽdum, modò id tempestiuè fiat. Fiet autem tempestiuè ea mutatio, siue maior, siue minor, quando in corpore quoque ægrotantis insignis aliqua mutatio facta fuerit. Hoc vno obseruato, ne repente (quantum tamen per velocem morbi motum licet) contingat. Sic enim minus sanè lædet. Quæ verò incommoda ex mutatione cõsuetudinis euenire dicebamus, omnia inde contingere ait, quod intempestiuè facta sit, priusquam scilicet status ægri permutetur. Quasi (vt Galen. infert) commodè fieri velit, cùm in alium statum corpus ducatur. Hos status exponẽs ipsemet, quaternario numero comprehendit. Primus sanorum est, è quo ad Secundum, qui laborantium ad vigorem vsque est, peruenitur: Tertius ad morbi integram solutionem terminum habet: Quartus demum conualescentium est. Manifestum igitur

2. l. id. Acut.

2. lib. Acut.

tur ex his, non esse eam consuetudinis potestatem, vt victum immutari prohibeat. Quáquam id verum sit, vt si per morbi vim concedatur, consuetis maximè sit vtendum. Suam enim vnaquæque indicatio potestatem habet: estq; solertis medici officium, validiores sectari, dum nonnihil interim & cæteris quoque satisfaciat. Neque est quod mirere Galenum tantopere in Therapeuticis libris, consuetudinem efferentẽ: adeò, vt vim ipsius maximam aliquando dicat. Iis enim nihil aliud habere voluit, quã persuadere nõ esse negligendã, neque temere omittendam. Similiter Hippocrates partes eas, quæ pro consuetudine sunt, multis argumentis tutatus est. Iam enim mos inualuerat consuetudinis omnino negligendæ: quod ex ipsi9 sanè verbis cõijcere est. Nam quod lib. Therap. viiij. Galen. ait μεγίστην καὶ κυριωτάτην vim habere eam, ὑπερβολικῶς dici putandum est: ad eos scilicet, qui nulla ipsius habita ratione, & in victu præcipiendo, & in auxilijs inuestigandis apertè à consuetis desciscebãt.

Disputatio de acutorum uictu, quod ad quantitatem, & qualitatem attinet. Comparatio item succi ad integram ptissanam: & ponderis ratio quæ conijci possit.

REprehendis rursus institutum à nobis victum, veluti plus iusto tenuem, ac si inde ægram deficere periculũ sit. Quoniam verò tuam hanc sententiã, nullis argumentis cõprobabas: si quidem autoritati tuæ Galenicam obiecero, mirũ ni vnà & criminis, & suspicionis absoluar. Hippocrate igitur & Galeno arbitris, in aream descendamus, si libet: atque ab ipsis quæramus, quanam via nihil (quod saltẽ nota dignum sit) in victu delinquamus. Respondebunt (arbitror) his verbis: Conijcere autem oportet, & fortitudinem & modum cuiusque morbi, & laborantis naturam, & viuendi morem, tam in cibis, quàm in potibus.) Quibus sanè prima illa complexus est, ad quæ respiciẽs, quàmminimum à iusto modo recedas. Cùm enim modum morbi, ait, & speciem, & motum, & morem intellexit. Per hominis verò naturam, & ætatem & temperamentum, tum naturale, tum acquisititium, sexumque, & habitudinem corporis comprehẽdit. Siquis itaque singillatim vnumquodque horum consulat, satis vereor, ne apud probos medicos, plenioris victus potius quàm tenuioris arguar. Cùm enim ætatis foret inclinanti iam proximæ, corporis habitu subpingui, vixdum exacto

Lib. 2. Acut.

Vere, cùm iterum acuto morbo premeretur, mediocriq; nutrimẽto insueuisset, foretq; paulò plenius ijs diebus nutrita, quæ sanè omnia tenuioris victus indicia sunt: cùm rursus grauida foret, atq; hinc vberiorem victum exposceret, mediocris viuẽdi modus omnium collatione colligi videtur, sed qui tenuitatẽ potius respiciat. Erit autem hic proculdubio per ptissanam. Sic enim de ea Galenus ait, in lib. 1. de acutorum victu: ἀκριβῶς τὸ μέσον τῶν ὑπερβολῶν καὶ ἄριστον. per ptissanæ, inquam, mediocrem modum: hoc est, oxibaphi mensuram, eodem autore. Neque enim id quoq; monere prætermisit, omnium bonorum nobis autor, quasi præsagiret, futurum aliquando, vt Barbarorum illuuie abolita arte, omnia confusa, atq; incerta forent. His positis, aut ni fallor, satis apertè mõstratis, nempe quòd & mediocri victu vti debuit, quodque mediocris is demũ sit, qui per ptissanæ oxibaphum: superest vt ostẽdamus, nihil in victu instituendo à nobis erratum. Posuit, vt suprà diximus, Galenus quoddam veluti exemplum mediocritatis, vtpote qui quãtitatem eam satisfacere ijs arbitraretur, qui mediocrem victum exigerent. Neque enim satis erat, si acutos morbos, aut per acutos, hoc vel illo cibarij genere nutriendos dixisset: ni & pondus, mensuramúe addidisset. Nos verò, quòd vestra diligentia, senes peritissimi, cùm alijs plurimis artis instrumentis, tum parandæ ptissanæ modo careamus, coacti semper sumus ad eius succum confugere, modum augentes, ita vt pro ptissana nobis deseruiat: melius rati leuem hunc errorem committere, quàm magno ægrorum damno ad deteriora cibaria confugere. Necessarium itaque nobis erat, vt de succo ptissanæ, itidem exẽplum aliquod apud Galenum inueniremus. Porrò ipsum aliquando memini homini ferè iam defecto succi ptissanæ cyathos tres propinasse. Quam quidem mensuræ rationem ita supputare possumus: Succi ptissanæ oxybaphum, quod melli proportione respondeat, vncias tres & dimidiam pendêre videtur: at cyathus vncias duas, duabus fermè adiectis drachmis. Quæ si vera sunt iam sorbitionis eius pondus vnciarum sex cum dimidia ferè extitisse videtur: neque inuitus crediderim, Galenum id dedita opera obseruasse. Oxibaphum enim ptissanæ sicuti duplá nutriendi vim habet, ita & mediocris modus esse dicitur, cùm tamen dimidium ferè pendat. Consequens igitur his quæ dicta sunt, circiter septimã vnciam, aut paulò infrà, eam mediocrem succi potionẽ esse. Quem modum licet nõnihil prætergressi simus, cùm neque letalẽ noxam inde ægram subituram considerem, volui aliqua ex parte morsus tuos effugere: satis gnarus, in acutis morbis, præsertim ita affecto corpore, non omnino certa esse præsagia salutis, aut necis. Hæc obiter

obiter de ptiſſanæ & ſucci,tum viribus,tum vtendi modo ſint dicta,quæ tametſi nil certi,firmiúe præſeferant:fuerint ſaltem præludia quædam,è quibus aliàs vel à nobis,ſiquando plus otij nacti erimus,vel clarioribus ingenijs,hoc quoq; medicæ artis caput illuſtretur.Nam cùm maximè neceſſarium ſit,hominum conſideratione penitus excidit,nihilque eſt quod æquè negligatur.

Locus ex Hippoc. aphoriſmis: In tenui uictu ægri delinquũt.quo diſputatur, an tenuis uictus magis periculoſus. multaq; ex ſecũdo de Acutorũ uictu explicantur.

QVod verò adiecisti, Conſilium Hippocratis tibi cordi eſſe, proinde horrere te victum tenuiorem:iam locum non habet:quando monſtratum eſt,quem inſtituimus,non modò tenuem dici non poſſe, ſed mediocritatem potius excedere. Cæterùm res ipſa dignotione digna eſt: neque in errore adeò graui ſilendum iudico.Igitur quòd Hippocratem ſuſpicias,vir præclare, conſilium laudo.Nam quo,quæſo,autore ſecurius morborum curationes aggrediaris,aut quo tutore alio calumnias æquè deuites? Sed vide, amabò, ne dum te Hippocraticũ fingis, Varignanas, aut Sauonarolas illos tuos oboleas.Meministin' obſecro, eorum quæ nuper obieci tibi, cùm ex Hippocrate locũ illum citaſſes? legiſſe (inquam) me, ex eodem autore, eiuſmodi verba: Multo minus adiectioni vacare oportet; Nam & penitus auferre ſæpe prodeſt: porrò conſulentis pleniorem vſquequaque victũ,verba ea non eſſe. Quibus auditis,nõ ſecus ac laqueo præpedita vulpecula, in eam tádem vocem prorupiſti: Num igitur contraria aliquando ſentit Hippocrates? Igitur loca hæc,quòd etiamnum multorum animos perturbant, paucis examinare eſt animus:haud profectò in tui gratiam: quippe quem multo antea noſtra faſtidire,ac ſiniſtro oculo ſpectare,non ignorem. Quanquam id mihi omen haudquaquam infauſtum exiſtimandum ſit.Nam te iamdudum (vti ex multis conijcere eſt) γνίπτα κακῶς ἔχει. meque interim Poeta ſolatur cum ait, ὁ φθόνος γὰρ ἕρπει εἰς τοὺς ἔχοντας. Quantitatem igitur nutrimenti, quam tutò ægro offeras, artificij quadam coniectura eſt aſſequi, quod etiam paulò antè dicebamus. Antiqui tutò nutries, ſi à recta viuendi formula quàm minimum diſtes. Quam etiam adeò diligenter obſeruandam voluit Hippocrates, vt ex ea vna omnem ferè ſaluandi

Lib. 2. Acut. 20.

Lib. 1. Acut.

Lib.2. Acut. ægri ſpem pendere iudicet. Cæterùm coniecturam eam aſſequi (inquit Galen.) non vnicuique eſt, æquè facile, ſed ſpectatis tantummodo viris, & qui natura prudentes cum ſint, in ea arte probè exercitati fuerint. His inquam, quibus non luxus, non laqueata domorũ tecta, non ingẽtia prædia cordi ſunt: ſed vetuſtiſsimæ, & ſanctiſsimæ artis decus, Galeniq́ue, atque Hippocratis, quibus ducibus effulſit, inclyta memoria. Cùm igitur eiuſmodi viros monſtraſſe haud facile ſit, ægrorum pericula miſerati, ambo verba ea adiecere, quæ tibi modò propoſui. Quæ etiam ad eos ſcripta eſſe Galenus voluit, qui parum felici ingenio exiſtunt. Iis itaque ſtudẽdum ait, vti in nutriẽdis ægris, ſiquid per imprudentiã peccatur, ad parcitatem potius attineat: quòd ſcilicet longa obſeruatione compertum habeant, exuperãtias parere nonnunquam noxas inemendabiles: Contrà, ſi qua noxa ex parciore victu ſubeat, facilè emendari. Nam cùm primum dilabi vires cenſeris, cibi exiguum offerens, ægrum reſtitues. Hæc conſulit Galen. Quod etiam aliquando opere monſtratum, ſcriptis mandauit. Cùm enim ſqualens ille, qui Theſſaliorum inſcitia eò deductus erat, vt vix oculos attolleret: non dubitauit tamen abſque cibo eò imbecillitatis deducere, vti velut lignum iaceret, ac vix impellentem ſentiret: quòd certus foret, poſſe ſe, cùm libuiſſet, paruo negotio noxam omnem tollere. Alibi itaque Læſio (inquit) quæ ex inedia, neque adeò velox eſt, neque ita euidens, ſicuti quæ ex cibo.) Cæterùm vti omnibus animo inhæreant quæ diximus, non ab re fuerit, noxas recenſere, quas ex pleniore victu euenire ipſimet prodiderunt. Si dolor magnus & continuus (inquit Hippocrates) hominẽ habet, & ſputum glutinoſum, ni quis dolorem vel ſecta vena, vel alui ſubductione ſoluerit, ptiſſanam autem dederit, præcipitem aget in mortem.) Quod verò de ptiſſana ait, nemo dubitarit, de alijs quòque edulijs intelligi debere, quæ ptiſſana grauiora ſunt. Noxas igitur letales, minus commoda nutritio efficit. Multos namque ægros reperiri, Galenus ait, quos ſi a b initio nutrias, ante quartum præfocabis. Nonne vides Philonis filiam, cùm benefico morbo laboraret, quòd intempeſtiuè cœnauerat, perijſſe? Cùm igitur tot, tãtaq; immineant, ſiquando in grauiore morbo pleniore victu, quàm par erat, vtamur: conſultè admodum ſuadẽt viri probatiſsimi, vbi quod adamuſsim conueniat, coniectaſſe non licet, ad tenuẽ victum declinare: eius namque noxas facilè emendari. Quin & princips medicorum Auicenna, vt hinc tandem παλινῳδίαν canere incipiam, ſententiã hanc ſcitiſsimè vti ſolet, explicauit his verbis: Cùm ignoras morbi naturã, tenuiore victu vtitor. Quo loco ita metam optimi interpretis attigit,

Marginal notes: Lib.2. Acut. — Lib.2. — Lib.10. Ther. — Lib.2. Acut. — Lib.1. Acut. — Lib.1. Acut. — 3.Epid.

git, vt multis potius errandi extiterit occasio: è quibus nimirum & vos senes estis, vti mox monstrabimus. Cùm igitur Hippocratis & Galeni hæc proculdubio més sit, superest vt monstremus, non ad-
» uersari his, quæ in libro Aphorismorum primo scripta sunt: In te-
» nui (inquit) victu ægri delinquunt, ideò magis lædũtur. Quòd autem magis lædantur, in causa esse ait, errores grauius ferri: quocirca sententiam omnem claudens ait: Ob hoc igitur tenuis victus, atque admodum exquisitus, eo qui paulo plenior, magis vt in pluribus periculosus. Primum itaq; memoria teneri velim, librũ Aphorismorum, rerum tantummodo capita colligere, quæ alibi demonstrata sunt. Quamobrem obscuriora sæpius existunt, ni quis loca, vnde sententiæ illæ acceptæ sunt, ob oculos proponat: quod & hac parte contigit. Igitur Hippocratis tempestate peccabant tum ægri ipsi, tum medici, circa victus rationem, vt ex secũdo de Acutis accipere est, quòd intempestiuè inediam imperarent: aut rursus intempestiuè nutrirent. Nam cùm morbi ratione detrahere oporteret, adijcere cogebantur: vtpote qui intẽpestiuè detraxerant. Sic Thessalij primis diebus corpora fame siccabant: postmodum Terap.10.
aduẽtante iam statu, in quo ad tenuitatem vergere oportuit, ad victum pleniorem transire cogebantur. Atque vtinam nostra tempestate non adforent Diatritarij quamplurimi: tuq; in primis, qui tanta tibi tribuis, eiusmodi calumniam effugeres. Sed ad errores de quibus in Aphorismo scribitur, reuertor: Quidam per morbi acuti initia (verba sunt ex libro secũdo de Acutis) comederunt: alij quidem eodem die, quo laborare cœperunt, alij postero: atque alij quidem quod forte obuium fuit: alij verò Ciceonem sorpserũt. Sanè hæc omnia deteriora sunt, quàm si altero modo quis victum institueret. Cæterùm quæ tunc temporis peccantur, minus multo lędunt, quàm si quis primis duobus vel tribus dieb9 vasa integrè inaniuerit: mox quarto vel quinto victum eiusmodi instituat.) Hoc est, priusquá morbus maturus reddatur. Inde enim quarti & quinti meminit, quòd status in valde acutis ad eos dies perueniat. Meminit quoque de his erroribus eodem libro, vbi ait: Medicos autem video contraria è diametro facere his, quæ oportet. Omnes enim vno ore iubent, in morborum initijs per duos, aut tres dies, aut etiam plures inedia siccare languentes: demum sorbitiones potusque præbere.) Et rursus: Sunt igitur hæc magna alioqui testimonia, quòd non rectè victus rationem laborantib. medici instituant. Sed in quibus ægris inanire vasa non expedit, quòd sorbitionibus regi oporteret, vasa inaniunt: in quibus verò non oportet ex vasorũ inanitione ad sorbitiones transire, in his transeunt.) Iam igitur ma-

nifesti sunt errores, quos commiti vidit Hippocrates sua tempestate: qui iterũ Galeni ætate per Diatritarios, Thessalo duce, inuecti sunt. Nec minus rursum apud nos reuixere: quod vnusquisque videt. Nemo enim vestrum est, qui ad vasorum inanitiones, atque ad pleniorem victum ægros quotidie intempestiuè non deducat. sed de his nonnulla aliâs. Cùm igitur visum sit, quomodo in tenui victu ægri peccẽt, quòd scilicet ipsum intempestiuè assumãt: vidẽdum modò eodem autore, quo pacto error hic multò deterior existat, quàm si in pleniore victu sit erratum: atque eò sit grauior, quò tenuior fuerit. Nam melius (inquit ille) esse affirmo statim sorbitiones propinare cœpisse, quá vbi prius venas inanieris: postmodum, tertio, quarto, quinto, sexto, vel septimo.) Comparare sanè volens errata in victu, ac docere, deterius esse: siquidem intempestiuè à tenuiore victu ad plenioré te transferas, quàm si è pleniore in tenuiorem commutatio fieret. Et alibi: Multiplex in ventre læsio fit, quando ex multa inanitione repente plus iusto aliquis offerat: estque noxa multo maior, quàm si ex pleniore victu, ad vasorum inanitionem perduceres.) Rursus: Ingens malum est, si quis ægro ob dolorem, aut morbi acumen imbecillo, potum, aut sorbitionem plurimam, aliudúe esculẽtum propinarit, ob vasorum inanitionem imbecillum factum esse arbitratus. Turpe quoq; est, non aduertere eum, qui ob vasorum inanitionem laboret, atque inde victus genere affligere. Hoc enim erratum periculi nonnihil affert: sed longè minus altero.) Cùm igitur in victu instituendo erretur, & quod intempestiuè inedia præcipiatur, & quia intempestiuè renutritur æger: prior tamẽ error damnum longè maius pariet. Iam enim apertum est, quo magis statum versus peruenitur. eo tenuis victitandum. Hæc itaque sunt, è quibus Aphorismum collegisse videtur Hippoc. quẽ nimirũ oportunè adiecit. Nam cùm paulò antè dixisset, tenuem victum in acutis, in quibus non conuenit grauem esse: extremè verò tenuem omnino grauem, crederet non immeritò quispiam, victum admodum tenuem, ab eo prohiberi: nõ aduertens eum ipsum interim scribere, Extremis morbis exquisitè extremas curationes cõuenire.) Et rursus, Vbi morbus valde acutus est, tenuissimo victu vtendum. Præcipere etiam, Vti nonnunquam ab omni prorsus cibo abstineamus.) Quare opportunè profectò adiecit, qua ratione victus tenuis ægros offendat. Quoniam (inquit) in victu tenui errant.) Error autem est, dum eiusmodi victus formulam cibi intempestiuè deligunt: quare magno post modum detrimento ad cibos traduci cogũtur. Atque hos errores grauissimos esse dicebamus, eò maximè, quòd circa statum commit-

tun-

2. lib. Acut.

Ibidem.

Lib. Apho. 1.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

tuntur. Rectè igitur in calce totius Aphorismi colligit, victu exquisitè tenuem, plurimum minus tutum, quàm paulò pleniorem. Si enim rari morbi sunt, in quibus citra periculum tenuissimum victũ instituas: erit nimirum vt plurimũ periculosior. Quare quanquam victus tenuis nonnunquam ex vsu sit: nonnunqam & ipse exquisitè tenuis, quamuis rarius: attamen nemo temere hæc in morbis audeat: verùm diligenter perpendat, nunquid ad vigorem vsq; cum eo victu æger perdurare possit: aliàs grauissimè peccabimus, in statu cibum dare coacti, cùm præsertim ex inedia vires collapsæ fuerint. Hæc sunt, quorum commonefacere voluit suæ ætatis medicos Hippocrates: pericula sanè mõstrans, que instant: ni quis & in quibus conueniat, & quo tempore conueniat, diligenter præmeditetur. Dubitabit fortasse aliquis contrària scribere Hippocratem suspicatus: Nam secũdo de victu acutorum, periculum ægro minatur, si in morbis nonnullis paulò plenior diæta instituatur. Rursus in Aphorismis, securiorem asserit victum paulò plenioré. Iterum eodem libro, noxam quæ ex parciore victu, corrigit facilè, scribit Galenus: ibi verò grauius errari aiunt, in tenui victu. Quòd si noxa quę ex parciore victu, circa statum sentiatur, cogeris vires cibo reficere: quod sanè graue damnũ paulò antè iudicabant. Ad hæc in hunc modum fiet satis. Victus tenuissimus nonnunquam necessarius, sed rari us: ideò raro periculo non vacat. At si interim cum victu vtendum tenuissimo est, victum vberiorem quis paret, noxas maximas perpetrabit. Sicuti verò tenuissimus victus, quòd raro periculo vacet, non nisi præmeditatè instituẽdus: ita si quando medio cri quopiam victus genere sit vtẽdum, neque exactam illam viuendi formulam quis satis norit, minus profectò peccabit, si à mediocritate in parcitatem inclinet. Quæ verò secundo obijciebantur, facile diluuntur. In aphorismo enim de victu tum tenui, tum tenuissimo intelligunt, quem toto morbi tempore, ad statum vsque instituunt. At libro secundo de acutis, Siquando, inquit, in eo victu, qui (exempli gratia) tenuis rectè præcipitur, paulisper ad id, quod tenuius est, te cõuertas: facilè si qua noxa subeat, emendatur, cùm primùm vires dilabi senseris.

Lib. 1. Aphor.

Acut. 2.

1. Aphor.

Locus ex Libello de ptiſſana: ſimulq́; eius uires. Comparatio iterum ipſius ad cætera edulia, & ad alicam priuatim: de qua nonnulla obiter.

SVpereſt vt de ptiſſana nonnulla dicamus, quam improbabas, quòd inſueta eſt: quodq́;, vbi aſtricta aluus ſit, nocere poſsit: cui rei Galenum teſtem affers. O igitur exercitatum ſenem (nam à poſtremo hoc cœpiſſe iuuat) ò naturæ peritum. Vidésne, amabo, quãta euentus differentia ſit, quamuis iiſdem præceptoribus vſi ſint, atque iiſdem lectionibus verſati? Quid veteres autores euoluiſſe iuuat, male affectas mẽtes? An potius plus damni, quàm lucri exportabitis? Sic enim conſueuiſtis, vt ſuboſcuras vel vitio interpretis, vel præ breuitate, ſententias exquiratis: quo claros viros peruicaciæ veſtræ, & mendacij teſtes aſciſcatis. Attamen decuit philoſophos, nullo etiamdum præmonſtrante, probè noſſe, ptiſſanam omni aſtrictione carere, deterſoria vi præditam facilè deſcendere. Hoc tamen ſi libet, Hippocratis quoq; & Galeni autoritate comprobabo, qui ptiſſanam lubricisſimam, vi deterſoria præditam, atque in acutis morbis ſaluberrimam ſcripſere. Quibus ſanè dotibus cremorem aiũt integræ ptiſſanæ præſtare. Si igitur aſtrictam aluum tantùm abeſt vt ptiſſana lædat, quin potius iuuet, ac leniat, vidẽdum quid ſibi Galenus eo loco voluerit. Fecerat ſibi (vt arbitror) ſiue Galenus, ſiue alius Galeni nomine, εἰς ἀνάμνησιν comentariolum, quo breui capita eorũ, quæ de ptiſſana ſcripſerat Hippocrates, complecteretur: nõ qui ad editionem exornatus foret. Scripſerat igitur antiquus autor primo de Victu, in hunc modum: Quibus cibus ſtatim incluſus eſt, ſiquis non vacuato eo, ſorbitionem dederit, dolorem ſi adeſt, augebit.) Paucis deinde interiectis: Si quem, inquit, nuper cibatum, ita vt nondum aluus deiecerit, febris prehendat, à ſorbitione tantiſper abſtinendum, donec ad infernas inteſtinorum partes cibum deſcendiſſe conieceris.) Quibus nimirum nos monere voluit, cibum haud tutò offerri (præſertim in acutis morbis) ni ſumma aluus aut ſpõte, aut medici ope vacua reddatur. Quòd ſi valde acuti morbi fuerint, non modò vẽtris vacuationem præire cibationem præcipit, ſed & generoſa omnia præſidia, ſiquo morbum egere iudicas. Ait enim: Si lateris dolor continuè angit, & ad calfactoriorum vſum non remittitur, neque ſputum procedit: ſed extremè viſcidum eſt, & incoctum: ni quis dolorem vel ſecta vena, vel alui ſubductione ſoluerit, ptiſſanam autem ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem.) Rurſus pau-

1. de Aict. Acut.

lò antè: Qui ptiſſana vtetur, ab vſu eius non deſiſtat: ni vel ob medicamentum, cliſmaúe deſiſtere oporteat. Quod autem de ptiſſana ibi ait, de omni quoque edulio dictum eſſe Galenus credidit. Accidunt (inquit) hæc non modò ſi quis ptiſſana intempeſtiuè vtatur, ſed multo magis, ſiquid ptiſſana deterius ederint, vel biberint.) Quòd verò liber ille de Acutis, tantummodo loqueretur: ideò de ptiſſana præter cætera meminit. Quare ſi his qui nil ſponte deijciunt, ptiſſana interdicit, ieiunare eos perpetuò oportuit: ab alio nanq; cibarij genere offendentur magis. Qui enim pane aut alica nutriunt, ptiſſanæ beneficijs carent: è quibus illud profectò maximum, quod ὀλισθηρότατον ſit, facileque deſcendat, atque vnà biliosa excrementa, mediocremque pituitam detergat. Hæc alica efficere nequit vt pote quę viſciditate meatibus inhæreat, tardeque deſcendat. Itaque experimento cõprobatur, vim emplaſticam, potius quàm deterſoriam ſibi ineſſe. Iam enim confectionem ipſius, & vſum ſatis edocti ſumus: notaque eſt bigrana illa Zæa ex qua conficitur: eamque pridem Petro Victorio viro de literis optimè merito, mihique chariſsimo, non ſine ipſius voluptate, monſtraui. Cæterùm de his plura fortaſſe, quàm par erat.

Aſtrigentia febricitantibus inimica eſſe, falſóq; dici putredinem perſanare. Rurſus de acidis, & eorum natura: quo loco de aceti uſu, uiribusq; nõnulla. Demum de peſtilenti febre, quantumq; in eius curatione iuniores decipiantur. Loci nonnulli tum ex libro de natura humana: tum ex eo, qui de optima corporis conſtitutione eſt, explicantur. Quædam etiam ex lib. Therap. xi. & libro de Febrium differentijs, obiter declarantur.

IGitur in cenſum veniant modò, quæ tu quaſi vtiliſsima proponebas. Laudabas granatorum ſuccum, quòd natura refrigerans, quòd caput minimè tentet, quòd ſanandæ putredini idoneum: quam ſententiam Auicennæ autoritate cõfirmabas. Porrò ad adeò grandem, atque adeò vulgatum errorem quis cõniueat? Iam enim non eò duntaxat deuenere medici, vti accidia offerant: ſed ea quoq;, quæ non leuem acerbitatem obtinẽt, quale omphacium, & Me-

dica mala, & multa prunorum genera. Attamen in eo libro quem
paulò antè versabamus, ea quæ exasperant, Galenus febribus no-
1. Acut. cere ait: ea sunt acria, acida, astringentia: neq; quempiam astringẽ-
te vti cibo, ni vel symptoma, quod animi deliquium afferat, vel im-
moderatum alui profluuium vrgeat. Esto igitur consilium auto-
ris ignobilitate apud vos nullius pretij: at demonstrationum robur
nullus contemnet. Quæ (inquit) astringunt, corpora densant, vias-
Ibidem. que & alimenti, & distributionis, & transpirationis occludũt, quas
reserari oportuit. Porrò si quando ad inhibẽdum animi deliquium
10.Therap. astringente alimento vtatur: vt si in acutis morbis bilis fluxione, os
ventris affligitur, scire licet, medicum tantisper aduersum sympto-
ma pugnare, sicuti nonnunquam calida vina propinat, quò aduen-
tanti iam syncopę occurrat. Cæterùm vetus dubitatio est, ob quam
12.Therap. plurimi eò sententiæ deuenere, vti crederent, putredinem vniuer-
sam, priuatim verò quam pestilentem appellant, frigidis, siccisque
persanari: acidos, acerbosque succos, atque omnino astringentes,
in eum vsum comparantes. Sunt qui poma ipsa esui præbeant, atq;
eò à mortis periculo securiores putent, quo quis plura ingesserit.
Atqui nullius horũ pœnituisse vnquam sese, sacrosanctè iurãt. Nam
quid quæso (aiunt) æquè putredinem tollere potest, ac frigidum
sicco iunctum? vtpote quæ calido, atque humido, præcipuè gliscat.
Rursus acetum, febricitantibus magno vsui esse videtur, nullusque
ex veteribus eo non vtitur: quare neque itidem acidos succos pro-
hibere oportuit. Quod enim de astrictione febribus aduersissima
obijciebas, in acidis nimirum locum non habet. tantum enim abest
vti astringant, vt dissecare, atque altè penetrare posint. Quibus vt
3.Micro- fiat satis, sanandæ putredinis scopos paulisper cõsiderare est opus.
technes. Sunt igitur ij, vacuatio, & concoctio. Nam cùm humores putrescũt,
Aphor.lib. multos corruptionis modos adinuenire est: Primus eorum, quæ il-
2. lò corruptionis peruenere, vt corrigi vllo pacto nequeant: atque ea
omnino abijcere expedit. Facit id natura sponte sua, effluxu sensili:
vel insensili: diductis nimirum impedimentis corpus expurgans.
Cui sanè operi & medicum fauere oportet, tum vias reserãdo, tum
proritando, siquidem proprij muneris obliuiscatur. Ideo ab initio
1.ad Glau. tertianarum febrium, apium potionibus Galenus incoquit. Ven-
tris iterum deiectionem, vomitumque proritat, quoquò versus na-
tura vergat. Sunt secundo loco succi, qui adeò vitiati sunt, vt prõp-
tisimè putrescant: Neque eò deduci ab innato calore queunt, vt
alimento esse posint. At possunt interim naturæ prouidentia plu-
rimum prauitatis exuere, reddique mitiores, quò impellenti natu-
ręobsequantur. Quod si quid adhuc minus vitij admisit, poterit vbi
malitia

malitia euicta fuerit, alimēto esse. Fauemus huic naturæ operi, cùm probi succi cibos offerimus, cùm putredo calori obuiá imus, cùm corpus vndequaque perfluum, & perspirabile reddimus. Inde enim qui innatus est, vires assumit. Hec omnia abunde xj. Therap. tradita sunt. Vsus verò astringentium in hisce naturæ operibus eatenus opem ferre potest, vt potius impediat. Primùm enim vacuationes omnes remorantur: Dehinc meatus seu sensiles, seu insensiles, qui tota carne cuteque funduntnr, conniuere faciunt: demum concoctionem qua ratione iuuabit, quod calorem innatum non fouet, quinimò qualitatibus aduersum est? Humida enim nō squalés innati calidi natura est. Acerba igitur, & omnino quæcunque astrictoria vi prædita sunt (in quo sanè genere austera comprehendimus) febribus, præcipuè putridis, inimica esse putandum: quáto magis vbi non putredo solùm, sed pestilens putredo inuasit? De accidi verò natura meritò dubitatur, quòd vis eius sit penetrare, & dissecare corpora: est enim ipsius consistentia tenuis. Insuper non rectè videtur acidum exasperantibus adnumerari. Nam quod exasperat, omnino astringit & densat. Itaque sensus quoque monstrat acerba & austera, linguam exasperare, non acida. Dicendum acidi saporis naturam frigido constare. Frigidum verò Aristoteles συνάγοντα καὶ συγκρίνοντα appellat. Amplius, fructus (quòd sciam) omnes, quos acidos dicimus, satis apertam præ se ferunt acerbitatis, aut austeritatis notam: neque id præter rationem: ex acerbo enim aut austero, nuper prodijt acidus sapor, dilutione quadam (quanquam & corruptione prouenire soleat aliquando) id in omphacio pręcipuè, non parum quoque in granatorum succo reperire est. Quòd & Galenus testatur, qui vniuersim astringente vi participare ea ait, quanquam minus cæteris dulcia. Demum tantam habet cum austero & acerbo cognationem acidus sapor, vt vix vnquam ab ijs absolui reperias. Neque audet Galenus in censu plantarum adeò numeroso, aliud quàm oxilapathum, & oxalida pro exemplo proponere. Quanquàm si verum fateri velimus, neque oxilapathū ipsum omnino acerbitate careat. Est autem alia omnino planta, ab ea quàm oxilapathi nomine Dioscorides descripsit, nemora & vmbrosa, amans caule sesquicubitum alto, folijs quatuor aut sex in terra sparsis Arisaro similibus: Sapore verò cæterisque notis oxalida, quam acetosam vocant, imitatur. Quod verò obijcitur, non exasperare acida, verùm fortasse fuerit, siquidem merè acida sint, neque aliam qualitatem immistam habeant: quáquam nec si quoque id vitij omnino effugiunt. Quæ enim densant, coguntque corpora, statim & exasperát: quanquam non æquè, ac ea, quæ sui craf-

2. de Vict. Acut.

Ibidem.

Meteor.

4. de Simp. medi.

Ibidem.

Lib. 11. de Simp.

ſitudine inæqualem quandam aſtrictionem efficiunt, neque altè penetrãt, cuiuſmodi acerba ſunt, & auſtera. Tametſi penetrare quoque, nulli ex frigidis nota dignum adeſt, aceto excepto. Quamobrem inter acida, acetum minus obeſt cæteris. Neque ipſum quoque noxa vacat ob acritudinẽ, quam ſibi aſciuit. Quocirca ſuadet Galenus oximelite ſolo vtendum, quòd ſcilicet aceti mordacitas mellis lenitate obducta perdometur. Quòd verò Auicennæ teſtimonio partes tuas tueris: miſsis primùm multis quæ in capite de febribus cenſura digna forent, id vnum ſolummodo attingam, quod maximè ad nos pertineat: Num ſcilicet in curatione peſtilentium febrium aſtrictorijs vtendum ſit. Hoc enim velut omnibus ratum tibi ſumpſiſſe videris. Præcipuè ob ratiocinationem eam, quæ de putredine vniuerſim monſtrabat: ſiccantia inquam & refrigerantia, putredini aduerſa eſſe. Huic quoque Galenus fauere videtur, qui in grandi illa peſtilentia, glebæ Armeniæ potũ apprimè ſalubrẽ fuiſſe affirmat. Eſt autem ea frigida ſiccaq;, ſicuti & terra omnis: proinde & aſtringẽs. Præterea in libro de humana natura præcipit Hippocrates, vt in peſtilenti conſtitutione corpus quàm ſolidiſsimum pares, vtq; minimum aeris admitat: ita enim minus ambiente lædetur. His adde Galeni autoritatem, qui in libro de Optima corporis conſtitutione, eos dicit, ingruentibus extrinſecis malis, plus eſſe obnoxios, qui habitu corporis rariore fuerint. Sũt autem eius verba eiuſmodi: ἔμπαλιν δὲ τοῖς ἔξωθεν αἰτίοις ἅπασιν τὸ μὲν ἀραιότερον εὐαλωτότερον, τὸ δὲ πυκνότερον δυσπαθέστερον. Quare ſatius fuerit in peſtilẽti aere verſantibus corpus dẽſare, quàm rarefacere. Primùm igitur ratiocinationẽ eam, quæ à natura putredinis deſumitur, diluamus. Quòd itaque frigida, ſiccaque corpora minus putreſcãt, nulli dubium. Quare quæ extra animalis corpus in libero aere Boreæ exponuntur, diu putredinem non ſentiunt. At in animalis corpore, quî fieri queat, vt admotis aſtringentibus incolumes permaneant? Ita enim traſpirant minus. Igitur putredinem potius accerſunt, quàm poſsint repellere. Quamobrem neque in præuiſione locum habent frigida ſiccaq;: ſiue extrinſecus corpori admoueantur, ſeu intrò aſſumantur. Neque iterum putrida corrigunt: nam hæc à corpore abijci oportet: modô illa potius remorantur & cohibent, vti dicebamus. Non igitur eo exemplo, quod Galenus vndecimo Therap. poſuit, corpora Boreæ exponere ſuademur, & omnino frigidis, ſiccisque vti. Quinimo abiecto eo, quod in corpore computruit, concoctionem reliqui procurare. hoc autem facimus maximè cùm tranſpirationem molimur, qua ſanè calor innatus gliſcit, & fouetur. Quòd ſi libero aeri animalis ſuccos exponere liceret, iam tũ frigi-

1. Vict. Acut.

ap. de terra lemnia.

frigido, à putredine præseruarentur. Gleba verò Armenia, tãquam siccum medicamentum, ad multa vtilis est: neque mirum si siccitatis etiam ratione ad febres pestilẽtes vtilem sentiunt: omnino enim quæ putrescunt siccari postulant. Aut potius latente sua vi venenatæ illi putredini occursat. Quòd verò refrigeret, aut astringat, neq; sensus monstrat, nec Galenus scribit. Locum verò ex Hippocrate in libro de Humana natura, dum ambiguitates temere euitant, interpretes corruperũt. Disserebat ea parte de morborum origine, atque alios ex victus ratione: alios ex ambiẽte nos aere produci scripserat, cùm modũ præscribit, quo sese vnusquisq; à vulgaribus morbis tueatur, his verbis: Corpus autem vt minimè turgeat, sitq; maximê imbecillum, curare. Quæ verba cùm suspecta forent (neque enim animo concipere poterant, quid ad salutem conferret, Corpus reddi imbecillum) pro verbo illo ἀσθενέστατον, legit prior interpres στεγνότατον, transfertque, Quàm solidissimum. Rursus posterior, cùm de aere, qui inspiratur, sermonem faceret autor, Studẽdum inquit, vt quàm minimũ aeris inspirent, eumq; peregrinissimum.) dictione cõmutata, ἀξεινοτάτῳ legit, Quàm familiarissimum, interpretatus. Tanta potest hominum audacia. Res igitur sic se habet: Præcipit Hippocrates, Inedia corpus siccari: moderatè tamen, & quantum per sanitatem licet. Ita enim verba audire oportet, aliâs insalubre præceptum foret. Quod autem dicit maximè imbecille, intelligit iuxta eandem intelligentiã, vti calor & sanguis non abundent, sed plus solito imminuãtur· Quod tamen κατ' ὀλίγον fieri vult, ne corpus ægrotet. Solent enim repentinæ illæ mutationes noxas parere non modicas. Si enim (inquit) tali habitu reddatur, aeris inspiratione minus egebit. Aerem verò maximè natura alienũ, & peregrinum vult eligi: locum, in quo morbi vigent, permutari consulens, vtque ad salubriorem aerem te cõferas. Quod verò postremò ex libro de Optima corporis cõstitutione obijciebatur, minus nos perturbat: quinimo perpetuò verum est, quod infert, Corpora, inquam, ea optimè degere, quibus in raritate, & densitate mediocris est habitus. Porrò si eum rariorẽ reddideris, extrinsecis occursantibus feceris obnoxium: calori, inquam, & frigori, alijsque qualitatibus, quæ sensum latent. Sin densiorem, putredinis periculum instat. Si igitur morbos præcauere est animus, iam habitus corporis ita conformandus erit, vt modicè in raritate & densitate se habeat. Ita enim non adeo ambientis prauitate tentabitur. Quòd si qua putredo subeat (neque enim inspirationem infesti aeris in pestilenti statu omnino effugere licet) quod optimè transpiret, non ita vehemens fuerit: facileq;, si quid corruptum est, tam sensili, quàm insen-

sili effluuio absumetur. Atque hoc est quod in libro de Febrium differentijs ait, Officium medici, pestilentes febres præcauentis, esse ἀπέριττον καὶ εὔπνουν μάλιστα τὸ σῶμα efficere. quibus si addas ex libro de Humana natura: Studẽdum vt quàm minimum earis, eumque quantum fieri potest peregrinum, inspiret, optimam profectò præcautionem ad pestilentes febres institues.

Qua hora cibare ægros opportunũ sit, tum in acutis tũ in longis. Errare etiam qui increscente febre ægros nutriunt. Neq; ullam esse adeò longã accessionem in qua nutrire cogaris: idq; in omni natura. Postremò de grauidarum uictu disputatur.

SEd iam tempus admonet, vt de hora offerendi cibi nonnulla dicamus. Neque enim te modò, verùm & quos hactenus noui, omnes (exceptis Academiæ alumnis) grauiter errare scio. Id est, quòd si quando febris inclinationem, paulò serius fore conijcitis, veriti ne dum mitior hora expactatur, interim æger deficiat, increscẽte calore cibatis: satis superq; factum arbitrati, si principij & vigoris noxa euitetur. At magnus ille Hippocrates prorsus

1. de Vict. Acut. contraria docuit: Tempus, inquit, offerendi alimenti plurimi faciendum, præcipuè in acutis: quoniam errores in ijs periculum afferant: eorum nãque vi multi necantur.) Porrò homo ille cuius nomen primo Epidem. subticet, mortem obisse Galenus iudicat, quoniam negligẽtius cœnauerat. Iterũ libro iiij. de Acutis: Artis quæ victum instituit maximè interest, intentiones & remissiones febrium captare & obseruare, tum in acutis morbis, tũ in longis: vt tempora in quibus cibum dare non licet, caueamus.) Quænam igitur, inquies, opportuna hora est acuta febre laborantibus? An cùm ca-

lib. 1. & 2. de Acut. lor ad pedes descenderit: Cùm, inquam, pectus, & venter, & omnino quæ in medio corpore sita sunt (quatenus febricitanti licet)

lib. 1. Acutorum. moderatissimè se habẽt. Neq; ergo in febrium initijs, neq; in incrementis cibandum: idque optima ratione. Is enim qui tunc viget calor non modò concoquere natus non est, verùm putrefacere potius, atque exurere: Est enim bene temperatus humidusq; concoquens calor. Quòd si quando apud Galenum legeris, febrilem ca-

1. Aph. 4. Aph. & 5. lorem concoquere, κατὰ μεταφορὰν dictum esse scito. Quis igitur adeò demens fuerit, vt eo euincente, cibum offerat? præsertim cùm circum præcordia debacchatur. hæc ferè Galenus: quibus mõstra-

tur

tur incrementi horam æquè cum vigore ipso pertimescédam. Cæterùm præter hæc, apertè inclinationem febris expectandam, voluit Hippocrates lib. 1. cùm ait: Tempus sorbitionis esse, cum calor ad pedes descenderit.) Et rursus lib. 4. vbi aliam quoque inclinationis notam adiecit, dicens. Vbi omnia quiescunt:) nam si alio tempore dederis, pernitiosa erit. Galenus quoque In acutis, inquit, Ob imminẽtis nouæ accessionis discrimen, sat fuerit obseruasse, vt Lib. 6.
calor in pedes descenderit) Sic enim interpretor κατα λαβεῖν τὴν θερμὴν εἰς τοὺς πόδας At in longioribus melior remissionis pars expectanda est.) Instát aduersarij, ac durum videri aiunt, siquádo quies aut inclinatio nimis longè absit, renutritionem eousq; differre. Acut. ;
Pone enim prima hora æquinoctiali prehendere, inclinare vesperi, & vix nocte media cessare: quis, quæso, adeo audax in hanc vsque horam ieiunium seruet? Quòd si pluribus diebus ita facere cogaris, quòd si grauidam cures, aut alia ratione minus validam, non modò audax facinus, sed extremę dementiæ fuerit. Dicimus, magni referre, in quo quis morbo, quàue in natura versetur: ita vt nonnũquam lib. 10. Ther.
longiorem abstinentiam vereamur: aliàs ne tridui quidem inedia 1. de Vict.
nos deterrebit. Nonne Galenus quosdam vigente adhuc febre nu- Acut
triendos censet? ne scilicet longiore inedia in syncopem, aut torri- 10. Ther.
dum marasmum dilaberentur. talis profectò erat eius tẽperamenti natura, vt id suspicandum foret. Ipse quoque febricitanti qui syn- 12. Ther.
cope periclitabatur, panem ex vino exhibet: non, inquit, quò affectum curemus, sed quò imminens periculum euitemus: huc enim morbi species impellebat. De indicatione verò quæ à consuetudine, exemplum positum non reperi. Neque enim tanta eius vis est, vt pręuertere tempus opportunum nos cogat. Quanquam ipsius quoque, vbi reliquis scopis nõ est locus, velut in synocha, ratio ha- 11. Ther.
benda est. Verùm has raro inuenire est: quo fit, vt vniuersale illud 3. de Crisi. 4. de Vict.
præceptum non vitiet: In accessionum initijs atque incremẽtis ad- Acut.
modum lædere cibus potest. Si quádo enim ex primo virtutis sco- Ibidem.
po in ipsa accessione cibum dare cogimur, attamen inclinationem saltem expectamus. Rursus de accessionum natura disputás, Nunquam, inquit Galenus, hoc tempore cibum damus: sed quietem, si eius naturæ febris sit, vti expectari possit, expectamus: sin minus, inclinationem.) Atqui verisimile est, non latuisse hos viros, multarum febrium accessiones longas esse, multas enim eiusinodi describunt. Videtis igitur, viri solertissimi, quantum præcepta maiorum
prætergressi sitis, qui neque in simplicissimis quoque tertianis ab- 12. Ther. ad Glau.
stinetis, quò minus ægrum adhuc calentem nutriatis. Tanta ætate nostra βουλιμία irrepsit? Attamen nihil est quod intẽpestiuè cibare

nos cogat: excepto grandi virium lapsu, quem syncopem vocant. Neq; vlla est adeò longa accessio, quam prçterire sine cibo nō liceat: his exceptis corporibus, quç quòd cito dissoluantur, alimentum desiderant. Quanquam & in his turpe est, medicum isthæc non prçuidisse: siquidem ab initio ęgri curationē suscipiat. Nam priusquam febre corripiatur, virium prouidentiam habere oportuit, Galeni
.o. Ther. exemplo: Hic enim aliquando, quamuis vt Thessaliorum error deprehēderetur, cibandi occasione omissa, febre iam correpto cibum dederit (hoc enim semel committere letale non erat) postmodum tamen accessionis horas præuenit, quod facere antea consueuerat. Quare neque hisce naturis claudicare sententia ea videtur, Non esse, inquam, in accessione cibandum. Verùm si aut per imprudentiam, aut quia tunc primū ægro occurras, inexpectatò accedat febris, sitque eius naturæ æger, quæ inediam tolerare nequeat, in accessione quoque cibum dare non verearis: nempe vt maius malum deuites. Quòd si iuniorum testimonio delectaris, nonne ille medicorum cephas Auicenna, notha Tertiana effectis alternis diebus cibum dari suadet? non alia sanè ratione, quàm quòd accessio ea longius protrahi soleat, velitque ægrum à febre liberum nutrire. At grauida erat, inquies: proinde verisimile est, non minore affici noxa quàm picrochola corpora, quæ sanè dissolutione periclitātur: mul-
2. Aphor. tum enim sanguinis in eo statu absumitur. Vt igitur nodum hunc dissoluamus, animaduertere oportet quæ Galenus de fœtarum victu scribat: Mulierem, inquit, grauidā capi acuto morbo letale est.) Ex longis enim interuallis cibum dare (ita enim morbus exigit) abortus periculum est, alimenti defectu pereūte. Quòd si vt fœtum seruemus, cibum sæpius dare non verebimur, febres continuas victu intempestiuo augentes, matrem necabimus. Statim enim quispiam ex Galeno quæret, Quî fiat, vt syncope imminēte, aut præsente, nullo non tempore nutrire liceat, neque inde letalis noxa timeatur, in prægnante non liceat? etenim non licere, verba ea demonstrant: Si vt fœtum seruemus, cibū dare non verebimur, ægram necabimus, febrem augentes.) Ad hæc respondebit (arbitror) licere in his quæ præ succorum tenuitate syncopen facilè incidunt, quouis tempore cibum dare: siquidem ex insperato contingat: præcauisse enim symptoma longè melius erat. Quòd si sæpius hoc committatur, vbi acuta sit febris, prorsus letale fuerit: nam lib. xij. Therap. ait, insanabiles eos esse, si vires inualidæ sint, & viscerū aliquod phlegmone capiatur. Itidem de fœta laborante acuto morbo dicamus: Si enim vires minus valeant, necesse erit vel ipsam alimēto, vel fœtum inedia confici. Idcirco letale dixere, grauidam mulierem

acuto

acuto morbo vexari. Letale, inquam, quod plurimũ: sunt enim succulentę quædam, & largiore antea victu vsæ, quæ in breuiore morbo quàmminimum tenuiore victu lædentur, neq; prima profectò ratione, nec fœtus. Nos igitur non hanc modò, sed non paucas quoque præter hanc conspeximus ex acuto morbo euasisse. Nec leue exemplum est tolerationis ægra illa, cuius 3. Epidem. mentionem habuit. Quòd si ex tenui victu abortiri periculum est, ex pleniore verò mulierem interire: quid quæso præeligere præstat? An mulierem custodire? nam si hæc intereat, ambo perire necesse est. Quare in victu prægnantium cum vtrinq; discrimen immineat, indicationi potius, quæ à morbo acuto est, inseruire expedit. Sed hæc de victu satis.

An in prægnante sanguis mittendus. quo loco Aphorismus explicatur. De puerorum quoque natura nonnulla obiter. Rursus, cur putredo uenam secari suadeat. Locorum ex VIII. & XI. Ther. comparatio, & explicatio. Colligitur in omnibus putridis, nostra præsertim ætate, utilissimum esse mittere sanguinem.

IAm enim de præsidijs loqui tempus admonet. Tu igitur admiraris, quasi res monstrosa mihi in mentem venerit, cùm de sanguinis missione consultabã. Neque enim videri cõsulto opus esse in his, quę veteres prorsus reiecerũt. Ego verò pacato iam animo mihi dicas velim, num tu aliquando venam vtero gerenti secueris: aut saltem alium id citra discrimẽ fecisse resciueris. Nos profectò (quicquid tandem respondeas) plurimas vidimus, multas videre amici, vel Pleuriti, vel Pulmonia, vel Angina, alioúe quopiam acuto morbo correptas, non modò abortum perpessas non esse, sed euidẽtissimam vtilitatem ex vena secta sensisse: idque non in primis mensibus modò, quo tempore ratio ipsa, & Hippocrates, minus periculi imminere fatentur: sed sexto mense & septimo, cùm fœtus grãdior existit. Neq; id nunc facere renuebam, verbis Hippocratis perterritus: aut quia mihi persuadeam sanguinis missionem in hisce corporibus omnino euitandam (quamquàm cautius multò id fieri oporteat) sed quia iam videbatur ad consistentiam morbus properare, natura morbi causas mox euincente, quòd scilicet in vrina, lib. 5. Aph.

aperta & constantia coctionis signa apparerét. Non itaque maiore auxilio opus esse videbatur, quò periculo eximeretur. Attamen veteres prægnantem misso sanguine abortiri aiunt. Respondeo: Non decet sapientes viros nudis verbis moueri, vbi rationem quoque vestigasse licet. Ea proculdubio est, quoniam alimento destituitur fœtus, & interit: ob quam sanè causam victum tenuem, non sine periculo prægnãtibus obseruari aiunt. Cæterùm sicut in breuiori abstinentia, dum reliqua consentiunt, nihil est periculi: itidem nec in parca sanguinis detractione, cùm cætera suadent. Cur verò simpliciter pronunciarit, grauidam misso sanguine abortum pati, paucis exponam. Sanguinem mittere, non secus ac vnumquodque aliud auxilium, magnã pluris & minoris differẽtiam habet: venam enim secat, & qui selibræ pondus haurit, & qui semilibram: quam etiam exiguam detractionem plurimi ita ferunt, qui ne libram quidem detrahi absque noxa tolerarent. Cùm itaque antiquis medicis de vena secanda sermo est, scribuntque corpora quædam eam admittere, quibusdam verò negari: eiusmodi detractionem intelligunt, quę nota digna sit, quam nimirum sanguinis missionem, iure dicas. Illas enim adeò parcas, immo exiguas detractiones, quibus vulgò medici nostri vtuntur, ne sacrificationis quidem nomine dignati forent, vti ex mensuris, quas aliquando pro exemplò ponunt, cõijcere est. Quòd verò hæc Galeni & veterum mens sit, inde conijci potest in libello de Scarificatione, Inutile (inquit) est bis per annum venam secare :prohibere tamen qualemcunque sanguinis detractionem non decuit, qui eademquoque die iterari venæ sectionem aliquando suadet. De integris igitur & effatu dignis vacuationibus necesse est dixisse. Si igitur ætas & corporis habitus, victusque qui præcessit, vnà & cœli status consentiant, quis dubitabit, obsecro, prægnanti sanguinem mittere? quanquam parcius id fiet. Idem de pueris quoque iudicium est, qui nondum annum decimumquartum excessere. Quòd enim ea corpora citò dissoluantur, multumque humidi per halitum digeritur, sanguinem ijs mitti vetat. Nos igitur, cùm cętera suaderent, in magnorum morborum initijs, his qui ferè xij. agebant, detraximus: semel cùm Pulmonia laboraret puer, bis in Angina: atque id vel hirudinibus sedis venis admotis, aut cucurbitularum vi: maius, præsentiusq; discrimen ex morbo, quàm ex dissolutione imminere rati. Quod & ita euenit: non modò enim lædi non deprehendimus, sed iuuari magnopere. Optimè tamen pensitandum est, corpora eorum promptissimè dissolui. Attamen stultum omnino foret, si in quocunq; cœli statu, aut temperamento, aut corporis habitu æquè pertimescendam

3. Therap.

1. de Vict. Acut.

dam

dam ſanguinis detractionem crederemus. Sicuti verò in his,quibus imbecilles vires ſunt,vt quibus apprime vitioſus ſanguis ineſt, & parca detractione, & iterata vtitur Galen. : quales ſunt quos per Epicraſim ſanat,aut qui crudis pleni ſunt:Ita & ipſius exemplo,vbi puero ſanguis detrahi debet, vel grauidæ,eadem vtemur via,quòd in ea minus ſit incommodi. 10.Ther. In lib. de Venæ sect.

Cur verò morbi magnitudo ſanguinẽ mitti vrgeat,putredo quoque ſuadeat,& hortetur, diſputatum abũdè nobis in ijs libris eſt,in quibus Galeni loca explicauimus. Neque ab re modò fuerit,paucis rerum capita attigiſſe, quibus nimirum apertum fiat, qua ratione permotus, generatim ſuadeat, in putridis febrib. ſanguinem mitti. Quicquid enim Sophiſtæ in huius loci explicatione cõmenti ſunt, nihil faciundum cenſeo,quod ex ſequentibus manifeſtũ erit.Porrò ſententiam illam adeò ratam firmamq́ue veteres voluere,vt fidiſsiſimus Galeni paraphraſtes Paulus,cùm primum putridarum febrium curationem aggreditur,ſtatim ſcribit τῶν δυνάμεων ἰσχυρῶν οὐσῶν τὸν ἐπισηπεδόνι πυρέττοντα φλεβοτομητέον αὐτίκα, χωρὶς ἀπεψίας, τῆς κατὰ γαστέρα. Vt igitur videamus, quantum vtilitatis ſecum ferat Venę ſectio in eo morbi genere, meminiſſe eorũ eſt opus, quæ libro viij. ſcripta ſunt. Curabat eo loco Galen. Diarias ex obſtructione quæ διὰ μηκυνομένην παρακμήν, iam ſuſpectæ eſſe cœperant: in quibus, primo loco venam ſecari iubet, quamuis nulla adſit plenitudo:ſic enim,inquit, plurimus vitioſus ſuccus detrahitur, vnà cum ſanguine vacuatus: Tutoq́ue vti poſſumus his,quæ obſtructiones ſoluãt. Eædem profectò rationes ſunt, quãquam mutatis verbis, quas lib. xj. propoſitum monſtrat. Quod enim lib. viij. plurimum vitioſum ſuccum vacuari ait, hîc naturam leuari onere dixit: neq; enim oneris nomẽ ad multitudinem referre oportet, ſed potius ſucci vitium ſignificat. Solent enim quæ moleſta ſunt, oneri eſſe dici. Rurſus quod ſcribit lib. viij. & quæ foris ad obſtructiones tollendas admouentur, ſuſpecta eſſe,& quæ propinãtur:hîc ait,medij corporis prouidentiam ante vacuationem parum tutam eſſe. Quanquàm & alia quoque non exigua commoda in his febribns afferat venæ ſectio, hæc tamen vt quæ excellãt,ijs locis tetigiſſe voluit. Tu verò his minimè aſſentiris,tum quia nec generatim verum putas, quod ſcribitur: tum etiam, quòd Galenum id perpetuò obſeruaſſe non vides. Num igitur vniuerſales ſcopos ſemper ſibi proponere debet, qui ritè de ſecanda vena conſulat? Sunt autem hi, virium robur, magnitudo morbi, ætas florens. Nam quibuſcunque adſunt, ſiue acuto morbo, ſiue longiore detineantur,ſanguinem mitti expoſcunt. Intelligo morbi magnitudinem,quæ vel immineat,vel iam adſit.Rur- Ther. 11. 1. ad Glau. Lib. de Venæ sect. & 4. Acut.

ſus, Vires robuſtas appello,quę in præſens ſufficiunt, nec facilè dilabuntur. Hæc vbi penſitauimus,ſiquidem morbus magnus ſit,ſtatim ſanguinem mittimus. Si verò quamuis ex ſui natura magnus non ſit,periculum tamen eſt,ne procedente tempore magnus euadat,venam itidem ſecare expedit.Prioris ſanè generis ſunt,internæ omnes inflammationes,febres acutæ,morbique nonnulli,qui citra febrem acuti exiſtũt. Poſterioris verò Diariæ, quę ob valentes obſtructiones in ſinochas facilè vertuntur. Porrò intermittentes febres quamuis ſalubres eſſe dicãtur, attamen vel ob aeris malitiam, aut ægri intemperantiam, ſiue aſtantium inſcitiam, nonnunquam ob naturã laborantis,& continuas,& magnas fieri quid vetat? Nec quiſquam eſt vel mediocriter in operibus artis eruditus, qui hæc ſæpè fieri non viderit. Quanquàm alia quoque periculi cauſa eſt, eaque non leuis, quæ ex auxiliorũ natura ortum habet:vbi obſtructiones, præcipuè validiores, tollere eſt animus, ſeu intus aſſumãtur, ſeu extrinſecus admoueãtur. Igitur propter has, atq; eiuſmodi cauſas,Galenus in febribus putridis ſanguinẽ mitti ſuadebat:quòd in omni febre aliqua ex cauſa periculũ oriri poterat. Cæterùm non videntur æquè in omni febre iſthæc pertimeſcenda:exquiſitè enim tertianæ quàm minimum proſpectione ea egere vidẽtur. tum quia inter putridas ſimpliciſsimæ ferè, & breuiſsimæ, per ſeipſas ad ſtatum & criſim properant (neque igitur magna auxilia expoſcunt) tum quia in bilioſis temperamentis, & calidiſsimo cœli ſtatu plurimum accidit: tum demum quoniam qui putreſcit humor, non modò obſtructiones facere natus non eſt, ſed ſoluere potius atq; aperire. Quamobrem ſiqua in hiſce corporibus accidat,ſicut leuior erit ita nimirum minus operæ deſiderat vt tollatur. Quanquam noſtra ętate, ſicuti rariores viſuntur exquiſitæ,ita cùm adſunt,ſuſpectę ſũt magis:nẽpe ob plenitudinẽ, quam ex largiore victu corpora contraxerunt. Quo fit,vt quemadmodum minus tutò balneis vtimur, autore Paulo, ita magis neceſſaria ſit ſanguinis miſsio. Nos itaque hæc aduertentes, plurimis exquiſita tertiana correptis ſanguinem miſimus, idq; vtiliſsimè. Cum aliàs viderim,eos qui hoc auxilium neglexerant, magnos, & vix expugnabiles morbos ſæpè incidiſſe. Cur verò in quotidiana ſubticuerit,nemo eſt qui non videat:ſi quidem naturam corporum, quibus euenire ſolet, conſideret. Quanquàm neque in ea negatur, ſicuti neque in his qui crudis abundãt. Verùm de his aliàs fuſius dicetur Hæc enim ad exercitationem potius,quã pro neceſsitate ſint dicta. Scimus enim libellos,qui Glauconi ſunt inſcripti,enchiridiõ quoddam eſſe:quare & multa omitti, quæ ex curatiua Methodo repetere oportet.

4. Acut. lib. de venę ſect.
lib. 3. Aph. 8. Therap.
8. Therap. & 11.
4. Aphor. 1. ad Glau.
1. Simp. 5
in lib Venæ ſect. in proœmio 2. lib.

Purga-

Purgationem ab initio minimè tentandam: neque aluum mouendam si sponte deijciat. Interim quæ intempestiuas purgationes incommoda insequi soleant, enumerantur. De mitioribus iuniorum medicamentis purgantibus, quid iudicandum sit. Colligitur, raras febres excretione persanari.

QVoniam verò de vulgata illa imminutione obiter sermo incidit, non ab re fuerit, de ea quoque nõnulla dicere: cùm præsertim fautores non ignobiles adhuc habere sentiam: vt qui sanctissimo quoque iuramento affirment, imminutionem, quæ deiectione paratur, ex vsu esse. Atqui res ipsa ad nos præcipuè pertinere videtur, qui ne leuiter quidem aluum inter initia proritare soleam, si quidem sponte deijciat. Quare ne vel purgationem eam, vel eius autores peculiari quopiam odio prosequi videar, neu superstitione quadam inani detineri, breuibus (vti cœpi) loca ex Galeno & Hippocrate afferam, quibus eò sententiæ deuenerim. Sunt autem ea ferè ex libro de Acutorũ victu. Cum enim aliquando scriberet, qua ratione morbi inter initia tractari debeant, Cum (inquit) vrinæ tenues fuerint, purgandum non est. nam purgationem (vt Galenus ait) prorsus euitare oportet. At quamnam, quæso, purgationem euitari iubet, num elleborismum? Profectò ne clystere quidem inijciẽdum putat: ait enim, Clystere inijcies, si videatur: hoc est, si aluus nil sponte deijciat: hanc enim glossulam Hippocraticam esse, & subintelligi debere Galen. docet. Rursus adeò dimotionem omnem in vehementioribus morbis pertimescit, vt potius quietem præcipiat: vtque sese quàm minimum in lectulo iactent, neque purgationes moliãtur. Quòd si fortè in longiori morbo purgationem illam vsui esse putas: monet Galenus cõtrarium, his verbis: In his verò qui iam ægrotãt, si quidẽ morbi longi existant, nunquàm concoctio expectãda non est. Itaque & in quartanę curatione clysteribus vtitur ab initio mollibus, neque validiorem aliquam purgationem pertẽtat. Cæterùm melius fortasse fuerit, vt postquã sententiam illam, toties Galeno celebratam, proposuit Hiopocrates, Concocta (inquam) purgari debere: rationes quoque colligamus, quas sparsim posuit, ne solis nudisque verbis subscribere videamur. Primus ergo ratiocinationis modus difficultatem spectat: Cùm (inquit) humores crudi adhuc sunt, si dimouere tentes, nihil à natura auxilij expectato: ipsa enim post concoctionem & secer-

[Margin notes: 4. Vict. Acut. — Ibidem. — in libro de purgatio. 1. ad Glau. — 1. Aphor. — 1. Aphor.]

4. Aphor. nit,& impetũ ad excretionẽ facit. Etrurſus Sæpius humores vni ſedi affixi ſunt, à qua dimoueri nequeunt priuſquam concoquantur Rarò verò concitantur,& ad ſui excretionẽ initiò proritant. Quare rarò fit,vt in morborum initijs mobiles ſint,facileque pellãtur: aut natura ad propellendum eo tempore impetum faciat. Quæ duo ſanè & vtilem,& facilem purgationem reddunt. Quàm bellè igitur libro de Acutis quarto,quòd ita experiẽtia didiciſſet,in hunc modũ: Quicunq; ſtatim inter morbi initia phlegmone obſeſſas partes ſoluere pharmaco aggrediuntur,à parte quidem phlegmone laborante nihil auferunt: affectus enim,quòd crudus ſit,non cedit. Quę verò morbo reſiſtere poſſunt, & ſanitati attinẽt, abſumunt. Altera ratiocinatio noxas & incõmoda conſiderat,quib. premi ſolent,qui in principio morbi purgantur. Ex his non leue eſt, quod in propoſitis verbis adnotauit,cùm inquit,Ea quæ ſanitati attinent,abſumi: abſque eo quòd morbi cauſæ vel minimum opprimantur. Nam tametſi verba ea de phlegmone dicta ſint, quòd febrilis affectio multis modis illi aſsimiletur,ad febres quoque Galen. transferre ſolet. Sed quid, quæſo, aliorum verbis modò innitimur,ac non potius excretiones illas ſpectemus, quæ, quòd ante coctionem accidant, ſymptomatum ſoboles dicit Galenus? Has igitur mirum eſt diligentes hos viros non aduertiſſe, cùm quotidie accidant. Id, inquam, auxilij ab ijs expectandum eſſe, quod ſecundo prædictionum ſcribitur: Excretio, inquit, quæ ante coctionem eſt, nunquam prodeſt: quòd ſi implacidior fuerit, pręter hęc nocebit. Mitto modò, q̃d purgatio ea ſeu per naturã, ſeu arte fiat, vires deijcit, appetẽtiam tollit, tormina excitat, nonnunquam dyſenterias quoque & febres: quæ nimirum vniuerſa veteres diuerſis locis adnotarunt: noſq; ni omnino cæci ſimus, quotidie cernimus. Non minorem noxam purgatione ea oriri ſcribit Hippocrates libro Acutorũ quarto, quòd quæ reſtant, cruda magis redduntur. Si enim (inquit) moueris, morbus crudus permanebit. Huius rei cauſam Galenus elegantiſsimè, vti aſſolet, expoſuit: ſumma verò eorũ quæ dicit ea eſt: Quoniam quæ concoquenda ſunt vexari non debent. Quamobrem eo loco motionibus vniuerſis interdicit. Poſtremum idque maximum incommodum eſt, impediri, aut omnino tolli criſes, cęteraque naturæ auxilia. Quod cùm ſatis apertè experientia monſtret, ratio quoq; ſuadet. Quomodo enim operi naturæ faueas, quando nondũ ad quam partem ſeſe vertat ignores? An potius ſæpè impedimento fueris? Quãquam vbi innotuit, quid aliud (obſecro) curę eſſe debet, quàm parare vias, & fluxile corpus efficere? cæterùm dum iudicantur, ſinere: quòd ſi non integrè iudicata ſunt, eadem via quæ ſuperſunt duce-

Marginal notes: Lib. de dif. Feb. (beside "ſi verba ea de phlegmone"); 4. Aphor. (beside "tomatum ſoboles"); 4. de Tuen. val. (beside "aſſolet, expoſuit"); 1. de Crit. dieb. (beside "xilia. Quod cùm"); 2. Aphor. (beside "Quãquam vbi innotuit")

ducere Porrò quid vnquam adeò stultum, aut ita noxium excogitatum est, quàm cùm febres vniuersas deiectione persanare aggrediuntur, cùm naturam, quam nimirum imitari debes, raras febres ventris profluuio soluere videas? Longiores enim aut per cōcoctionem, aut per abscessum finit: (Atqui sanatio quæ per concoctionem vrinis maximè perficitur) Acutas rursus excretione. Verùm excretio ea multiplex existit: nam & sudoribus, & sanguinis fluore plurimæ sanātur, nonnullæ quoq; vomitibus: quare paucæ fuerint in quibus vētris excretionem procuret, morbum iudicatura. Quare nos quoque rarò ventris deiectionem purgante pharmaco irritabimus: idque vbi concocti succi sint, nihilque egregium natura polliceri videatur. Quod sanè in diuturnis, vbi minimum vi morbi irritatur, sępè euenit: necnon in acutis, vbi statum præterierint. His fortasse permoti quidam, fortiora medicamenta odere: purgationē tamen aliquam admitti volūt, sed quæ mollis admodum sit: eo scilicet pharmaco, quod aluū mollire queat, & excremēta tum quæ in vētre, tū quę in primis venis colligūtur repurgare. Eiusmodi apud eos sunt, Manna, Siliqua, quam Casiam dicunt, Rharbarbarū: sed & composita aliqua, vt quod ex dactilis conficitur, vel quod Catholicon nominatur. Nos verò mollire aluum, siquidem astricta sit, optimum esse iudicamus: sin sponte deijciat, sinere. Quòd si paulò largius deijcere expedit, vt cùm per eas partes putrida excremēta natura quotidie expurgare tentat: molli clysmate, etiam inter initia: ventrem proritare docet Galenus. Porrò detergeri, ac deijci ea, quę in ventre, & primis venis collecta sunt, cùm vtile esse putem: id tamen pleraque præstant, quæ in censum ciborum potius, quàm medicamentorum veniunt: ea apud veteres in primis sunt, Mulsa & Ptissana, que sanè biliosis excremētis, & mediocri pituita tum ventrem, tum primas venas expurgare valent. Quòd si valentius remedium desideras, oximel sat fuerit, quod etiam à ratione cibi admodum alienum non est. Quare ne dicant amplius vmbræ hominum caruisse clarissimos viros mitioribus auxilijs, proinde & purgationem inter initia vetasse. Quin potius expedit, quòd quasi duces cœlitus nobis demissi sint, eos imitari, non in methodo modò, verùm in auxiliorum quoque materia, qua quondam felicissimè sunt vsi. Nam quæ pauloante proponebātur, seu simplicia spectes, siue composita, noxa cæterorum proculdubio non carent: calida enim sunt & sitim faciunt: insuper & venosæ qualitatis, turbatione & nausea quam excitāt: tetro item odore, & sapore iniucūdo speciem ostendunt. Quanquàm neque fortasis purgatoria vis ijs inesset, ni veneno participarēt, vt Aristoteli placuit. Quoniam verò sanctissimi se-

3. Prog. 3. de Crisi.

4. Vict. Acut.

1. ad Glau.

mmm 2

nes ſacramento quoque confirmát, nihil vnquam noxæ vidiſſe ſeſe ægris ex eo opere inferri, non ſi purgationem eam, quam propriè imminutionem vocant, tentaſſent: Quid quæſo aliud reſpondere poſſumus, quàm quod, ni fallor, æquè ſatisfaciat, contrà ſcilicet deierare, innumeros lædi à me viſos, quoſdam verò non alia de cauſa perijſſe? Decepti ſunt autem boni viri, cùm vidiſſent aliquando bene ceſsiſſe, ita vt dato inter initia pharmaco, febris deſierit. Quod ſanè mirum non eſſe teſtatur Hippocrates. Quibus (inquit) vrinæ craſſæ ſunt, & nebuloſæ ab initio, hos, ſi cætera conſentiant, purgabis.) At his verbis concoctas vrinas ſignificauit, autore Galeno. Quare perſtat adhuc ſententia ea, Concocta purganda, & omnino mouenda eſſe, non cruda. Neque id tempus probè initium dixeris, vt in libro de Criſib. eſt diſputatum: principium enim propriè notis coctionis finitur. Sunt enim febres nonnullæ, quæ vnà primæ acceſsionis inclinationem cum totius morbi inclinatione ſortiuntur. Nos igitur (ſiquidem ea egere æger videatur) imminutionem quidem facere edocemur, atque id circa morbi initia. ita enim inquit: Cùm morbi inchoant, ſiquid mouendum videtur, moue.) Cæterùm id plurimum per venæ ſectionem mouendum Galenus iudicat, rarò autem medicamento purgante. Neque enim licet, præterquam vbi ſucci concitantur: atqui rarò turgere ait. Quoniam verò turgere, non niſi in acuto morbo contingit, iccirco dictum alibi eſt: In acutis rarò, & in principijs, purgatione vtendum. Et rurſus: Tenues humores initiò vacuabis; in craſsis autem & viſcidis concoctionem expectato. Dicit autem, Vacuabis: hoc eſt, vacuaſſe licet: quoniam in his ſolummodo turgere conſpicitur.

2. de Vict. Acut.

2. Aphor.

1. Aphor. Lib. de purg.

De Aapij natura permulta. Interim aduerſus Auicennã nõ nocere prægnãtibus Apiũ: neq; comitialem morbum excitare. De menſes, & urinam mouentibus diſceptatio. Ibidem loci nõnulli ex Galeno explicantur.

SVpereſt vt nonnulla dicamus ad ea quæ contra potiones noſtras obieciſti. Igitur omnes vnà ex Apij natura pendere videbátur, vt quod vteri acetabula aperiat, quòd morbum comitialem gignat, quòd febribus ſit inimicum. Quòd ſi deliria eius capitis perſequi velim, metuo equidem, ne (vt in prouerbio dici ſolet) cum delirantibus ſtultus efficiar. Quis, amâbo, non videat Auicen-

Auicennam Apij speciebus Batrachium admiscuisse, viresq; confundere non ipsius modò, sed Petroselini quoque, & Smirnij? Aut quis risum temperet, audiens collo appensam Apij radicem dentes exterere, aut non lędi scorpij morsu, qui Apiū deuorarit: aut rursus radicem apij soluere, non folia? Sed quid multis lectorem moror, quasi testibus egeam? quasi eruditiores omnes eius volumina semicrudam quandam vomitionem non æstimarint. Quod cùm aliàs monstrauimus, vberius tamen id factum foret, ni Guilielmus Guidobaldus, nobis amicissimus pariter ac doctissimus, amicè his verbis nos aliquando admonuisset: Ecquid, inquit, negotij vobis est aduersus hunc hominem, quem breui nostis perpetuū somnum dormiturū? Sed ad Apium reuertamur: quòd enim prægnantibus aduersum esse ait, ex Dioscoride perperam acceptum videtur, qui de Smirnio scribit, impositam eius radicem abortum facere. Quòd si hoc Dioscoridi cōdonemus, id tamen Apio non tribuit, sed Smirnio, quod sanè Apio multò est validius. Neque iterum si assumatur id facere ait, sed si vuluæ imponatur. Porrò multa nouimus, quæ quidem ebibita corpus non lædūt: si tamen cuti admoueātur, venas aperiunt, exulcerant, corrūpunt: cuius causam ex libris de simplicibus medicamentis quærere oportet. Tu verò exercitatissime Auicenna, cur si prægnātibus obesse iudicabas, aliàs cùm prægnantib. opem ferres, eclegmata ex Apio propinas? Quin & quod multo minus quis credat, ex odorata nuce, & Castoreo, Aristolochia, Cardamomo, Pyrethro, Thapsia. At decebat medicorū ducem stātas, firmasque sententias proferre: aut te togatum senem non adeò tristi ac seuero vultu nobis succēsere, neque vt Apium deuitemus, admonere. Illud enim quod imprudenter, ne dicam imperitè, è Serapione acceptū est, quòd scilicet epilepsiā Apiū moueat, merū delirium est: cùm præsertim Galenus eo morbo affectis Apium in cibo sumere consulat. Quòd verò ex ipsius verbis obijciebas, Apium menses mouere, & fabricitantibus esse inimicum, non secus ac vinum, sic soluitur: Primum enim nosse oportet, quando apud veteres autores legitur, vrinam ciere, aut menses aliquod medicamētum, illico vim ipsius pensitandam esse: neq; enim æquè omnia id efficiunt, verùm magna est pluris & minoris differentia. Sunt enim quæ per sanitatem iuuant, promouentque solùm, siquando parcius natura vtrumuis excernat: nam si omnino excretiones illæ supprimerentur, neutiquam satis forent. Idem & in ventrem deijciētibus considerare est: quædam enim tantummodo officij sui naturam admonent, quædam & impellunt. Nonnulla itaque vrinam ciere, aut menses dicuntur, quoniam si secūdum naturam se habeant instru- 8. Therap.

menta quæ his operibus deseruiunt, abundare ea faciet. Huius naturæ Apium esse videtur: Non modò enim prægnantibus, quibus natura duce menses supprimuntur, mouere nequit: sed neque si aduersus naturæ gubernationẽ morbosa aliqua vi detinerentur. Quare minus timendum est, conceptionem offendere: quod etiam experientia demonstrat. Cùm enim nostrates mulieres affatim eo vtantur, nullam tamen lædi inde aduertimus. Nunc ad alterum dubitationis caput accedamus, quæ cum ex verbis Galeni vim omnẽ habeat, mentem ipsius optimè explorandam cẽseo: quod & suprà, vbi de ptisana agebatur, admonui. Videmus enim ipsum, quẽ modò dixi, Apij vsum vetare in febribus, eo tamen aliquando vti. Quin & vbi generatim putredinem sanare docet, inter cætera radicem Apij laudat: ita enim scribit, Seligẽda ea medico sunt, quæ citra valentem excalfactionem supradictas vacuationes præstent. Cuiusmodi (inquit) sunt ptissanę cremor, & aqua mulsa, & oximel, & Apij radix in aqua, quæ potui datur, incocta.) Sed & quod minus quis credat, cùm libro viij. Apium inter ea, quæ febrem augent (vti diximus) enumerasset, non multo pòst subdit, A balneo aquam, in qua Apium incoctum fuerit, propinandum. Dicẽdum igitur, febris vim nonnũquam tãtam esse, vt ad ipsius sanationẽ, calfaciẽtem omnem materiam prorsus euitare oportet. Sic itaq; libro xj. scribitur: Cùm magnitudo febris vrget, nullo, vel leui calfaciente vtendum, sed aquam frigidam potui dare oportet: si verò mitior febris extiterit, eam saltem materiam deligere oportet, quæ minus calfaciat. Fatemur igitur & nos, calidum omne febri, qua febris est, aduersari: proinde neque temere propinandum. At in tepidiori febre, vbi indicatio, quæ ab ea est, cæteras non exuperat, non Apio modò vtitur, sed Issopo quoque & Origano. Quanquam magni refert quo quis modo vtatur: seu scilicet madefacias tantummodo, siue incoquas, quod & Galenus aliquando obseruauit. Quod verò ait, Sicut & vinum: haud equidem æquè nocere intelligit, sed quòd in numero, censuque noxiorum reponi iudicet, quibus vinum quoque adnumerat.

[margin: xi. Therap.]
[margin: ... ad Glau.]

DIS-

DIGRESSIO

Respondet ad ea quæ obyci solent, summatimq́ colligit quæcunque ad acutorum curationem spectant: quibus apparet quantum intersit ueterum curandi ratio ab ea qua iuniores utuntur.

EXurgis postremò, quasi victoria potitus, & consuetũ Hymnũ canens, in laudes prorumpis tuas, nostraque deprimis: iactas longum vsum, profligatos vestra opera ac diligentia morbos iactas, funera retices. Porrò quòd toties verba ea vulgi auribus inculcastis, iustum erat aliquando respondere. Siquidem vti vobis maledicendi otium est (vtpote quos nulla egregia disquisitio detineat) itidem nobis respondendi foret. Enimuero vestra hæc ratiocinatio primo occursu haud mediocrem vim habere videtur: Experientiam enim nemo vnquam satis laudet: neque tot, tantosque viros in errore tandiu perstitisse facilè persuadeas. Solent enim viri cordati ab his, quibus offenduntur, breui abstinere. At neque medici eo victus genere hactenus offendi ægros sensere: nec ægri in se erratum deprehẽderunt. Stultum itaque fuerit vini & carnium abstinentiam imperare, siquidem consuetis tutò vti licet. Licere verò experientia per multa secula comprobauit. Adde largiorẽ victum robur tueri, cui vel maximè animum aduertere medicus debet, vtpote sine quo nihil toto nixu proficias. Non desunt ex eorum schola, qui curationes nostras quotidie vellicẽt. Ecquæ (aiunt) medendi formula? Quoúe iure medici appellationem sortimini? An potius certaminum spectatores estis, quasi in theatro quopiam constituti, testes euentus? Num quæso diuinatores, an medici dicimini? aut quorsum acciti estis? ad diuinandum inquam, an ad curandum? Attamen satisfecisse arbitramini, si salutem aut mortem, si crises, si accessionum magnitudinẽ, & tẽpora præcognoscitis. Atqui isthoc natura non eget, verùm auxilijs, quibus sibi robur adijciatur, morbi verò elidantur vires. Sunt etenim adeò pauca rerum capita, quibus vtimini, vt nemo adeò rudis sit, qui sex mẽsium spatio medicus non euadat. Meritò itaque vulgo contemptui estis. Quam enim spem de vobis ægri aut familiares possunt concipere, quos vident rei euentum silentes expectare? Hinc conuitijs sæpius impetimini, æger desperat, ars nihili pẽditur. His atque eiumodi fabellis facilè priuatos homines in suas partes trahunt. Nam cùm in viro medico

& doctrinæ vbertatem, & longum vsum desiderent, neutrius verò ex his iudicium ferre queant, vt quæ à vulgi sensu nimis sint semota: nota quadam (vti putant) firmissima iudicium fulciunt: est autem ea, Senium. Quocirca senem medicum absq; alio delectu præferunt, in eam lapsi fallaciam, in quam crebrò incidūt, qui sine artis ope syllogizant. Hinc factum est, vt multi cùm primū mussitare cœpimus, nobis acerrimè obsisterent, ac seniorum partes vsque ad arma defensarēt: eoq; res processit vt (qđ Quinto medico clarissimo euenisse ferunt) parum abfuerit, quin velut ἀναιροῦντες τοὺς νοσοῦντας, vrbe pelleremur. Sed reuertamur vnde digressi sumus, rursus ratiocinationes eas assumentes: Eæ nimirum ab experientia robur omne accipiunt. Cæterùm quàm facilè decipiantur qui experientiæ tantummodo innituntur, Glenus sæpè admonuit. Non quòd inductionem, qua expertores vtuntur, labefactare velim: ea namq; duce primæ artium notiones stabiliri solent: sed quòd multis modis artificem decipi accidit, dum vniuersalē illam notitiā colligit. Quòd si viris doctis haud temerè credendum iudicas, cùm sese expertos esse pronunciant: quid quæso de vobis sentiendum, qui ne prima quidem diciplinarum elementa, non humaniores literas, non dialecticen, non physicen attigistis? Ego verò neq; plus vestræ, de qua gloriamini, experientiæ fidem habendam puto, quàm pharmacopolis circunforaneis, aut medicis mulieribus: nam & ipsi expertos se credi volunt: præsertim vbi Hippocratem, & Galenum contraria sentire nouero. At nos (inquiunt) hac via neminem hucusque læsimus. Nos contrà: Non sunt letales noxæ vbique expectandæ. Morbi enim quidam adeò salubres sunt, atq; ita (vt verbo Hippocratis vtar) εὐήθεις, vt quamuis multis modis pecces, neque in perniciem ages. Sunt iterum corpora quędam adeò robusta, vt quiduis erroris impunè ferāt. Inde medicum illum laude dignum cēset, qui in acutis morbis, quorum sanè vi multi necantur, probè si gesserit: quasi impunè in his, qui acuti non sunt, ferè erretur: contrà illi errores grauius ferant. Estò igitur, vestra opera non semper ad necem æger lædatur: attamen in lectulo contabescere, morbosque & symptomata indies magis affligere, cachexiā ægros incidere, fortè flocci penditis? Nec mirum sanè: si quidem largiores pecunias ea ratione hauriatis: neq; parū honorificētiæ vobis accedat, cùm quos ipsi auxistis morbos, aut peperistis mille modis, impedita natura vix tandem sanat. Quam bellè igitur scripsit Hippocrates, Multos ex sua ignorantia ditari. Cæterùm verisimile esse aiunt, longo temporis spacio errores, si qui latent, detegi, atque ita euitari. Quę quidem quàm prudenter dicta sint, tute videas. Ego enim male institutis inge-

ingenijs quiduis potius in mentem venire noui, quàm ſeſe erraſſe. Quod ſi tandem animaduertant, attamē fateri pudet: neque ignaros ſe deprehendi æquo animo ferunt: neque qui triduanum ieiuniū imperabant, ideò deſtitére, cùm ſæpè malè tractari ægros cernerent. Nec ſi fracturas Hippocratis ætate ita deligabant, vt phlegmonas & gangrænas accerſerent, reſipuêre aliquando: vtpote qui id factu optimum iudicarent, quod & antea conſueuiſſent, & præceptores ſuos facere vidiſſent. Cùm enim minus proſperè ſuccederet, in aliam quampiam cauſam retrudebant. Sed nonne vos quoq; eadem attigit labes, viri optimi? qui pharmacis deiectorijs, medicatisque omnigenis potionibus febricitantes aſsiduè vexare ſoletis? Num quia vitiari ac retrocedere coctionem, quòd labi vires, quòd deijci ventris & iecinoris robur, quòd demum nō raró mors irrueret, veſtram inde ſententiam mutaſtis? Quin potius non raró vos audiui, quo peccata veſtra operiretis, imaginaria quædā, imo riſu digna cauſari: nunc in ægrum culpam omnem intorquere, modò in aſtantes, nonnūquam in cœlum ipſum. Nemo igitur ſibi perſuadeat, malos vſus temporis diuturnitate tolli: atque eo, velut argumento firmiſsimo, conſueta ſectetur: non raró enim ſe falli reperiet. Cùm veró curationes noſtras irrident, facilè eſt in eos tela omnia retorquere: quod extemplo fiet, ſi prius ægrum pro exēplo ſtatuamus, qui acuto quidem morbo laboret, cæterùm ex ſui natura ſalubri. Pone igitur, hunc medicos ſecunda die conuocare. Primùm viuendi formulam, tametſi pauló parciorē inſtituent, quàm per ſanitatem conſueuerit: haud tamen facilè vino interdicēt, non pane, non farre, ſæpius veró nec carnibus. Poſthæc ablui ventrē iubebūt: idque adeò molliter, vt toto poſtmodum morbi tempore aluus ſiccetur. Summo mane pharmacum deiectorium propinabunt, quod ſanè Benedictum appellitant. Id alij ex ſola Caſiæ ſiliquæ medulla propinant: alij Rhabarbarum addunt: nōnulli, vt ſuprà dicebamus, & compoſitionem quæ ex dactylis, addunt, vel aliud eiuſmodi: quo largius aluum ducente, gaudent medici, lætantur amici, exultat ſpe bona plenus æger, medicorum promiſsis ſatis fidēs. Aſt illa interim die appetentiam deiectam experitur, nauſeam, fractas vires, febrem demum multo ſæuiorem. Iam mane potionē, quam Syrupum vocant, mille admixtam medicamentis, atque olfactu ipſo horribilem propinabunt. Mox accedentes, vbi vrinas perturbatas, præter expectationē, aut grauioris putredinis notas pręſeferētes inſpexerint (quod ſæpè euenire his peractis, ſolet: ſi morbus non admodum benignus, mitisq; fuerit) vbi iterum noctem peruigilem, æſtumq; immodicum, aliaque ſymptomata ſæuiora circa ægrum deprehen-

derint, de secanda vena disceptabunt. Quis igitur adeò facundus sit qui contentiones, rixas, turbata supercilia recenseat? omnia rimãtur, vt si quà possint, tantum discriminis effugiant. Multa ex Auicenna in medium afferunt, quæ nimirum à venæ sectione deterreant. Præcipuè tamen de coitu solicitos videas. Vbi verò de mittendo sanguine demum cõsensere, ac si præceps auxilium moliri velint, cognatos atque amicos, tum viros, tum mulieres adesse iubẽt: neque enim absque horum assensu venam secare ausint. Ipsi verò vtpote periculi magnitudine perterriti (ita enim à medicis didicerunt) haud facilè consentiunt. Igitur senior disquisitionem omnem ijs coràm recitat. Colligit demum, quicquid agant, inuitos aggredi: cogere morbi sæuitiam. Quibus auditis perterrefacti, tãdem in sententiam eunt, ea lege, vt citra quartam vnciam subsistant. Quod tametsi polliceantur, furtim tamen ad quintam aut sextam perueniunt, cùm præsertim vrinas in purpura rubentes conspexerint. Nam si eæ non fuerint, nõ temerè sanguinẽ mitti apud eos videas: Quidam sunt qui nephas esse existiment. Iam status imminet, morbusq; in dies deteriora minatur: ita vt medicos quoque perterrefacias, Iamque morbi κακοήθειαν execrari incipiunt, vt qui nulli diligentiæ ac prudentiæ, nullisque adeò grandibus auxilijs cesserit. Quo tempore secta eorum, qui paulò saniores habẽdi sunt, ad noua prælia sese accingunt, neque auxilia maiora pertentãt, quibus scilicet ægri mors imputari possit (Alij enim fortiter dimicandũ rati egregio quopiam pharmaco, sæpè animam, quod ego statim fieri aliquãdo vidi, radicitus euellunt). Tunc igitur quicquid ad nos India trãsmitit, Margaritas inquam, Smaragdos, Saphyros, aut siqua pretiosiora homini quanquam auarissimo fuerint, nam & aurũ ipsum, medicamentis inijciunt: Tunc cor iecurque perfundũt, quò robur membris restituant, vti scilicet strenuè dimicetur, vimque arceant veneni, siquod lateat. Hinc renes: hinc testes, tametsi extra aciẽ esse videantur. Post hæc matronas alloquuntur, iam morbum in multos dies perdurare aiunt, iam labare ægri vires, refectione opus esse, vti morbo resistere queat. Quibus omnes libentissimè annuũt atque illico sese accingunt, quasi prælium inituræ. Carnes tundunt eliquant, extillant, demũ se pręparant, ac si Athletam, qui mox Pancratia obire debeat, præpararent. Tunc enim plus roboris præstari putant, cùm quis plura ingesserit, eaque εὐτροφιμότερα. Itaque diei noctisque horas ita partiuntur, vt ne vna quidem præsidijs, aut cibo æger destituatur. Cibant manè vesperique, cibãt meridie, & nocte media. Interim perfundunt, inungunt, fricant, medicatas potiones, & eclegmata propinant. Demum nullus est quieti locus, videturq;

turque armorum tandem onere pugil opprimi. Hæc est lector candide longa illa fabula, quam sedulis mulierculis, quò apud eas gratiam promereantur, manè recitant, recitāt vesperi. Hac sibi vel maximê placent: hanc per manus traditam veluti thesaurum seruant: huic soli student: Inde enim tum spectatæ fidei, tum diligentia insignes habentur. Porrò defuncto ægro tantum abest vt culpentur, quin potius optimæ frugi medici existimantur, atq; vi multa, multaque solertia aduersus morbum dimicasse, victos demum morbi malignitate. Quare ex erroribus & laudem, & lucrum, & amicitias captant. O secula, O cæcitatem: Illi enim cùm clarè videant quantum à veterum institutis desciuerint, dum multiplicia & admiranda præsidia moliuntur (neque enim id inficiari possunt, si vel semel Galenum, aut Paulum legerint, vbi febribus curam adhibēt) in nos tamen conuicia iactare non cessant, quasi oportunis auxilijs ægros destituamus: quasi artē dehonestemus, operā ferè omnem naturæ dimitētes: quasi importuna austeritate ægros necemus. Quò verò errorem errore tegāt, eò insanię ducūtur, vt medicam disciplinam, quam nobis Galenus scriptam reliquit, multis modis mancam dicere audeant, multaque desiderari quæ ad curationes conducant. Vbi enim de his, que extrinsecus adhibentur perfusionibus ab eo scriptum? aut vbi potiones illæ, quibus in febricitantibus quotidiè felicissimè vtimur? vbi demum deiectoria pharmaca? quæ sanè adeò necessaria esse putant, vt his demptis, nihil opis medico supersit. Ita enim audiui quondam primatem medicum, qui paulò antè Bononiæ decessit, quem etiam scioli quidam diuinum appellant, dicere solitum, quasi salus vniuersa in ventris deiectione consisteret. Inde colligunt grandem illam blasphemiam, qua errores suos misera medicorum turba tueri solet, Non posse quēquam solo Galeno duce medicum fieri. Alij neque hîc desistunt: sed neq; Galeni & Hippocratis præcepta satis tuta esse dicunt. Cui sententiæ Alexander quidam Trallianus fauere videtur, qui aliquando Galenum reprehēdit: quasi de Victu noxia prçceperit. Nos verò aliter docuit Hippocrates (vt ab initio ordiamur) cui etiam libenter subscribimus, postquàm & vsu ipso ita rem sese habere comperimus: Natura, inquit, omnino sufficit: peccatur aduersus eam extrinsecis cataplasmatis, inūctionibus, perfusionibus, totius, aut partis. Galen. quoque, Committūtur, inquit, peccata ab his medicis admirandis, qui nil artę dignum à se fieri arbitrantur, ni quis ad ægrum vbi accesserit, prçcingat sese ac cataplasma imponat: venā secet, ventrem abluat, inungat, perfricet, nutriat. Hi igitur, inquit, quoties ægrum adeunt, toties peccant. Eadem ferè libro Therap. xj. scribuntur. Ex

quibus apertum est, fuisse quoque eo tempore qui illuuiem hanc præsidiorum circunferrent. Verùm hos omnium qui fuerunt vnquam clarissimos, paucis fuisse contentos: atq; id à nobis obseruari voluisse. Nullaq; alia profectò de causa rursus inuecta sunt, quam ostentationis & lucri, quę nimirum pluris, quàm ægrorum salutem multi faciunt. Quamobrem Paulus, qui Galeno posteriores omnes longè antecellit, ne verbum quidem addidit ad ea quæ tum in Therapeuticis libris, tum in ea arte quæ Glauconi inscribitur, de febribus legerat. Nos ergo hos imitati, haud quidē egenos nos fatemur, verùm parcos potius, vti scilicet nil superflui fiat, nil necessarium omittatur: sic enim naturæ præsidio erimus nō impedimēto: quod de vobis Galenus scribit, qui aliquādo hostes naturæ, ægrique vos appellat. Inter maxima verò & pręcipua impedimenta minus commodam cibationem esse existimarunt viri illi consultissimi: de qua re cùm suprà nonnulla dixerimus, nunc quoque, quādo epilogum canere est animus, summā rei attingemus. Eos itaque video in acutis morbis, quos curandos susceperant (erant autem ij qui non omnino insalubriter se habebāt) neminem vino aut carne nutriuisse, quamquam viribus foret inualidis: quin potius mōstrosum victum Petronam medicum instituisse aiunt: neminemque eum sectatum, qui ægros carnibus & vino, & omnino consuetis cibarijs replebat: cùm tamen multos videam Petrona longè nocentiores. Ille namq; statim à morbi initio victum eum instituebat: hi verò cùm primum vi morbi circa statum vires concidunt: quem nimirum grauiorem errorem esse suprà mōstrabatur. Rursus non pane, non alica nutriebant: ni siquando ptissana nauseam ægro cieret, vel succus ipsius: quando & teneras lactucas, & panem ex aqua, & pisces saxatiles offerebant. Quæ profectò acutorum victum ad statum vsque explebāt, vnà cum mulsa & oximelle, & apomelle, quę breuioribus morbis, & quibus plus discriminis inerat, propinabant, ni vires defectæ forēt. Hi sunt quibus septima die vel ante iudicatio instat: ita enim libro primo de victu terminum ponit. Nam licet aliàs ad quintum vsque diem mulsum sufficere dicat, neque vltra illam: id tamen in plurimis se intelligere monstrat, cùm ait lib 1. Mihi longa experientia innotuit quosdam ad septimam vsque diē solis potibus perdurare, quanquam hi pauci existant: plurimos verò ad quartā & quintam. Quòd verò vsque quo morbus inclinet quosdā solis potib. regendi sint, qui vel potus rationem tantummodo habeant, vt aqua, vel medicamenti vt oximel: vel nutrimenti quoque vt mulsa, Hippocrates testatur cùm ait, Sorbitionem nō dederis, donec morbus mitescat. Et Galenus, Eorum (inquit) qui acuta laborant, quidam

4. de Vict. Acut.

Ibidem. 1. de Vict. Acut.

tota

tota ptissana egent, quidam cremore, quidam neutro horum: atq; hæc experientia sibi cōperta esse ait. Quò magis mirari soleo quosdā qui solo vetustatis nomine sibi gloriam vendicarūt, cùm re vera neq; veterib. neque autorib. adnumerari mereātur: vt qui nihil artis, nihil methodi scriptis præseferāt: qui cū Galenicū dogma profiteātur, multis tamen modis longè inscij aberrant: audent tamen impudentissimi Galenum lacessere, quasi inedia ægros necantem. Sunt tamen rationes ipsius eiusmodi, vt refellente non egeant. Nos tamen testamur, multos in magnis morbis vltra quartum solis potibus seruatos euasisse: Multos quoq; in grandi illa pestilentia, quæ per annos ferè nouem Italiam deuastauit, vsque ad septimam & nonam sine cibo permansisse, donec remitēte se morbo, mentis compotes facti cibum assumerent: cùm alij, qui vrgentibus amicis obtemperabant, atque vti fieri assolet, replebantur, perirent. Cæterùm huius hominis nugas fortassis aliàs tractare otium erit. In summa res, quòd ad victum pertinet, ita se habet: Siquidem ægrum quem curas, existimas non posse vsque ad statum sola mulsę potione seruari, vel quia longius absit, vel quia imbecillus, sitq; morbus non sine periculo, quique maiori auxilio egeat, pro mulsa, succum ptissanę dedisse oportet. At si mitior fuerit, ptissanam ipsam: ne citrà necessitatem ægros fame crucies. Rursus quibus ob eas, quas præximus causas, statim ptissanam, aut cremorem exhibet, circa status tempora, illos quidem ad cremorē traducit, alios verò ad mulsam. Solet autem in eiusmodi morbis tempus vigoris vnica accessione finiri, aut saltem altera. Quì verò cōijcias, quo victu ad statum peruenire æger non adeò fractus viribus possit, monstrauit Galen. apertissimè primo de Acutorū victu: vbi & eorum quę inediam ferri monstrant, & quæ non ferri, catalogum reperies. Hic est profectò Acutorum victus, quem veteres obseruabant: neque alia edulia nisi coacti, vel symptomate quopiam, vel ob ęgri fastidium offerebāt. Vinum verò haud memini acuta ægrotanti dedisse quenquam, nisi in laterali morbo ad sputum promouendum, vbi sese malum remiserit: atque omnino vbi iam coctiones notæ appareant. Seni enim quem aliquādo curabat, vinum aquæ instillauit, vti tepore vini, noxas aquæ fugaret, de quibus libro Therap. vij. abundè. Erat enim sibi ætas loco symptomatis. Quem hodiè nonnihil immutauimus ob ægrorum delitias: cogimur tamen quoad possumus, ne à censu ciborum recedamus, quos in acutis pro ptissana, & ptissanæ succo, aliquando cōcedit Galenus, quorum etiam suprà meminimus. Altera quæ febribus adhibetur prouidentia, de medicamentis præcipit: ac primum quidem inter ea quæ bibuntur: num (quæso) Gale. 11. Therap.

præter ea, quæ à cibi ratione aliena non sunt, propinabit: ptiſſanam
11. Therap. 13. ſcilicet, oximel, apomel, mulſa: quibus ſanè, cùm per febris magnitudinem liceat, radices plãtarum, aut folia incoquebat, macerabat,
Ibidem. intingebat: ea nimirum ſeligẽs, quæ citra caliditatis noxam obſtructiones ſoluerent. Quòd ſi febris eius naturæ foret, vt ad ſeſe omnẽ
Ibidem. medici operam arriperet, quales illæ, quas ardentes propriè nominant, neque his vtebãtur, ſed quàm primum occaſio foret, frigidam potui dabant. Porrò de purgãtibus medicamentis, quid attinet dicere, vbi morbus acutus ſit, cùm rarò iis egeamus: neq; aliter, quã
1. Aphor. cùm ſucci ad excretionem initio concitantur: Ni fortè poſt iudicationes, cauſæ morbificæ relictum ſit: ſed iam acutus eſſe deſierat. Siquando igitur opus foret eo vti: iam innumera præſtò erant, tum ſimplicia, tum cõpoſita, quorum notas adhuc apud Paulum reperias. Nam Galeni in ea parte libri interciderunt.
10. Therap. De his verò quæ extrinſecus medio corpori imponuntur, ſeu cataplaſmata, ſeu perfuſones ſint, ſeu quæ inũguntur, longè aliter Galenum ſentire video ab his, quæ vos facere ſoletis. Ipſe enim diſtinctione adhibita, ſi quidem ardor vrgeret, quæ refrigerant imponit, eaq; quam ſimpliciſsima, καὶ εὐπόριστα: quale eſt Intybi ſuccus ex polenta, & cæratum Roſaceum: hæc enim ferè aqud eum ſunt refrigerantium exempla, è quibus tu quoque multa tibi conformare queas. At in reliquis, quæ æſtuoſæ non ſunt, relaxantibus vtitur, quæ ſcilicet intenta remittant, & aſtricta rarefaciãt. Sæpè verò non præcordiis modò, ſed vniuerſo corpori adhibet. Hæc ſunt profectò præſidia, quibus ægrum fulcire opus eſt: reliqua enim quæ vobis cõmenti eſtis, præcioſa inquam illa epitemata, ſæpius noxę fuerint. quamobrem nulla methodo præeunte præparata ſunt, verùm ad oſtentationem potius & lucrum. Neſcioque an manus potius iis abluere expediret, quàm cor, aut iecur, quæ nimirũ ſuo tãtummodo odore delectant. Hæc eſt veſtra illa vbertas, quam iactatis. Porrò Galenus medicos præſidiis vberes laudabat: hoc eſt, qui in vrbe, & ruri, & in mari remediis non deſtituerentur, neque à libris, & pharmacopolis ea petere inopia cogerentur. Cui rei nixu omni quotidiè ſtudemus, cùm plantarum notitiæ incumbimus. Neque nos vulgi auram captamus, aut ipſius expectatione mouemur, vti creditis, qui nimirum de vobis facitis coniecturam. Quin potius ſtudemus pro virili noſtra medicinã veterũ imitari. Quod ſi ſecus euenerit, atque hominum malitia contigerit, iterum præſtigia & oſtentationes, & barbarum omnem cultum reuiuiſcere (quam labem Deus maximus auertat) quid ſuper eſt, quàm vt præceptoris mei exemplo, qui ſanè eadem aliquãdo perpeſſus eſt, me conſoler:

Ita

Ita enim inquit: συμβαίνειν οὖν πολλοῖς τῶν οὕτως παρασκευασμένων ἀναγκαῖον ἐστὶ, καὶ τῶν ἄλλων, ὅσοι τετιμήκασιν ἀλήθειαν εἰλικρινῶς, οὐ διά τι τῶν ἔξωθεν, ἀλλ' αὐτὴν διὰ ἑαυτῆς, ὅταν ἅπαξ πειραθῶσι τῆς κατεχούσης τὸν νῦν βίον ἀδικίας, καὶ γνῶσι σαφῶς, ὡς οὐδὲν ἔσονται τοῖς ἀνθρώποις ὄφελος: ἐξαναχωρεῖν τοῦ τῶν πολλῶν συρφετοῦ, καὶ ὥσπερ ἐν χειμῶνι μεγάλῳ καὶ ζάλῃ πνευμάτων, ἑαυτοὺς γοῦν σῶσαι σπεύδοντας. οὗτοι δὴ τοῖς πολλοῖς μὲν ἄγνωστοι: γνώριμοι δὲ καὶ φίλοι μάλιστα μὲν καὶ πρῶτον θεοῖς, εἶτα τῶν ἀνθρώπων τίος ἀρίστοις ἐν ἡσυχίᾳ βιοῦσιν, ἐπιτρέψαντες τοῖς πανούργοις, εὐδοκιμεῖν παρὰ τοῖς πολλοῖς ἀνθρώποις. Hoc est, Necesse igitur est plurimis ita animo institutis, & alijs quicunq; syncera mente veritatem colunt, non inquam externorum gratia, sed ob eam ipsam ita euenire, vt cùm primum experti fuerint prauitatem, quæ nostra ætate vitam inuasit, norintque apertissimè sese nullo vsui hominibus esse posse, à multitudine secedát. veluti si pro procella valida, & ventorum turbinibus se saluare studeant, erunt profectò ij multitudini quidem ignoti: cæterùm noti maximè & amici, primùm quidem & maximè Dijs, postmodum viris optimis, quietam vitam agent, sinentque callidos homines vulgò gloriosos esse. In lib. de Præcog.

Quanquam haud scio, an vos potius artem medicam dehonestetis, quorum opera eò deducta est, vti ab omnibus ferè nullius præcij æstimetur. Ita enim in præcognitionibus exercitati estis, vt mulierculis nihilo meliores sitis: atque vtinam vos longè non excederent: quod & sæpe visum est. Quoties enim ægro dum ageret animam pharmacum propinaturi accessistis, in eo spem salutis polliciti? Quanquam eo ebibito, sæpè mors irreperet: aut saltem dum æger assurgit, oborta syncope perierit. Quanto igitur melius, quantoq; decentius erat, vt vos, quibus curæ est artem medicam ad dialecticas disputationes traducere, quique satis grande ingenij vestri monumentum edidisse putatis, si Iacobiticas & Vgonias fabulas insectemini, studere tádem vti quod in hac arte diuinissimum existit, tandem è tenebris euocaretis? Id autem prognosticatio est: Sic enim inquit Hippocrates, Optimum esse, medicum præcognitione vti: tum quia pluris apud ægros & astantes erit, promptiusque sese medico committent: tum quia præcognosse ad curationem est vtilissimum: vt latius & in libro de Crisi. & de Iudicatorijs diebus est demonstratum: adeò vt sine præcognitione neque diæteticen rectè instituas, neque auxiliorum vllum. In hoc profectò tum nos, tum amici nostri elaborauimus: Sed quid in tam grandi arte efficere potuimus? neque enim præceptorem inuenimus libris exceptis, 1. Progno.

à quibus omnia petere dificile eſt, & longum tempus expoſcit. Profecimus tamen non nihil, adeò vt ſæpius iudicationes, earumque horas, & modos prædixerimus. Neque hęc mihi vitio vertat quiſpiam quaſi artem oſtentare velim, vel exercitationem iactare. Cæterùm vt nemo eam artis partem, velut vanam, aut quam comprehendere nequeamus, negligat: ſciatque & mediocria quoque ingenia eam (haud tamen ſine labore & diligentia) conſequi poſſe: pauca hæc ſcripſimus.

FINIS.

LEONARDI IACCHINI MEDICI EMPORIENSIS QVAESTIONVM NATVRALIVM LIBELLVS.

Ad Ludouicum Bonuisum Patritium Lucensem.



VM quæstiones has, quæ ad naturam perscrutãdam pertinent, amicis legendas tradere decreuissem, tu primus mihi occurristi, ad quẽ mitterentur. Nam & tibi primùm deberi iudicabam, Ludouice charißime, quod in Furciano tuo sint disputatæ. Neq; enim memoria excidisse scio, qui, qualesq; viri in eo rure conuenerint: quotq; & quàm varij sermones de rerum natura inciderint. Non igitur eo solo nomine gratæ tibi esse debebunt, quòd ibi pertractatæ sint: sed vt dum patria abes, & loci memoria dulcis recurset, & amicorũ: non secus quoque, ac si in Furciano modò esses, & cum Vincentio Nobile, Sebastiano Pezino, Francisco Robertellio, Francisco Catthano, qui tunc ibi aderant, disceptares: voluptatem non modicam ex eiusmodi recordatione suscipias. Tu interim cura, vt ad nos sanus breui reuertaris. Vale.

AD LECTOREM

NOLIM mihi vitio verti, amice Lector, si quas quæstiones offenderis (quanquam paucæ sint, alia ratione à veterum quopiam explicatas. Neque enim sum nescius, me nonnunquam in respondendo ab Aristotelis præscripto desciuisse. Idque non indignum homine philosopho existimo, vt de se ipso idem dicat, quod olim Horatius:

Nullius addictus iurare in verba magistri,
Quo me cumque rapit tempestas, deferor hospes.

Quare vnicuique permittimus, & nostra reprehendere, & noua pro arbitrio comminisci

LEONARDI IACCHINI
MEDICI EMPORIENSIS QVAESTIONVM NATVRALIVM LIBELLVS.

I.



CVR INSTRVCTA acie, vbi cõgredi tempus adeſt, clamorem primùm attolli, & citatiore gradu moueri: mox vbi propè inſtat miles, curſu hoſtem impetere iubent?
An quòd motus calorem, hic verò audaciam excitat? è cõtrario ſi frigeſcat ſanguis, timidos, ſegnes, ac veluti rigentes reddit? Porrò nihil æquè frangit hoſtiles animos, atque alacris congreſſus. Indicio eſt, quòd aduerſus iam inclinantes hoſtes, vel aliqua ratione perterritos, ignauiſsimi quique audaces euadunt. Scitè igitur Cæſar de Theſſalico conflictu loquens, Pompeium reprehendit, quòd lentè & ſilenter in hoſtem copias mouerit.

II.

Cur ſonos & turbarum, & tympani, vel ſi quos grauiores ars excogitauit, pugnaces facere opinantur?
Num quia illis animos componi putant, furijs agitatos & ira: atque vnà torpore omni diſcuſſo corporis molem agiliorẽ reddi? Neq; id immeritò: Sonus enim quòd præ cæteris animæ ſedem attingat, pro ſui ratione mollire, demulcere, perterrefacere, ſomnum conciliare, turbare animos, iram ciere facilè poteſt. Quibus ſanè modis & corpus vnà afficitur, languet, inflammatur, horret, contremiſcit. Videmus enim ſerræ ſtridorem, tametſi nihil terribile ſecum ferat, horrorem quendam, atque inæqualitatem, cùm primum auditur, toto corpore excitare.

III.

Cur furentes, aut vehementiore ira, vel morboſa quapiam vi, aut ebrietate, alioqui ignaui, formidabiles fieri ſolent?
An quòd qui inſanit, timore vacat: qui verò nil timet, fortis præter modum euadit? auget nanque vires audacia, quas frãgit metus. Si itaque hic abſit, meritò & audacia in animo ingens, vireſq; corporis ferè inſuperabiles fient. Quare cùm vultu, geſtiſque minax quiddam, atque impauidum præſeferant inſani: præcellentes vires, præci-

præcipitemque eorum audaciam, qui compos mentis fuerit, iure expauescet.

IIII.

Bellica tormenta, quæ sibi iuniores effinxerunt, admirationi vnicuiq; sunt, cum horrifico illo strepitu, tum impetu eo, qui vel fidem longè excedat: siquando, quo pacto extrudat, dissipetque, & omnia tametsi durissima comminuat, animo peruolas.
Hæc igitur vniuersa ex natura ignis præcipuè euenire videntur: quippe quemin maximam agi molem, atque amplissima locorum spatia occupare, dum gignitur, sit necassarium: vtpote corporum omnium maximè tenuem. Pone ergo materiam aliquam, quæ facilè ignem concipiat, in arctum quempiam locum, vi multa cogi, dehinc ignem admoueri: igitur momēto & ignis fiet, & vasta locorum spacia occupabit. Simul enim fieri ignem, & debitam sibi magnitudinem asciuisse oportuit. At si temporis momento in grandia spacia diffundi debet, siquà patet exitus, eà vi multa erumpet. Non ignarus horum eius machinę autor, omnibus ritè excogitatis, in ęream, ferreamúe machinam materiam, quæ facilè ignem conciperet, vi coegit, ora, exitus, totius comparatione angusta commentus, quò velocissimæ ignis eruptioni non suppetant. Attamen necesse erat velocissimè erumpere: siquidem (vti positum est) spatij vastitatem velocissimè occcupasse oportuit. Sphæram obiecit, tum vt cauum conuexo aptè quadrans, omnéque obstruens meatum, ignem cohibeat, atque inde impetum, qui explicari nequeat, nanciscatur: tum vti extrusus lapis, ob eiusmodi figuram celerrimè rotetur: hac enim ratione validius multò feriet. Iam igitur tum eas, quæ propositæ sunt, tum alias quoque quæstiones, siquę occurrant, diluere facile fuerit. Quod enim vi multa erumpens ignis, vnà lapidem ac circumfusum omnem aerem impellit, horrificus ille fragor, & obiectorum corporum comminutio oboritur: ille quidem vehemēti agitatione, hæc verò motus velocitate, quæ nimirum tāta est, vt vix animo concipi queat: nam quod vis impultrix, velocitate auctior semper euadit, passim docet vsus.

V.

Cur si nusquam pateat exitus, aut admodū exiguus, ipsamet machina tametsi durissima, diffringatur? qua ratione & cuniculis muros, montesque diffringere commenti sunt.
An quòd ignita materia arcto vase amplius cohiberi nequit: neque iterum velocissimæ eruptioni meatus respondet? Idem fiet, siquādo aut maiore copia, quàm par sit, aut maiore vi materia intrudatur. Nam si iusto amplius os pateat, aut nullus, aut certè multò

ſegnior impetus apparebit.

VI.

Cur tametſi tam breui tẽpore machinam ignis attingat, attamen ſtatim tota incenditur?

An quòd ignis, ſiquâ licet, erumpere tentat? quare vel in anguſtiſsimos quoque meatus penetrare enititur.

VII.

Quî fit vt nõnullos, qui non modò nullis nos beneficijs affecere, ſed neque antea quidem de facie nobis cogniti ſunt, amemus? An gerit vnuſquiſque in vultu, velut in tabella, depictum animum, colligitque etiamnum rudis homo indolis ſeminaria quædam, quibus animi quoque mores conijciat? hinc amicitiæ, hinc odij primordia exiſtunt. Surrepit autem innata hæc notitia & inſcijs quoq; nobis: quamobrem nec ſi rogeris, ſatis rationem afferre poſsis, cur hunc ſtudijs proſequaris, hũc verò abhorreas. Indicio eſt, quòd ſi forma inſignes fuerint, his quoque iucundi ſint, quibus nulla de voluptate ſollicitudo eſt, iucundos namque animi ſui mores vultu pręſeferunt, tametſi non raró iudicium decipi contingat.

VIII.

Igitur ſæpe accidit, vt quos primo ſtatim congreſſu oderimus, miteſcẽte indies animo chariſsimi demũ ſint nobis. Contrà quoſdam qui initio chari fuerant, procedente tempore oderimus. Prior enim ille vbi ſecum familiarius vixeris, poterit morigeris ſuis dictis factiſque placere, atque amorem tempore conciliare. Euenit quoque non raró, vt qui minus elegãti ſunt forma, eos dote aliqua ingenij natura compenſet, qua ſanè gratioſi ſint. Hæc itaque initio latitabãt, vt quæ non perinde ac forma, ſtatim conſpici poſsint, ſed longa potius cõſuetudine eluceſcunt. Sic igitur & quos nobis forma cõmendabat, quòd ſcilicet animi morum fidem faceret, detegit conſuetudo: plurimum enim ab innatis moribus educatio animos ſeducit.

VIIII.

Cur nonnulli amore inuiti detineantur, nec vi vlla validos (vt ille inquit) Veneris valeant effringere nodos?

Amor habitus quidam eſſe videtur, qui animũ tantopere deuinxit, vt iugi motu & vehementi in id quod amat feratur. Eiuſmodi habitum aſsidua eiuſdem formæ contemplatio peperit: poſtmodum admiratio & cupidò eò deduxere, vt vel inuitos detineat. Sicut enim in habitibus reliquis, luce mentis obruta, omnino vi habitus, atque ex ipſius impulſu ferũtur animi: ita & amori nemo obluctari

luctari valet. Necesſitatē hanc luculenter expreſsit Lucr. cùm ait:

Nam ſi & abeſt quod amas, præſto ſimulacra tamen ſunt
Illius: & nomen dulce obuerſatur ad aures.

Hinc fit vt perinde atque habitus cæteri, magnis duntaxat animi motionibus, temporisque longitudine aboleri queat.

X.

Cur aliquæ, tametſi vel ex ætate, vel morboſo quopiam affectu turpes euaſerint, adhuc tamen amentur?

An igitur falſum eſt quod phyſici dixere, Venerem cupidinem parere? An peperit proculdubio Venus amorem hūc? Verùm quæ corpus dehoneſtant, qua via quî cæcus eſt agnoſcet? aut quorſum agnoſcat, quî improbare nequit? vel cur improbet, quæ mox amplexari cogetur? Rectè igitur Flaccus, Amatorem (inquit) amicæ, turpia decipiunt, cæcum vitia: aut etiam hæc delectant. Fit tamen ſæpius longo temporis interuallo, vt vitia illa corporis antiquæ Veneris memoriam deleant, atque inde marceſcat amor.

XI.

Cur amantes exemptum ſibi cor reſtitui precibus efflagitant? An quia cor & agnitionis, & appetentiæ ſedes vulgò eſſe cenſetur? At cuncta hæc in vnum id, quod amatur, conceſſerunt: Nam ſi quid viderint, legerintúe, aut cogitarint: ſiquid demum animo moliátur, dulcia illico ſimulachra occurrunt, quæ ad ſeſe cor totum, hoc eſt, omnes cordis præcipuas vires arripiunt. Hinc itaque quaſi furto ſublatum ſit, ſæuaque oppreſſum ſeruitute, ſibi reſtitui poſtulant.

XII.

Cur qui perditè amant, leui alioqui momento ſuccenſere ſolent? An quia iniurias, tametſi leues, graues iudicāt? durum enim eſt, atque admodum angere ſolet, ſiquid ille in te committat, cui maximè placere ſtudeas. Cæterùm ſicuti quî aduerſus habitus propenſionem quippiam facere enitebatur, dolet ſtatim: ita & amantem mox rixarum, & odij pœnitet: rurſusq; ſupplex iugum, ſubacta ceruice reposcit.

XIII.

Cur vſu venit nonnunquam, vt illam ament, cuius potiūdæ nulla nobis ſpes eſt, cùm nuſquam aditus pateat? Attamen Cupido aut præteritæ voluptatis memoria, aut futuræ expectatione, tum excitari, tum foueri ſolet.

An amoris primordia, propterea quòd tenuia admodum ſunt, & exigua, nos latent? Quare non ſecus, ac feræ montibus errantes, in

plagas imprudentes ferimur. Et ſi igitur ſpes nulla fruẽdi eſt: at ipſo tamen aſpectu primùm ſpecies oblectat, mox abſentis memoria recurſat. Voluptatem itaque (vt ait ille) pręſagit muta cupido.

Hincque dies gliſcit furor, atque ærumna graueſcit.

Hanc mutá ſcitè dixit, quòd tacitè irrepat, & paulatim indies incrementa ſuſcipiat. Dum igitur adhuc perſtabat ratio, necdũ amore fuerat labefactata, nunquam ea ſperaſſet, aut immodicè concupiſſet: Aſt vbi ſic afficitur, nil inexorabile, nil inexpugnabile ſeſe offert, abundeque ſpes ſuppetit cuiuſuis rei, quanquam arduæ, potiundæ.

XIIII.

Cur ſi amantem voti compotem facias, amorem breui langueſcere ſenties?

An quia parua fit ardoris violenti pauſa, parũper (vt inquit Luc) qua interim & ſeſe recipere animus queat, exactiusq; admiſſa luce ſcrutari, ſiqua ſunt quæ animũ eius, corpusúe dehoneſtent? Neq; enim diu celari poteſt, quá famulę lõgè fugiũt, furtimq; cachinnãt.

XV.

Cur qui in omne voluptatis genus proruũt, vt ſcurræ, vt cõmeſſatores, vt lenones, minus amore capi ſoleant: contrà liberaliter inſtitutos, & ingenuos viros, non rarò peſsimè afficiat? An quia quod morbum ſanare poteſt, idem ſi etiamdum fiat, longè poteſt auertere? Animũ igitur ad plurima variaq; diſtrahere, quàm longè amorẽ fuget, cùm vſus doceat: doctiſsimè tamen admonuit Lucr. vbi ait:

Sed fugitare decet ſimulachra, & pabula amoris,
Abſterrere ſibi, atque aliò conuertere mentem:
Nec retinere ſemel conceptum vnius amorem.

XVI.

Num his aduerſatur, quod in adagio dictum eſt, Sine Cerere & Baccho frigere Venerem? (Et rurſus, ἐν κενῇ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως οὐκ ἐστὶ· πεινῶσι γὰρ ἡ κύπρις πικρά.

Vtrunque profectò hominum genus minus vim amoris admittit, quibus ſcilicet victus inops, & ventri dediti. Inopia nãque tum corpus ſemiægrũ reddit, tum ex neceſsitate aliò auertit animum. Rurſus qui vino madent, curarum obliuiſcuntur. Diſsipat nanque Euius (vti Flaccus inquit) curas edaces: nimirum igitur, ſi amorem obliterare, nedum arcere queat.

XVII.

Cur amorem flammæ, ignisque vocabulo ſignificari mos eſt: ſeque abſumi incendio amantes queruntur?

An

An quòd sequaces, grauesque, alteq; animo defixas curas, aptius explicare nequiuere? An quòd quæ ignis semel corripit, tū grauissimè afficit, tum ad internitionem quoque exedit? Porrò amoris comites, solicitudines, iræ, cupiditates, desperatio, spes rursus, vigiliæ, inediæ, non secus atque ignis, quicquid roboris, quicquid humoris viuifici inest, cito absumunt.

XVIII.

Cur ardentius amant qui amorem cohibere coguntur?
An quia nulla ex parte potiūtur? nam extremis quoque lineis amare tutò vix licet: at ea ratione mitiorem reddi dictum est, si inquam amās aliqua ex parte fruatur. An qđ multò peius afficitur, qui ne vllum quidē leuamen habet? qđ neminē cōsulere, aut alloqui audeat.

XIX.

In timore pariter atque ira principio in penitiora retrahi calidū omne cernimus. Tametsi in iratis audaciam, promptitudinemque efficiat: Contrà in his qui expauescunt, vires tum animi, tum corporis funditus euertantur. Corpus enim vniuersum contremiscit, alui & vesicæ excremēta, sponte sua dilabuntur, perit memoria, vox faucibus hæret.
Atqui videntur cuncta ea ratione oriri, quòd pereunte spe omni, atque audacia, anima suorum oblita munerum, corporis curam omittat. Quo circa & nonnulli præ metu interiere.. Itaque tametsi initio sanguinē in medium, velut in arcem cogat, sicuti & in ira: tantum abest, vt ibi feruorem, & calidum augeat: quin potius quòd à nulla vi regatur, sponte sua, velut in his qui morti proximi sunt, delabitur. Quare vniuersa animantis organa, donec resipiscat anima, rursusque administrationem suscipiat ad motiones penitus inepta visuntur. Scitè itaque Poeta cecinit:

Palluit, & gelidus coit in præcordia sanguis.

Quòd enim minimè ferueat coactum, neque vti in iratis accidit, in summa corporis rursus efferatur, iure gelidum nominauit.

XX.

Cur igitur in prouerbio dicitur, Timor addidit alas?
An falsum est timorem vires augere? verùm spem potius, quæ sese offert aliquando, dum timore premimur. Spes nanq; nonnihil ilico audacię producit: quare calor euocatur, gliscitque: Iam enim vires colligit animus atque impetum facit, quæ omnia increscunt, simul ac spes auctior extiterit. Quoniam igitur corporeæ motiones vnius voluntatis imperio parent: quid mirum segnes trementesq; prius, mox audaces, pernicissimosque fieri? quando illuc vires animi

omnes corporisque contendunt. Plurimum verò ad celeritatem conducere existimandum est, quòd incomoda, si quibus interim afficiantur, minus sentiunt. Non altæ rupes, non saxa obuia, non vepres, non flammæ fugientem deterrent, aut remorantur. Nonnulli enim (vt eos mittam, qui prçruptis montibus se prçcipites dedere, aut fluminibus absorpti sunt) cursus celeritate, & longitudine, prçfocati interiere.

XXI.

Cur iratis quibusdam oculis micat acribus ignis: alij verò pallēt?
In his qui irascuntur omni ex parte corporis in cor ferri confertim sanguinem certum est: atque ideò extima omnia sanguine nōnihil destitui, vti de timentibus diximus Contingit tamen alios longiori tempore, alios breuiori pallere, rursusque rubore suffundi. In quibus nanque bilis abundat, quòd minus sanguinis obtineant, diutius pallent: qui verò sanguine pleni sunt, breui sanè tempore. Primùm igitur in cor, velut in arcem coactus, ex vltionis desiderio sanguis efferuescit: Inde audacia increscit, atque ad extima rursus, præcipuè verò sensum organa sanguis spiritusq; impelluntur: tum quia viciniora, tum quòd his maximè, vt instrumentis, vtitur anima. Verùm nonnūquam motiones eæ tanta celeritate fiunt, vti visum effugiant.

XXII.

Cur eos qui diutius ex ira pallent, implacidiores sæuioresque iudicamus?

An quòd argumento eo, corporis temperaturam conijcimus? quòd enim pauci sanguinis sint, atque atra vel amara bile abundantes, benignitate succi illius quàmminimum participant. Sanguis enim tametsi pronos ad iram animos effingat: clementes tamen, & placabiles reddere solet.

XXIII.

Cur ocyus ex ira sese colligunt nonnulli, alij contrà serius?
Citius profectò ij, qui leuissimis de causis irasci solēt: vel sibi id per naturam, vel ex malo habitu contigerit. Horum nanque animus par uo momento huc vel illuc impellitur. In causa aiunt esse Physici vel capitis paruitatem, vel omnino totius corporis breuitatem. Illud quidem, quod cordis feruorem cerebri tepiditate temperari non sinit, vnde & in iram procliue est. Alterum verò, facit vti in angustū coactus sanguis, natura calidior sit, facileq; efferueat.

XXIIII.

Cur quos puduit, rubore ilico vultu suffunduntur (inde enim erubes-

erubescentia dicta est) cùm pudor timoris genere comprehédi videatur, timentes verò palleant?
An pudor mistus quidam affectus, ira timoreque est? succenset namque tum alijs, tum sibi, qui detegi ea videt, quę nolit. Quòd igitur ira timorem in conflictatione ea animi exuperet, sanguis quoque dum modò introrsum, modò extorsum mouetur, in summa tādem corporis protrusus figitur, quousque animi motus sedetur.

XXV.

Mores hominum pro regionis, quam incolunt, diuersitate, non diuersas modò, sed & oppositas (vt ita dixerim) rationes subire videntur. Qui nanque ad Arctum incolunt, immanes sunt, & efferato animo: temerè quoq; in omne vitæ discrimen ruunt: attamen animo simpliciores illos cernere est, & minimum vitæ fraudibus exercitatos. Qui verò ad Meridiem, timidi sunt, assentatores, perfidi, insidiosi, simulare ac dissimulare edocti. Huius rei causam non immeritò quis ambientis aeris conditionem esse existimauerit, quæ scilicet plurimum situs ratione euariet. Quòd enim ex corporis temperamento (cuius nimirum ambiens prima causa existit) mores quoque animi discrimem sortiantur, iam antea naturæ coniectores (φυσιογνώμονας Gręci dicūt) posuere. Sunt igitur Septētrionales viri calore præpollentes, viribusque: Australes contrà imbecilli. Quam rem cùm corporis habitus satis mōstrat, tum ratio ipsa confirmat: quę nimirum ex ipsa rei natura fidem facit. Frigus nanq; durare, robur præstare, caloremque augere animanti potest: Aestus contrà, emollire, debilitare vires, & omnino calidum innatum imminuere. Quod enim in nobis tēporum vices efficiunt, idem in ijs cœli natura. Porrò frigidiuscula animalia, quanquàm timida & imbecilla existant, attamen ingenio acri visuntur, quòd minus perturbationis sentiat anima. Commouet enim calidum, turbatque ingenium, quod ebrij & irati testantur. Quare tum ex necessitate (cœli inquam ratione) hæc omnia contingere videntur: tum melioris gratia, optima scilicet naturæ dispensatione, ita institutum est, vt quæ timida sunt & imbecilla, astu & artibus sese tueantur. Contrà quæ calida cùm sint, viribusque pollent, atque audacia, quòd nullo alio egeāt, simpliciori ingenio prædita sint. Quam rem cùm in omni animantum genere natura obseruarit, tum præcipuè in homine verum esse conspicitur, quòd eius mores nobis magis innotescant.

XXVI.

Animalium alia quidem perpetuas inimicitias in inuicem exercent, alia verò statis duntaxat temporibus: è contrario nonnulla & cum ijs quæ sui generis, & quæ alterius sunt, ineunt societatem.

At qui duæ præcipuè dissidij causæ assignari posse videntur, altera cibi ratione, ob venerē altera. Igitur inimicitiæ, quæ ob cibi quæstum oriuntur, perpetuæ inter ea animalia sunt, quibus ijsdem ali, & ijsdem versari locis natura dedit: prȩsertim si victus inops, neque adeò paratu facilis fuerit, vt in ijs, quæ venatione pascuntur videre est. Nam si rursus pabuli copia suppetat, fieri poterit, vti gregatim pascantur animalia, siue eiusdem generis sint, seu diuersi: vt oues, vt capræ, vt iumenta omnia. At quæ propter Venerem accidunt, haud equidem perpetuæ sunt inimicitiæ: sed cùm primum iniri fœmina patitur, quo tempore mares, non sæuiores modò euadunt, sed & riuales omnes insectantur, atque oppugnant.

XXVII.

Cur igitur fieri dices, vt in eodem animantium ganere, mas tametsi lacessitus, fœmellam non feriat?
An quòd mas generosior, fœminæ petulantiam contemnat, atque vlcisci dedignatur? An quod veneris appetentior, ob diutinam expetitæ voluptatis expectationem, iniurias æquo animo fert? vix enim exigua anni portione fœminȩ iniri patiūtur, homine excepto: Contrà mas semper est coire paratus. Quin & ea de causa fœminis subblandiri mares solent, quò apud eas gratiam promereantur.

XXVIII.

Cur exectione, adeò tum habitu corporis, tum moribus immutantur animalia? mollitie nanque, & voce omnino fœminis quamsimilimi: moribus quoque ita euariant, vt secordes pauidique, atq; vno verbo ἄθυμοι efficiantur.

Mirum profectò est, ex initio adeò exili, grandem illam insequi commutationem naturæ: Est enim quod exciditur quodammodo superuacuum, si vitam spectemus: ac tantummodo propagationi deseruiens. At videmus nihilominus alia quoque euenire eiusmodi, quæ fidem magis excedunt: quando nulla ex parte affecto corpore, moribus animal adeò immutari contingat, vt licet mas sit, fœminam omnino prȩseferat. Gallina nāque si semel marem excuasserit, aut pugnās vicerit, cucurritu primū gallos imitari incipit, postmodum & reliquas fœminas supersilire audet. Contrà mas victus, quasi iniri posset, sese in terram demittit: quod quidem quasi portentum rustici execrantur, atque occidunt. Neq; cessat ferocia hæc, & alacritas, donec in corpore quoque notis quibusdam elucescat: crista enim rigidior erigitur, & cauda: mas contrà demittit, & languet. Cùm igitur sola animi mutatione tanta in animante diuersitas contingat: quid mirum fuerit obsecro, si vbi flagrans amor, & libido è medio tollatur, ignauum atq; iners fiat, feruore inquam

vniuer-

vniuerso sanguinis languescente: deinde pereũte virilitate omni, corpus plus iusto humidum, ac molle, atque vno verbo fœmineum euadat? Quòd autem ita sese res habeat, iudicio est, quòd si qui marium natura minus auidi venereorum sunt, vultu, gestisq́;, & voce, non dispares castratis videntur: contrà fœminę natura libidinosiores, hirtæ magis sunt, & durioris carnis, voceque & motione mares ferè æquant. His adde quod quo tempore mares ad coitum concitantur, quo (inquam) tempore virilitatem maximam præseferunt, duriorem carnem, gustuque & olfactu virosiorem obtinent: calore scilicet præter modum eo tempore excitato, atque exurente. Quòd si qua viribus præstant, vt quę serratos habent dentes, & carne vescuntur, sæuiora tunc temporis, & audentiora experimur. Parit itaque libido sanguinis feruorem, audaciam, alacritatē: inde durum, hirtumque corpus efficitur. Quòd si libido extinguitur, secus omnia euenient.

XXIX.

Cur frequentius coeuntes, & si coitus appetentiores sint, quàm reliqui, minus tamen ex eo voluptatis capiunt?
Cupido coeundi turgente vase seminario innascitur, cùm semen ad excretionem sui irritat, titillatque. Sicuti verò in reliquis, quæ cùm onerosa sint, è corpore excernũtur, eo plus delectationis sentitur, quo plura & acriora congesta erant: itidem & in seminis excretione contingit. Cùm enim voluptas inde oriatur, quòd leuari se animās sentiat, ab his quę ad excretionē sui proritabāt: siquidem crebro excernantur, duplicici sanè ratione minus inuehũt voluptatis: tum quia exiguo temporis spatio oneri fuere: tum quia cùm citò excreta sint, minus sibi acritudinis asciuere. Cur verò adhuc plus cæteris coitum expetant, intemperantiam in causa esse oportet: etenim appetentia, voluptatis memoria excitata, nullisque detenta habenis, sanguinem spiritumq́; eò protrudit, cupidinemque accendit coeundi. Quocirca nonnulli in immodico venereorum vsu, semicoacta adhuc & cruēta sanguinis loco excreuere. Tantum enim potest in animantis corpore cupiditas, vt naturam quoque, quæ corpus regit, leges suas aliquando prætergredi cogat.

XXX.

Igitur iure admirabitur quispiam, quonam pacto adeò magnam voluptatem, quamque omnis natura animantium cupidè sequitur, vt ait Lucretius, nulla alia ratione fieri putemus, quàm ab excremento quopiā quod sensum infestabat. Multa tamen eiusmodi rerũ naturam perscrutanti occurrunt, quæ si perpēdas, proculdubio ad-

mirari deſiſtes. Nam ſiquando ſicca, aut humida excrementa acriora ex corporis temperamento extiterint, vel ſorte quapiam præter voluntatem diutius contineantur, cum poſtmodum excernuntur, non mediocrẽ profectò inuehunt voluptatem, vbi ſeſe animás eo angore liberatum ſenſerit. Quòd ſi cui partem admodum ſenſilem ferus aliquis pruritus vexet, qualem lepra, pſoraúe, aut impetigo infert: mirum quãtam ex ſcalptu & frictione capiet voluptatem: inde enim difflatur, quicquid acre cuti inhæſerat. Igitur cùm delectatio ea, quæ venereorum vſum inſequitur, non aliam profectò originem ſortiatur, tanto vtique maior erit, quanto pars ea, quam prolificum excrementum, dum retinetur, vexat, ſynceriore ſenſu prædita eſt. Quòd verò impetus ille, quo animalia omnia, quaſi furore quopiam correpta, in coitũ ruũt, nulla alia de cauſa fiat, quàm quòd natura quippiam valde oneroſum deponere geſtiat, indicio eſt, puòd graciles & bilioſi, & omnino quibus acre ſemen aſt, plus pinguibus humidiſque ad coitum iritantur.

XXXI.

Cur ieiuni cum celerius rem veneream perficiunt, tum maiorem voluptatem ſentiunt? plurimi enim à largiore cœna ne cõcumbere quidem potuerunt.

An quia ieiunis calidum, & acrius eſt ſemẽ? Porrò quod calidum ſit, cito excernitur: quod verò acre, plus excretione ipſa (vti monſtratum eſt) oblectare debet.

XXXII.

Cur nonnullis cùm coeundi maximo tenerentur deſiderio, præter ſpem, ne minimum quidem penis intendi potuit?

An id accidit, cùm loca ea magna ex parte calore deſtituuntur? calore namque egent, vt intẽdantur. Solent autem affectiones animi quædam, aut omnino calidum refrigerare, aut in aliam regionem euocare. Eiuſmodi ſunt, Timor, Reuerentia, Ira, Cupido modum excedens, qualis amantes afficit. Timor nanque refrigerat: ceteri verò affectus calidum omne in ſummas corporis partes impellunt.

XXXIII.

Cur ſpontaneæ ſeminis profuſiones, quæ nimirum cum voluptate fiunt, vigilanti non accidunt?

An ita conſueuit natura, vti per quietem potius, ea quæ ſuperuacua ſunt, excernat? Porrò prolificum excrementum, quod vel multitudine diſtendat, vel acritudine mordeat, oneri eſſe ſolet. Hinc per notas ſibi vias maiore vi natura propellitur. Si quis enim ea, quæ

quę interim occurſant ſimulachra, excretionem hanc ſeminis ciere putet, longè decipitur: cùm potius eam à corporis commotione quodammodo accerſiri credendum ſit. Tentigo nanque quæ in ſeminario vaſe ex multo, aut acriore ſemine oritur, excernendi primum libidinem ciet: huius mox impulſu, veluti ex promptuario quodam vis ſeruatrix ſpectra depromit. perinde ac Gale. aliquando ait ἡ τῶ ὕπνῳ φαντασία (nempe quę per quietem aduenit) διψῶσι πάνυ συμβαίνει. Neque aliter rem hanc exponere viſus eſt Lucretius, cum ait:

Irritata tument loca ſemine, fitque voluptas
Eijcere id, quo ſe contendit dira libido.
Incitat irritans loca turgida ſemine multo:
Idque petit corpus mens, vnde eſt ſaucia amore.

Quãquam quod poſtremò addit, petere inquam mentem id vnum quod amat, quòd ſimulachra ea temerè occurſent, neq; plurimùm verum eſt, nedum neceſſarium.

XXXIIII.

Cur ſeminis morboſa profuſio (γονοῤῥοίαν Græci dicunt) prorſus abſque voluptatis ſenſu fiat?

An quia ſemen confertum non proruit? voluptas nanque & dolor, celeres mutationes expoſcunt. An quòd vaſorum incontinentia, quam paralyſim vocant, contingit, à qua nimirum & ſenſus magna ex parte hebeſcit?

XXXV.

Cur hos quidem rarius, hos verò crebrius, alios ferè nunquam ſominare contingit?

Somnia nec penitus vigilantibus nobis, neque altum ſomnum dormientibus occurrunt: quare ante lucano tempore, vbi ſcilicet cibus iam confectus eſt, plerunque fiunt. Quòd ſi qui capite ita natura affecti ſunt, vt altiore ſomno facilè opprimantur, rarius viſa videbunt: eritq; eorum ſomnus morti quàmſimillimus, vt Homerus inquit, quòd ſcilicet ne minimus quidem extet ſenſus: quã rem ita ſe habere, inde percipi poteſt, quòd ęgri & atra bile vexati, ieiuni item, & qui curis, & mœrore anguntur, plurimùm ſomniant: nam & leuem, & breuem ſomnum dormiunt.

XXXVI.

Cur ſomniorũ modò reminiſcimur, modò penitꝰ obliuiſcimur? An tum demum reminiſci facilè poſſumus, cùm à ſomno ſtatim expergiſcimur? euoluimus enim animo viſa, & reputamus. Quòd ſi

ſomnus protrahatur, viſorum delentur imagines, eorum exemplo quæ quis in ſpeculo viderit: ea náque velociſsimè memoria itidem excidere ſolent. An eorum reminiſcimur, quæ mane confecto iam cibo viſuntur? Cùm enim à cœna multus, turbidusque vapor ſubuolet, ſiqua tunc per viſum apparent, ſimilia his erunt, quæ per craſſiorem nebulam vix perſpiciũtur: nam quæ in clara luce cernimus, memoriæ multò altius inhærent.

XXXVII.

Cur per viſum nonnulla ſæpè nobis occurrant, quę neque antea in mentem venerant, neque excogitari quidem vlla ratione poterant? Somnia tamen ex ſpectris quæ in memoria recõdita ſunt oriri, omnes arbitrantur.

An ſimilis eſt ſomniorũ generatio ei, quam in animalium primordijs comminiſcitur Empedocles, quando fortuito quodam cõcurſu eueniſſe ait τὰ βουγενῆ καὶ ἀνδρόπρωρα? Siqua igitur vel oculis vel animo fortè fortuna aliquando occurſarint, ea per viſum iungi vnà temerè contingit. vnde vanæ illæ finguntur ſpecies. Ita náque vſus docet, raro admodum fieri, ob hunc videlicet adeò fortuitum concurſum, vt tempora, locaque geſtis probè quadrent.

XXXVIII.

Quî fit vt interdormiendum alij prorſus concidant, contrà alij eadem, quæ per vigiliam, munia obire valeant?

An ſomnus (qđ & antea diximus) aliàs morti ſimillimus eſt, quãdo non ſenſus modò omnis, ſed & vis motrix omnino deficit, reſpiratione excepta, quam etiam non ſine difficultate emittũt, quod ſtertor indicat? Qui itaq; ſic habent, tantũ abeſt, vt vigilantium actiones imitentur, vt ne moueantur quidem. Nonnunquam autem media quadam inter vigiliam & ſomnum affectione tenentur: atque hos tametſi vigilantium opera exequi videas, haud tamen exactè imitantur. Si nanque loquantur, ſi canant, blæſas, mutilasque voces profundent: ſi verò perambulent, ebrios dixeris. Siqua igitur, multo antea longo vſu edocti, per quietem facere enituntur, at perficere tamen nequeũt: quocirca actionũ potius rudiméta ea, quàm actiones dixeris. Poſſunt tamen aliqua ex parte imitari: quoniam vti dicebamus, nec mouendi in ijs facultas, nec ſentiendi penitus ſopitur.

XXXIX.

Cur adoleſcentuli, cùm primum ex ephebis exceſſere, vocem aſperam emittunt, quæ poſtmodum procedente ætate miteſcit? An dum ex acuta in grauem vox permutatur, media quædam vocis na-

tura gignitur? Hęc autē ex extremis ipsis cōflata, acuta esse destitit, neque adhuc grauitatis notas manifestas præsefert. Cæterùm quēadmodum in tactu ea aspera sunt, atque horrorem contactu incutiunt, quę partes suas inæquales, & sibi inuicē subsultātes habeant: itidem & in voce asperum & lene reperire est. Aspera nanque vox eadē ratione auditū offendit, quòd inæqualitatem quādam ex concursatione extremorum obtinet. Porrò quòd illo primum tempore permutationem eiusmodi vox subeat, caloris efferuescentia in causa est: à quo nimirū & arteria plus extēdi potest, & plus aeris dimoueri: at interim nōdum valet in extremum alterum vocem traducere. Talem itaque vocem emittūt, qualem hirci, cùm pręsertim ad coitum concitantur: nam Græci ea de causa τράγιν dixere.

XL.

Cur & ægri, & valde perterriti, vocem acutiorem reddunt?

Vox & sonus omnis (vt paulò altius ordiamur) duplicem habet differentiam: quarum altera ab eius (vt ita dixerim) quantitate desumitur: altera qualitatem spectat. Quæ igitur à quantitate, differentiæ eæ sunt, quibus scilicet ex vocibus hanc quidem magnam, elatam, claramque dicimus: illam rursus paruam, submissam obscuram. Acutum verò & graue, quamuis quantitatem ex ipsa appellatione significare videantur, re ipsa tamen vocabula sunt qualitatis. Horum sanè modorum vocis duplex genere causa reddi potest: Altera ex multitudine eius, qui efflatur, aeris: altera ex arteriæ vocalis laxitate. Etenim arteria his quidem laxior est, his verò angustior. Aer verò modò in emittēda voce plurimus, modò exiguus propellitur & expiratur. Expirantes nanque vocem reddimus. Cæterùm quòd arteriæ laxitas grauem, angustia verò vocem acutam efficiat, & pueri & mulieres ostendunt: ex viris quoque quicunque vel ab ortu ipso, vel castratione pinguescunt: illis enim suapte natura exilis arteria est: his verò pingui obsessa conniuet, quare acutū sonant. Idem & musica instrumenta demonstrant, in quibus id quod graue est, & acutum, laxitati & exilitati fistularum proportione respōdet. Porrò cantores siquando acutam vocem edere contēdunt, vi comprimunt arteriam, redduntque angustiorem: quòd si grauem, deprimunt contrà guttura laxantque. Cæterùm acuta vox & grauis, differt rursus & magnitudine, & exilitate: quam differentiā à quantitate desumi dicebam: Quam etiam ex multitudine vel paucitate efflati aeris prouenire, nemini dubium puto. Vnusquisque enim experitur, magnam elatamque vocem maiore vi fieri: quòd scilicet plus aeris dimouere opus sit. Itaque qui viribus valent, ea ratione

facilè vocem efferunt cum libet, ſupprimuntque. Qui verò imbecilli caſu aliquo redditi fuerint, ita vt neq; arteriam laxare, nec multum aeris dimouere queant, acutam vnà & exilem vocem edunt.

XLI.

Cur eos qui acutam atque elatam vocem edunt, raucedine illicò tentari videmus?
An quia dum plurimus confertim efflatur ſpiritus, gutturis extrema colliđũtur? quare muſculi qui eas partes mouent, ad vocis conformationem, commotione ea diſtracti, defluxiones promptè excipiunt: non ſecus atque hi, quos ſicca tuſsis infeſtat, qua ſanè ratione raucendo oritur.

XLII.

Cur quibus elata vox eſt, audaces natura, & iracũdi exiſtunt? An quia circa præcordia plurimum caloris obtinent? Elatam nanque vocem inde fieri diximus, quòd multũ aeris efflatur: qnod quidem à vehementiore calido fieri neceſſe eſt. Quòd igitur iratis aliquando iræ nimirum impetu accidit, id in ijs per naturã: extollunt enim irati, præ calore qui circa cor efferuet, vocem: timidi contrà præ refrigeratione ſummittunt.

XLIII.

Cur vox acuta maiore ex interuallo audiatur?
An potius non quæ acuta ſolummodo eſt, ſed quæ vnà magnitudinem quoque adiunxit, à longè auditur? Nam qui grandiori ſpatio diſtantes alloquuntur, magnam & acutam vocẽ edere ſolent. Porrò quòd acuta ſit, citò valideque permeat: quòd verò magna, integra multo ſpatio perdurat: neq; enim multus aer, facilè diſpeſcitur aut euaneſcit: at ſonus abſq; aeris motione longius audiri nequit.

XLIIII.

Cur viris intercanendũ, tametſi acuta occeperint, ſenſim in grauem vox delabitur: at pueris ex graui potius in acutam procedit?
An quia grauem vocem pueri, non niſi vi multa edunt: contrà viri acutam? Hoc autem ex his quæ diximus, ſatis liquet: quare vocis organa breui defatigari in vtriſque neceſſe eſt, atque hinc facilè in contraria dilabi.

XLV.

Cur quę in vno quoq; genere optima ſunt, & quaſi metrum reliquorum, faſtidio eſſe nobis ſolent? ſic in guſtatilibus dulce, ſic in conſonantiarum genere diapaſon, atq; in coloribus album?
An cum contraria ex diametro inter ſe diſtent, neutrum tamen eorum ſenſui gratum eſſe videtur, ſed tantùm quæ mediam quandam natu-

naturam obtinent? Ex contrarijs nãque alterum, nempe quod melioris obtinet rationem, languefacit sensoria, atque emollit: quod verò deterioris, exasperat, atque offendit. At gestit leniter dimoueri anima, quod quæ media sunt abundè præstant, quòd scilicet extremorum maxima ex parte vim habeát & facultatem. Hinc miscellas tum in sonis Musici, tum in saporibus Coqui adinuenere vti sensus ipsos citra tædium diu oblectarent.

XLVI.

Cur ex odoribus hi quidem semper, hi verò non semper delectare solent? Suffitus nanque aromatum, nunquam suauis non est. Contrà esculentorum nidor, ieiunos quidem, & cibi auidos delectat: at saturis nõ raro fastidio est, & nauseam mouet. An quòd odorum nonnulli propria ratione obtinẽt suauitatem? quare nunquam ea destituũtur. Ast alij, qui alimenti solummodo ratione iucundi sunt, quibus inquam ducibus cibum sibi quærunt animalia, nil mirum est, si quidem repleto ventre eos auersemur.

XLVII.

Cur florum nonnulli paulò remotiores olent suauius? vt nigra viola, vt mentha, vt ocymum?
An quia nimio humore abundant, quo nimirum odor hebescit? Siquid igitur calidi, tenuisq; halitus subest, id latius diffundi potest, quæ sanè odoris materia est. Ast aqueus cùm crasior sit, primis hęret marginibus, atque ibi odorato halitui sese admiscens, quòd inodorum sit, odorem interim tollit.

XLVIII.

Cur multa ex præcellentibus odoramẽtis, quibus vel ad vnguẽtorum confectiones, aut ad suffitus vtimur, naribus propius admota, offendunt: pauxillum verò dimota, mirè delectant?
An quòd vis eorum validior est, quàm vt ferri facilè queat? Sẽsoria nãque vniuersa, moderatione quadã gaudere videmus. Siue igitur qualitate sola, seu halitu quoq; medio ad nos odor perueniat (vtrouis nanque modo olfactum fieri certum est) si propius admoueantur, motu suo vehementiore, quàm par sit, offendunt. Qui rursus motus, quo à prima illa sui origine plus distat, eo ignauior euadit: quare & minus offendit.

XLIX.

Cur excremẽta eorum, qui allium gustauerint, diebus nonnullis allia olere sentiũtur. An non ita accidit, si quis nepetam, origanumúe, aut aliud eiusmodi odoratum comederit?
Nonnulla qualitates adeò valentes obtinent, vt ab innato calore

aut ægrè vinci queant, aut omnino nequeant: eiusmodi sunt & quæ vim venenatam obtinent, & quę omnino medicamentosa potestate prædita sunt. Hinc igitur eorũ, qui opium biberunt, corpus omne opium redolet: subit enim venas neutiquã immutatum. Allium igitur ex his est, quæ ob medicamentosam qualitatem vix longo tempore confici possunt: nil mirum igitur siquidem diu propriam seruet naturam, & transmutationes multas subterfugiat.

L.

Plantarum partes, seu germina sint, seu folia, floresúe, vel poma vel radix, aliæ indies odoratiores euadunt, aliæ breui odorem amittunt.

Quam rem inde oriri putandum, quòd tenuem odorem nonnulla obtineant, quique facilè cum humore euanescat. Alia verò firmiorem sanè odorem sortiuntur, quique solidiori fundamento innitatur. Dum igitur virides sunt, humentq; immodicè, humoris abundantia odor obtunditur. Porrò humor moderata siccatione corrigitur. Solent autem odorem tandem ipsa quoque amittere, si vi solis, aut vetustatis penitus contabescant. Qua in re primas partes sibi rosa vendicat, vtpote cuius odor inter cæteros flores diutissimè perduret. Proinde & temperamenti ipsius conditionem meritò Theophrastus admiratur.

LI.

Cur qui larignam resinam potarunt, siquid meierint, suaue olet: qui asparagos comederunt, deterrimè?

An quia resina visciditate, & medicata qualitate sua vix ab innato calore potest immutari? Quod igitur ipsi⁹ tenuius est, atq; odoratius, venas subit, sanguinisque serò dilutum, odoris grauitatem, siqua inerat, exuit: inde renes & vesicã petit. Asparagi verò citissimè conficiuntur: quãobrem putredinis nõnihil cito acquirunt. At cùm multa præter asparagos sint, quę putredinem facilè sentiãt, vt brassica, & fungi, & hortensis smilax: sola tamen asparagi putredo (quod nouerimus) vesicam petit, quòd vim ciendæ vrinæ non leuem ea planta obtineat.

LII.

Cur ex plantis hę quidem annuæ sunt, vt frumentaceum genus, & olera fermè omnia: hæ rursum biennio, aliæ demum ad multos annos perdurare queunt?

Videntur fœcũditate immodica annua veluti effœta perire. Sicuti enim in animante nimia seminis profusio, & corpus contabefacit seniumque celerius inuehit: itidem & plantæ, siquidem pro magnitudi-

gnitudinis ratione largius quàm par est fructificent, arescūt. Quam rem in frumentaceis præsertim vsu euenire videmus: Inde enim radix ijs inualida est, quoniam vim omnē in procreationem effundit. Indicio est, quòd ex viuacibus plantis multæ arescant, si quando largiorem, quàm par est, fructus copiam edant.

LIII.

Cur fieri dicas, vt tametsi quę arbori inseritur gemmula, alimentum omne inde suscipiat: sua tamen poma, non aliena germen edat?

An quæsisse iustum potius fuerat, cur plantæ quædam sponte sua alijs adnascantur, neque aliter prouenire queant, vt polypodium, vt dryopteris, vt viscum: propriam tamen naturam adeò seruent, vt quædam ex his fructum quoq; edant? Putandum itaque alimentum quod ex iusta arbore hauritur, quāquam pro natura illius confectum sit, adhuc tamen in germine ipso immutari, conficique, quasi nouis radicibus exsugatur: arbor verò sibi sit terræ loco, vnde scilicet hauriat. Est autem terra plantis velut inconfecti cibi promptuarium: radix oris vicem gerit, in trunco verò omnia tum conficiendi, tum distribuendi organa continent, medullam scilicet corticemque, & quod librum vocant, & fibras, quæ venis proportione respondent. Cęterùm cùm ob alimenti vim corpus vniuersum non plantarum modò, sed & animalium nōnihil immutetur, nil mirum si germen quoque ab arbore, cui adnascitur, nonnullam subeat mutationem. Quamobrem & qui de insitione præcipiunt, non quid cui vis inseri, sed naturæ affinitatem obseruari iubent. Nam si secus fiat, aut breui arescunt, vel si fructificent, longè natura sua ab alienatum fructum senties.

LIIII.

Cur serenitates, quæ noctu cœperint, inconstantes?

An quia non fiunt autore sole, sed alio syderum quopiam flatus excitante, nubesque discutiente? Porrò ille infernorum omnium dominus, versat cūcta vi sua, mouetque. Venti igitur qui post meridiem exurgunt, quòd ea diei hora maximè vigeat sol, ac dominetur, & vi maxima pollebunt, & perdurare poterunt.

LV.

Cur vesperi orta Iris, satis fidum est serenitatis præsagium, quæ mane infida, mendaxque censetur?

An quia cum apparet Iris, nulla obduci nube, aut aeris crassitudine Solem est necessrium, atque è serena cœli parte lucem in nubes diffundi? Si igitur serenitates, quæ vesperi cœperint, securiores: erit &

Iris vespertina fida satis serenitatis nota.

LVI.

Cur grues primo suo aduentu serenitatem prænunciant?
An quia secundo vento volare, ob corporis grauitatem cogũtur? Itaque non serenitates modò, sed & pluuias ex ipsorum volatu pręsagire est. Cùm verò sub Arcturum ad nos festinat ex septẽtrionali plaga, necesse est flante maximè Borea huc impelli.

LVII.

Cur pruinæ pluuias in maxima quoque serenitate prænunciant: niues contrà pluuias hybernas finire solent?
Tunc pruinæ cadunt, cùm flatus vniuersi silent, stagnatque aer: neque enim multus, crassusque vapor tepido hyberni solis calore extenuari potest, neque iterum vento dissipatur: quamobrem necesse est noctis frigiditate densatum decidere, ac circa terram congelascere. Hic igitur indies auctus, & consistentia crassior, tandem solis vim penitus frustrabitur, atque ad aquæ naturam reuertetur. Niues verò ad Aquilonem præcipuè cadunt, à quibus excitati flatus, non pluuias modò, nubesque arcere queunt: sed vehementi illa discussione aerem ipsum tenuissimum reddere.

LVIII.

Cur aduentante pluuia lapides quidam, quasi rore perfusi, madescunt?
An id præcipuè fieri videtur, cùm diutinæ imminent pluuiæ? cùm, inquam, Austrinis flatibus aer omnis vdus, crassiorque efficitur: quamuis sæpius mutationem eam minimè præsentiamus. Qua in re multa ex brutis sagaciora reperies: nostri ingenij vires ea fortasse ratione compẽsante natura. Siue enim imbribus gaudent, seu oderint, manifestò monstrant pręnosse sese eorum aduentum: veluti anseres clangore, lasciuia insolita sues hilaritatem ostendunt: contrà apes intra aluearia se continẽt, ac mœstę submurmurant: sic muscæ plus solito ora infestantes, vixque verberibus fugatæ, pluuiam ęstate prænunciant: prægrauantur enim aeris madore minutula hæc, atque imbecilla animalia. Quin & in hominum genere, siqui neruis, aut articulis laborent, nocentes pluuias multo antè præsentiunt. Cum itaq; aer in aqueam naturam properet, multoq; ac crasso vapore admisceatur, potest nimirum leui momẽto frigidi cuiusuis occursu in aquam densari. Cur verò non ab omni lapide in aquam transmutari videatur, soliditati tribuendum est. Si enim spongiosi sint, humorem omnem exsugunt, siccantque: inde mutatio ea nos latet.

LIX.

Cur decrepiti eorum, quę in iuuenta gesserint, vel didicerint, optimè meminere: quæ verò nuper acta, ilico memoria excidunt? An quia de his, quæ olim florente ætate gesta sunt, quędam veluti habitum contraxerunt? ea nanque multo tempore memoria repetita versarunt. Modò verò sensus admodum hebetes obtinent: nequeunt itaque exactæ illæ & vehementes rerum species altius affigi memorię, atque inhærere: non aliter, quàm si quis in speculo vultum proprium inspiciat, vel in obscuriori luce alterũ, aut per somnium, aut semiuigil: statim enim obliuiscitur: Tenuia nanque illa, & obscura rerum symulachra euanida sunt, facileque delentur.

LX.

Solent ea ætate repuerascere nonnulli: quod vitium qũadam instrumentorum imbecillitate prouenire putandum: cõtingit enim multis modis animæ sedem, seu ea cerebrum, siue cor sit, commoderatione ea, qua sanitas, viresque corporeæ consistunt, destitui. Vnde mens quoque languere solet. Porrò pueris nimia humiditas in causa est, senibus verò frigiditas. Solet autem senilis hæc affectio præcipuè pingues attingere, quique multo excrementitio humido abundant. (Nonnulli enim graciliores, in extrema quoque senecta ingenio valent). Illi igitur amplius, atque ocyus refrigerãtur: multum nanque humidi igniculum illum, qui animæ primum instrumentum est, præfocat, atque extinguit. Nam eadem de causa citius quoque intereunt.

LXI.

Num igitur adolescentes, memoria viris perfectis prępollere dixeris? Atqui ita esse, adeò peruulgatum est, vt vnusquisq; puerorum memoriam præcipuè admiretur.
An potius credendum est animæ functiones vniuersas (concoctricem medici excipiũt) in perfectis ætate perfectas quoq; esse? Fieri tamen aliquando, vti animi vires in plurima distrahantur, adeò vt non æquè omnes perficere queat. Id præcipuè iuuenibus accidit, quàm minimum pueris. Hæc eadem causa est, Cur bruta nonnunquam maiora memoriæ indicia præseferant, qualia in canibus pręcipuè: sed & iumentis omnibus & stolidissimo quoque asello visuntur: nihil enim his curæ est: neque voluptate alia detinentur, ab ea quæ à cibo, aut Venere proficiscitur.

LXII.

Cur mulierem barbatam execramur, viros verò imberbes? An quia monstrosum omninò est, mulierem referre virum, aut vi-

rum mulierem? An potius, quia ea cōiectura mulierem audentiorem, viribusque valere iudicamus: quippe in qua calor adeò gliſcat, vt vſque ad extremas partes fundi poſsit, humoremque perdomare, atque exurere? Confeſſum enim eſt ob frigiditatem innatam, mulieres glabreſcere. Nam calor hirta fiũt corpora, ni humor, qui pro materia eſt, deficiat. Porrò audacia ſi malitiæ iungatur, cauenda eſt. Eſt enim autore Ariſtotele mulier, ἀναιδεστέρα καὶ ψευδεστέρα mare ipſo: & omnino κακουργοτέρα. Cæterùm mares alij caloris defectu glabreſcunt, quos modis omnibus fœminis ſimiles videas: quales eunuchi, vel qui natura his aſsimilantur: Alij rurſus ob ſiccitatem, quales admodum bilioſi, aut melancholici exiſtunt. Moroſum igitur animum, atque inciuilem ea demonſtrant: Siquidem temperaturas eas vbi exceſſerint, vitia omnia inſequi conſueuere.

LXIII.

Cur mulieres quas Græci ἀντιανείρας, nos viragines dicimus, parcius per menſes natura expurgari ſolent?
An quia plurimum caloris obtinent, pro ſexus ratione, quò ſanè & nutrimentum fœlicius concoquere valent, & venarum excrementa per halitum digerere?

LXIIII.

In omni animantum genere matres impenſius prolem dilgere viſuntur. In plurimis nanque mas fœminæ iungitur, quouſque ad coitum concitari ipſam cenſerit: neque præterea rem familiarem, vel minimum curat: quaſi non prolis, ſed voluptatis dũtaxat ratione inierit ſocietatem. Quo fit vt nōnulli mares à primo ſtatim conceptu coniugia ſoluant, atque inciuiliter cum fœminis agant. Sic gallinacei, ſic pauones, ſic quadrupedes cicures, & piſcium pars nō exigua. Nonnulli verò officij quippiam initio præſtant, vt incubationem: ſed id quoque admodum negligẽter, ac per id temporis tantummodo, quo fœminam cibum capere vrget neceſsitas: ſi quidem cibus foris quæritandus eſt. Porrò à partu ferè omnes vagi ſunt, & rem familiarem penitus negligunt: quin & nōnunquam natos perſequuntur, arcentque. At fœmina diu prolem agnoſcit, ac modis omnibus tuetur. Videtur itaque parentum in natos charitatem ſalutis gratia naturam inſtituiſſe: ſed matris præcipuè, quòd id maximè natis expediret. Cùm enim animalium, hæc quidem ſtatim ab ortu ſibi victum quæritent: hæc verò parentum opis indigeant: Rurſus horum quædam lacte initiò alantur, quædam foris partis: apertum eſt, omnia hæc aut neceſſariò fœminæ opera egere, aut melioris gratia. Neceſſariò quidem in his, quæ lacte aluntur: in reliquis

liquis verò gratia melioris. Nam quia voracior eſt, venerisque plus appetẽs, vagari marem oportuit: fœminam verò aut prorſus omne aut plurimum alturæ onus ſuſcipere. Si enim lacte victitandum eſt, ſolam matrem fœtus deſiderat: ſin foris quærendus cibus, neque progredi nuper nati valeant, ſe mas ſocium pauliſper præbet, quò fœmina ſufficere queat. Sin progredi valeant ſtatim & cibum ſibi quæritare (quòd imbecilla adhuc, multis incommodis obnoxia ſunt) mater ſeſe ducem exhibet, quoad adoleſcentia robuſta fiant.

LXV.

Quidam cùm de ſalute penitus deſperaſſent, ægregia facta edidere: fortunaque commutata, hoſtes aliquando ſuperarunt: quo circa & in prouerbio dicitur, Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem. Quæret igitur quiſpiã, qua ratione id fieri queat, cùm deſperatio potius timorẽ audageat, viresque tollat: ſi quidem ſpes audaciam, viresque auget.

Cæterùm eorum, qui de vita deſperant, non vna conditio eſſe videtur. Qui nanque animo tolerandis malis, contemnendisque periculis fortiore fuerint, tantùm abeſt, vt inſtante ruina torpeſcãt, quin potius in rabiẽ verſi, vlciſci quoquo modo ſe geſtiunt. Statim itaq; timor in furorẽ vertitur, furorẽ verò vires mirũ in modum augere, antea dictum eſt. Sunt quos pudor vrgeat, ne ſcilicet inglorij & inulti cadant: itaque ex pudore ira atq; audacia. Qui verò ſocordiæ, & ignauiæ dediti, puſilloque animo, quo magis ex ſpe decidêre, eò torpidiores, frigidioresque euadunt.

LXVI.

Cur ſenex ſemper querulus, & ante acti temporis laudator?
An quòd admirationi vulgò eſſe ſtudet, quò imbecillis illa, & indecora ætas, in qua non leuis quoque dementiæ ſuſpitio eſt, decori reputetur, neque contemptui ſit, quaſi nullius vſus?

LXVII.

Cur ſi conſuetis gaudere naturam, ſapienter dictum eſt, vulgatum tamen eſt, nouis ſubinde nos delectari?
Solemus profectò præſentia ſpe melioris faſtidire, & noua ſemper inquirere, primoq; illo occurſu cupidè amplexari. Verùm hęc quoque (tanta eſt humana leuitas) quamprimum tędium afferunt, breuique ad conſueta lubẽtiſsimè relabimur. Inſueta enim, quò minus delectare queant, etiam offendere ſolent. Rectè igitur dictum eſt, Conſuetis gaudere naturam: nec minus verum eſt, quod iactari ſolet: Noua ſemper expeti: quandò in his quę adhuc abſunt, plus voluptatis ſperare eſt, inuenire nequaquam.

LXVIII.

Cur furari viros, adulterari verò mulieres adeò dehonestet, vt ad posteros quoque dedecoris nota perueniat?

Atqui sunt alia longè grauiora crimina: vt homicidia, excidia vrbium, periuria: quæ tamen dedecori nemo ducit. An vitia ea præcipuè turpia iudicant, quæ quòd admodum præter naturæ inclinationem sunt, excusari nullo pacto nequeunt? Igitur auaritiam in iuuene, in sene verò libidinem apprimè oderimus: nō alia sanè ratione, quàm quòd à sui natura longè absunt. Fœminis itaque timiditatem, ac proinde auaritiam nemo vitio vertit: quòd sexus proprietatem insequatur. Cum verò per naturam minus in Venerem concitentur, si quidem pudicitiam suam prostituát, sola animi despectione, atque sordicie id videntur committere.

Nemo iterum in mare salacitatē & adulteria adeò notet: hoc enim quamquam vitium, attamen à maris natura alienūm non est. At furari, ignauia & pusillanimitas suadet. Quæ cùm non ex sexu, non ætate proueniat, perpetua naturæ ipsius comes esse cēsetur. Quam sanè indolem maximè execramur, atq; oderimus. Qua verò ratione maiorum decora posteros nobilitare solent, quòd in ijs virtutum quasi seminaria quædam superesse credimus: ea sanè & dedecora posteri hæreditant.

LXIX.

Cur fieri dixeris, vt cùm in brutis fœminæ præ maribus ferè mutæ videantur (garriunt enim mares, canunt, vociferantur, & omnino fœminis sunt vocaliores) in homine contrà, mulier viro loquacior, solentque mulieres prouerbio loquacitatis taxari?

Loquacitas vocalitasque omnis aliàs naturę impetu prouenit, quibus scilicet multus circa præcordia gliscit calor, quo sanè hilaritas & promptitudo, & omninò mobilitas paritur. Cùm itaque mares calidiores sint, nil mirum si ad voces edendas promptiores quoque fuerint: præcipuè cùm ad venerē cōcitantur, nam calore tunc temporis plus habundant. Idcirco castrata ilicò obmutescunt, quasi refrigerata torpescant. Hanc sanè differētiam præcipuè in auibus obseruamus, quòd hoc genus animátium cæteris vocalius esse videatur: quod luculentissimè Lucretius cecinit, cùm inquit:

Aeriæ primùm volucres te diua: tuumque
Significant initum, perculsæ corda tua vi.

In homine verò, si quidem tenellos, neque adhuc rationis repagulis coercitos consideres, masculos itidem fœminis vocaliores esse comperies: neque id ijs, quòd natura insit, vitio vertitur. At procedente

dente ætate viri, quoniam diutius pẽsitát, voluuntque animo: consultius quoque, ac serius verba exprimunt, quæ antea mente conceperunt. Quòd si ingenio leues fuerint (quod vitium ferè bili ascribitur) nullis mulierculis loquacitate secundi erunt: quæ res, vtpote præter virilitatem, odiosa omnibus existit. Igitur mulier de puerili illa garrulitate nihil demit, ob insitá ingenij leuitatem: multa enim & varia semper animo versat, celerrimeque deliberat, quare plurima quoque ad manus habet, quæ loquatur. Cæterùm sicuti modicè tarda eloquutio venustatem affert & cõmendari solet: Ita quæ modum excedit, ruditatis nota esse videtur.

LXX.

Cur pueri & mulieres ad lacrymas promptissimi sunt, proximè hos decrepiti, minimè omnium viri: ita vt illacrymari ea ætate indignum videatur?

Lacrymæ pluribus de causis oriri videntur. In his enim qui aut sternutantes, aut solem incõniuentibus oculis inspicientes lacrymãtur, expresione quadam fieri dixeris, cùm caput noxium quippiam tẽtans propellere, vnà excrementitias humiditates exprimit. Qui verò effusè rident, aut vehementer tussiunt, eo quòd spiritum contineant, lacrymantur: inde enim efferuescit sanguis, caputque inflammatur: quare excrementa funduntur, ac defluunt. Cur verò mœrentibus lacrymæ oboriantur, non satis apertum est. An tunc demum illachrymamur, cum quos misericordia prosequimur affligi videmus, pręsertim si ijs malis propulsandis neutiquam satis esse possumus? Si enim aut ira subrepat, aut auxilij spes aliqua, tantũ abest vt lacrymas fundant, vt potius vlcisci quærant, vel de præsidio consultent. Cæterùm cùm auxilij pariter & consilij inopes sumus, cernimusque nobis charissimos dolere, statim lacrymæ oboriuntur: ea sanè ratione, quòd animus noster consentiat, atque vnà affligatur. Itaque cerebrum intelligentiæ sedes, vnà patitur, nec dissimilem efficit motionem, quàm mali quippiam propellere tentaret, exprimitque vnà lacrymas. Nam quòd animus noster imaginatione mali sæpè consentiat, ita vt illiusmet affectus quædam ceu imago in ipso generetur, multa sanè monstrant: læti enim nos quoque exhilarant, mœsti mœrentes reddunt. Nec minus in corpore motio quædam inde sæpè apparet: Siquando enim acerba aut acida mandentem inspeximus, proritatur saliua, atque omnino quid simile lingua patitur. Sic vbi oscitantem inspeximus, aut meientem vtriusque desiderium non rarò irrepit, quanquam per naturam ea excretione corpus minimè egeat. Cur verò pueri, & mulieres, & omninò viribus imbecilli præcipuè illacryment, animi mollicies in

causa esse videtur, ob quam statim concidunt, & desperant, eaque veluti nota, mœrorem, & misericordiam præseferunt. Porrò viros lacrymæ dedecent: & misereri quoque, si Stoicis credimus. Neque enim animum despondere facilè debent, qui viribus & cõsilio pollent. At si ineuitabile malum vrgeat, in lacrymas fortis non funditur, neque dolori cedit: verùm obluctatur adeò, vt angoris eius notæ nulla ex parte in corpore elucescant. Sic de Aenea Virgilius:

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.

LXXI.

Cur si lacrymæ dolore animi excidũt, multos tamen videas præ lætitia lacrymari?

An hi inter cęteros mollissimo animo censendi sunt: siquidem prę̨teriti tantũmodo mœroris & lacrymarum recordatione, sui misericordia commouẽtur, atque illacrymãt: voluũt enim illico animo quandiu anxerint sese exoptatæ rei desiderio, quantumq; fuderint lacrymarum.

LXXII.

Cur velox augmẽtum nota est vitæ breuioris? Sic enim Aristoli placet, qui cùm de cerui vita fabulosas quasdam narrationes refelleret, ita inquit, ἥ τε κύησις καὶ αὔξησις τῶν νεβρῶν συμβαίνει οὐχ ὡς μακροβίου τοῦ ζώου ὄντος. Idem experientia quoque compertum: Arbores enim quæ celerrimè adolescunt, vt persica, vt prunus, vt cerasus, cito quoque intereunt. At pinus, abiesque, & annosa vlmus, multa virûm (vt ait ille) durando secula vincunt,

An quia humidum innatum dilutum, & omnino aquosum sortita sunt? quod enim eiusmodi est, sicut breui extenditur, ita celerrimè difflatur, atque arescit. Contrà quæ oleosum aut resinosum humidum obtinent: quòd lentore suo serò extenditur, non nisi longo tamporis spacio arescit. Ita enim in externis fieri videmus: Aquea namque corpora celerrimè igne consumuntur: at resina, aut pix, aut oleum diu perdurant, nec facilè absumi queunt.

LXXIII.

Cur masculini fœtus celerius in vtero perficiuntur: cùm ab ortu fœminæ citius & adolescant, & ad ætatis vigorem perueniant?

An quia semen, ex quo fœmina concipitur, humido quidem prę eo ex quo mas gignitur, abundat, sed calore vincitur? itaque pusillus ille calor conceptionis initio humoris multitudine ferè opprimitur, neque concoquere & perdomare materiam potest, è qua fœtus conformatur. At vbi postmodum adoleuerit fœtus, sensim emergit, & viget: itaque extendere, & augmentum facere satis valet. Celerius pro-

rius pro-

riũs profectò quàm in mare: quoniam humidum ipſius plus aquę naturæ præſeferat: inde enim vniuerſim augmenti celeritatem fieri dicebamus. Quòd verò humidum ex quo fœmina cõcipitur, tenuius ſit, & aquoſius, nõ modò naturæ ſpectatores in ſemine obſeruarunt, ſed & inde cõijcitur, quod tota vita maribus humidiores cùm ſint, citius quoque areſcunt: ſenectus enim ſiccatio quædam eſſe videtur.

LXXIIII.

Cur pone aquæ phialam, quæ ad ſolem conuertatur, multa exũruntur: quæ verò candorẽ egregium habent, nihil læduntur? Quòd exuſtio radiorum coalitum fiat, caua nimirum ſpecula ſatis monſtrant: niſi enim qua parte radij concidunt vniuerſi quod ignem concipere debet admoueas, minimè incenditur. Siquid igitur in ſeſe incidentes luminis radios cogit ac congregat, id proculdubio exuri neceſſe fuerit: quod verò fundit, diſgregatque, vt quæ plana ſuperficie ſunt, præſertim ſi læuore participent, & quę egregiè candicant, ea ſanè de cauſa vim ſolis non admittunt.

LXXV.

Cur ſulfur ſicco calore liquefiat, humido nequaquam?
Non ſulfur modò, ſed & alia quamplurima eius naturæ videntur, vt ſicco duntaxat calore fundantur. Rurſus alia & à ſicco, & ab humido. Quæ igitur prioris generis ſunt, vt ſulfur & metalla omnia, cõmunẽ aliquam naturam nacta ſunt, ob quam ab humido exurente non liquentur, quam ſanè ſcrutari oportet. Sunt igitur nõnulla ſolidiore concretione producta, in quibus nimirum, fuſile humidum plurima terreſtri portione obruitur, ac detinetur. Atque hæc noniſi à ſicco funduntur, eò quòd acrior vis eius ſit, qua validius, penitiusq; imprimat, & ſegreget. At quæ poſterioris, vt cera & reſina omnis, molli concretione coaleſcunt, minuſque terræ obtinent, molemque laxiorem, ita vt à debiliore calido fundi poſsint. Cur verò in vtroque genere, alia celerius, alia ſerius liqueſcant, ex humidæ portionis quantitate euenire putandum, vnà & molis dẽſitudine. Etenim fuſio, latentis humoris euocatio eſt.

LXXVI.

Cur cera facillimè oleo confunditur, non vino, non aqua?
An quòd ſimile ſimili facilè admiſcetur? Cera igitur, & quæcunque pingui atque aereo humido abundant, vt reſinę, & plantarum ſucci qui facilè ignem concipiunt, cognata oleo ſunt, ideò & ſtatim vnà coaleſcunt. At quæ natura diſpari, oleo confundi nequeũt, quale papaueris ſuccus, & hypociſtidis, qui tamen vino aut aqua fa-

cillimè permiſcentur.

LXXVII.

Cur cadauera eorum, qui abſorpti aquis periere, primũ quidem ima petunt, mox tertio vel quarto die in ſumma ſenſim attolli incipiunt?
An tũc attollitur primùm, cùm putredinem ſentiũt? quo fit, vt hyeme ſerius hoc accidat. Putredo verò ea ratione corpora leuiora facit, quòd calorem adiunctum habeat: qui quidem dum corpora diſſoluit, fluatuoſo ſpiritu cauitates omnes cadaueris replet: vnde & aquæ ſubſidere nequit.

LXXVIII.

Cur grues dum volant, pyramidem ſemper deſcribere viſuntur? An quia graues cum ſint, immẽſa tamen aeris ſpatia præteruolant? quo igitur minus defatigentur, ſeſe in omnem volandi facilitatem componunt, protenduntque crura in auerſa: (neque enim vt cæteræ aues, ea contrahere, ob longitudinem poſſunt) collumque exerunt, figuram demum eam toto agmine depingunt, qua veluti cuneo quodam obiectum aerem facilè diuidant.

LXXIX.

Cur edulia quædam dulci ſapore cum ſint, ſi præſumãtur, vinum guſtu inſuaue reddunt: quædã contrà adaugẽt ſuauitatem? Porro potores, non alia ſanè de cauſa, mellis aut ſaccari condimenta à menſis arcent.
An quia, quæ exactam illam dulcedinem obtinent, tum laxare linguæ meatus, tum adeò altè deſcẽdere queunt, vt diu ijs imbuta lingua, nil exactè ſentire queat, videanturque omnia ea de cauſa amarore, & inſuauitate participare? Dulcia verò, quæ vinoſo quodam ſucco abundant atque vnà adſtrictionis plus minuſùe ſecum ferũt, neque altè deſcendunt vt meatus oppleant, quin potius ſi quid limoſum putridumùe linguæ inhæſit, detergent, eamque ita præparant, vt exactiſsimè poſtmodum guſtet. Hanc dotem cùm multa ex pomis obtineant, omnium tamen ſuauitatem, qui nunquam pro meritis æſtimantur Pepon, longè exuperat.

LXXX.

Cur oriente ſole ſtellæ omnes deliteſcunt, quanquam propè oc-

casum longè à sole sint sitæ?
An quia nimia lux oculis circumfusa, ea quę paulò obscuriora sunt, abscondit? Ita enim vsu euenire cernimus, vt qui ex tenebrosiore loco prospicit, acrius quæ in lumine versantur discernat. Neque enim solis fulgor, (vti quis fortasse crediderit) eas obscurat. Noctu enim innumeræ soli multò propinquiores perspicuè fulgent: cùm tamen neque terræ vmbra tollere posit, quin solis luce tunc temporis suffundantur, vt Mathematici demonstrant. Nulla ergo in re ipsa differentia esse videtur, verùm in oculo duntaxat. Argumento est, quòd quæ paulò antè sub auroram sydera conspiciebantur, eadem mox oriente sole delitescunt,

LXXXI.

Cur qui longa validaq; exercitatione resiccati sunt, frigida epota siti minimè leuantur?
An quia aqua resiccatis solidis particulis, vtilem madorem restituere nequit? at dilutum vinum potest, quoniam vim alimenti obtinet. Merum enim non modò sitim nō leuat, sed strangulat aliquãdo: quod in his compertum est, qui à longo cursu merum potarunt.

LXXXII.

Cur culices, non æquè omnes morsu impetunt? quosdam enim nec attingunt quidem: at muscæ sine discrimine omnia, tum homines, tum bruta affligunt?
An quia sapores quosdam lubens prosequitur, quosdam verò respuit? Porrò duce odoratu bruta pascũtur: qua enim alia via in multiplici illa herbarum varietate, non ingratas modò verùm & lethiferas quoque secernerent? Gaudet autem præcipuè acidis culex, vt vsus monstrat, & Aristoteles obseruauit. Fructus enim non attingit, priusquam corruptione acorem contraxerint. Quibus igitur sanguis purus, & minimè putidus, hos culex non insectatur: musca verò omniuorum animal est, & dulcibus maximè oblectari solet.

LXXXIII.

Cur lateres, vbi igne excocti fuerint, ponderosiores euadunt, quàm cùm duntaxat sole resiccati erãt? Cum nihil quod materiam grauitatis adaugere posit, accesisse videatur: mole enim minores euadunt.
An quia igne lapidescunt, & solidiores fiunt? Quare meatus, quos sol produxerat, dum leui illa calefactione rarefacit, quique vapore

aut aere replebantur, vi ignis validiſsima conniuent, corpusque vniuerſum denſatur. Quare quicquid aereæ vel vaporoſæ ſubſtantiæ inerat, vnà extruditur.

LXXXIIII.

Quamobrem quibus cornua ſunt, altero dentium ordine careât, materiæ inopiam cauſatur Ariſtoteles: quicquid enim terreſtre ea parte inerat, abit in cornua. Hunc locum Caius Plinius taxat: quoniam (inquit) cerua altera dentium ſerie caret, & cornibus. Cæterûm (pace ſua dixerim) minus ſcitê Ariſtotelem reprehendit Plinius: eſt enim quod pro exemplo affert, haud equidem naturæ defectus, ſed ſexus occaſione contingit, ceruam cornu carere: tentauit enim & in ijs quoq; natura, quòd ſpeciei erat proprium. Verùm materia caruit. quoniam in omni animantum genere, minus ſanè terrei recrementi fœmina obtinet. Quamobrem & generoſiores in ouium ſpecie cornutæ habentur, quòd ſcilicet ad marium naturam, corporis habitu propius accedunt: proinde & ambientis iniurias, melius ferunt. Cerua igitur quædam veluti cornum rudiméta habet, quæ tamen ob eam quam diximus cauſam perficere natura nequiuit.

FINIS.

